



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François


Brvxellæ, 1652


[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)



Th. 929a.

F. VIII = 1.





COMMENTARIUS TERTIUS
IN LIBROS
DE COELO; DE GENERATIONE ET
CORRUPTIONE; DE ANIMA;
ET
METAPHYSICAM
ARISTOTELIS.

AUCTORE

R. P.

FRANCISCO BONÆ SPEI,

Ordinis FF. Glor. Virg. MARIÆ de Monte
Carmelo, studii generalis eorumdem refor-
matorum, in Belgio Sacræ Theologiæ
Professore.



BRUXELLIS,
Apud FRANCISCUM VIVIENUM,
Anno M, DC. LII.

COMMENTARIUS TERTIUS
IN LIBROS
DE COELO, DE GENERATIONE ET
CORRUPTIONE, DE ANIMA,
ET
METAPHYSICAM
ARISTOTELIS

LEOPOLD
R. F.
FRANCISCO BONAPARTE
Ordinis E. Glor. Virg. Mariae de Monte
Carmelo, Augustini, et confessoris
magistri, in Religione Theologiae
Professoris.

FRANCOFURTI
Apud Franciscum Vetterlium
ANNO MDCCLXXII



AD LECTOREM

PRÆFATIO.

AD Operis complementum in Aristotelis Philosophiam Commentarium tertium & ultimum aggredimur; in quo tres alias Physicæ partes & Metaphysicam comprehendimus: sicut, prætermisissis *Meteorum* libris, & de *Parvis naturalibus* nonnullis libellis, qui recreationi tantum & curiositati subseruiunt: primum in libros de *Mundo & Cælo* secundam Physicæ partem; deinde de *Generatione & Corruptione* tertiam, & consequenter de *Anima* quartam: postremum in Metaphysicam commentemur, quantum necesse est ut Tyrones ad sacras & salutes scientias quâdam dispositione præviâ informentur; ne imprudenter in illud Augustini de *Genes. ad litt. cap. 2.º. lib. 9.º. Multi enim multum disputant, de iis rebus, quas majore prudentiâ nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discitibus, & occupantes, quod pejus est, multum pretiosa & rebus salubribus impendenda temporum spatia;* impingamus, quamobrem etiam nos deterruit Augustin. ne 2^a Physicæ parte, sive in libris de *Mundo & Cælo*, multa curiosius cum nonnullis indagaremus. *Quibus respondeo (inquit loco citato cap. 10.) multis subtilibus & laboriosis rationibus ista perquiri, &c. quibus ineundis atque tractandis, nec mihi jam tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam, & sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus informari.*

Libros de *Generatione & Corruptione*, alii Animasticis postponunt, alii præmittunt communius, quibus subscribere placuit, ob rationes, quas in eorum Proæ-

AD LECTOREM PRAEFATIO.

mio tangemus. Utiles sunt ac scitu digni, sed eos, qui de Anima tractant, utiliores puto ac Theologo dignissimos, cum hominis Animam objectum attributionis eorum, quàm plurimi antiquorum *divinae particulam auræ*, suspicati sint, & Augustinus de Ordine lib. 2^o cap. 8^o. dicat: *Ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa & incussa semper manens, in sapientes Animas, quasi transcribitur, &c.* Unde ad rem nostram accommodatissimè D. Fromondus in Libris de Anima ad Lectorem: *Pars enim ista Philosophia nobilissima amœnissima, que est ac proximè Theologiam nostram, ut supremus æther cælum, tangit: tandem sequitur Metaphysica, cui, tamquàm omnium scientiarum naturalium Regina, meritò cæteræ omnes famulantur.*



ORDO ET SERIES

PARTIUM, DISPUTATIONUM, DUBIORUM,
ET QUÆSTIONUM, ET QUÆSTIONUM,

Tertii in octo Libros Physicorum ARISTOTELIS
Commentarii.

PHYSICÆ PARS SECUNDA.

In quatuor Libros

DE COELO ET MUNDO.

DISPUTATIO I.

De Mundo.

- DUBIUM I. An mundus sit unus, & an plu-
res sint possibiles. 1
II. An mundus sit perfectus, & an dari pos-
sit perfectior. 2
III. An possit mundus perfici, & quomo-
do. 3

DISPUTATIO II.

De Creatione mundi.

- DUBIUM I. An Cognitione purè naturali
certò cognosci possit hunc Mundum
non esse à se, sed à Deo productum. 3
II. An Mundus sit creatus, & quidem libe-
rè, à Deo. 5
III. An Mundus sit productus in tempo-
re. 6
IV. An Mundus sit in æternum duratu-
rus. 7

DISPUTATIO III.

De Natura, Numero, & Motu Calorum. 7

- DUBIUM I. Quid sit Corpus simplex, &
an possibile. 7
II. An Cœlum sit Corpus Completum sim-
plex. 8
III. An Materia Cœlestis sit specie distincta
à sublunari. 9
IV. An Cœli sint Corruptibiles. 10
V. An Cœli sint Animati. 11
VI. An Cœli per se ab intrinseco: an ab In-
telligentia moveantur localiter. 12
VII. An Cœli sint fluidi, an solidi. 13
VIII. Quot sint Cœli, & Astra. 14

DISPUTATIO VLTIMA.

- De Influentiis, & Activitate Calorum in
sublunaria.* 15
DUBIUM I. An Corpora cœlestia agant
in hæc inferiora per influentias. 15
II. Unde oriatur fluxus & refluxus maris. 16

PHYSICÆ PARS TERTIA.

IN LIBROS

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE.

DISPUTATIO I.

De Generatione.

- DUBIUM I. Quid Generatio in communi
& quomodo dividatur. 17
II. An detur Generatio substantialis, & quo-

- tupliciter sumatur, 18
III. Quid Generatio substantialis ut muta-
tio juxtà mentem Aristotelis. 18
IV. Quid Generatio substantialis viven-
tium. 19

† 3

V. Quis

ORDO TRACTATUUM, &c.

- V. Quis sit Terminus generationis substantialis. 20
 VI. An Generatio Substantialis fit Instantanea. 20
 VII. Quæ sit Causa principalis in Generatione viventium. 20

DISPUTATIO II.

De Conversione. 21

- DUBIUM I. Quid Conversio, & quomodo differat à generatione. 21
 II. An ad Conversionem requiratur desinitio termini à quo, sive ut alii, ut, quod convertitur, desinat. 22
 III. An ad Conversionem requiratur productio Termini ad quem. 22

DISPUTATIO III.

De Corruptione. 24

- DUBIUM I. Quid Corruptio Substantialis, & quotuplex. 24
 I. An detur Corruptio substantialis. 24
 III. An Corruptio per se intendatur ab agente naturali. 24
 IV. An in Corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam. 24
 DUBIUM VLTIMUM. Quo sensu verum est *Generatio unius est Corruptio alterius*; ubi, an detur forma cadaveris. 26

DISPUTATIO IV.

De Nutritione & Alimento. 28

- DUBIUM I. Quid Nutritio viventium, & quomodo fiat. 28
 II. In qua actione præcisè consistat Nutritio, quæ & quanta ejus necessitas. 28
 III. Quid fames, fitis, & unde oriantur. 29

DISPUTATIO V.

De Accretione & Decretione. 30

- DUBIUM I. Quid proprie dicta Accretio, & quomodo fiat. 30
 II. Quis sit terminus Accretionis stricte sumptæ, seu viventis. 31
 III. Quid sit Decretio proprie dicta. 32
 IV. An Accretio, & per consequens nutritio, fiat continuè, successivè. 32

DISPUTATIO VI.

De Alteratione. 32

- DUBIUM I. Undè dicatur alteratio, & quotupliciter sumatur. 32
 II. An si generatio esset impossibilis, etiam

impossibilis esset alteratio. 32

- III. An Alteratio, ac per consequens nutritio & accretio, sit motus continuus successivus? 33

DISPUTATIO VII.

De Maximo & Minimo. 37

- DUBIUM I. An dari possit maximum & minimum substantiæ. 37
 II. An detur maximum & minimum qualitatis. 39

DISPUTATIO VIII.

De Intensione & Remissione Qualitatis. 40

- DUBIUM I. Quid sit; & quomodo fiat Intensio & Remissio. 40
 II. An gradus qualitatis intensæ sint homogenei, an heterogenei. 43

DISPUTATIO IX.

De Rarefactione & Condensatione. 44

- DUBIUM I. Quid rarum & densum, & quotuplex Rarefactio & Condensatio. 44
 II. Quomodo fiat rarefactio & condensatio proprie dicta. 48

DISPUTATIO X.

De Conditionibus ad agendum requisitis. 50

- DUBIUM I. An simile possit agere in simile. 50
 II. An agens, ut agat, requirat præsentiam localem cum passio. 51

QUÆSTIUNCULA. De Pulvere Sympathetico. 53

- DUBIUM III. An agens secundum qualitatem contrariam qualitati passii in quod agit, agendo repatiatur. 54

IV. Quid Antiperistasis, quomodo fiat, & an detur. 56

V. Quid reflexio, quotuplex sit, & quæ illius causæ. 57

DISPUTATIO VLTIMA.

De Elementis. 58

DUBIUM I. Quid Elementum, & quæ Elementorum qualitates. 58

DUB. VLTIMUM. Quomodo Elementa continentur in mixtis. 59

PHYSICÆ

PARS QUARTA

In Libros de ANIMA.

DISPUTATIO I.

De Anima in communi. 60

DUBIUM I. De natura & divisione Ani-

mæ. 60

II. An in eodem vivente sint plures animæ. 62

DIS-

ORDO TRACTATUUM, &c.

DISPUTATIO II.

De Animâ in Ordine ad Subiectum. 66

- DUBIUM I. An præter animam in viventibus sensitivis dentur formæ partiales Substantiales. 66
 II. Quæ Partes sint Animatæ. 67

DISPUTATIO III.

De Potentiis & Actibus Anima. 69

- DUBIUM I. An Potentiæ realiter distinguantur ab Anima? 69
 II. Quid sit actus vitalis, & quotiplex? Item an illis assignari possit conceptus unus univocus. 72

DISPUTATIO IV.

De Anima Vegetativa. 73

- DUBIUM I. Quid sit anima Vegetativa, & quæ ejus potentiæ? 73
 II. An plantæ, herbæ, & eorum femina vivant animâ vegetativâ; & si hæc, an etiam sensitivâ? 73
 III. An femina vivant Animâ Vegetativâ? 74
 IV. An Anima Vegetativa sit divisibilis? 74
 V. An Partes integrales animæ vegetativæ sint heterogeneæ. 76

DISPUTATIO V.

De Anima Sensitiva. 78

- DUBIUM I. Quid Anima Sensitiva; & an in brutis quibusdam sit rationalis? 78
 II. Quot potentiæ Animæ sensitivæ, & quæ sint? 80
 III. Quæ, & quibus animalibus potentiæ assignatæ convenient? 80
 IV. An sensus sint potentiæ activæ & passivæ. 80
 V. Quid sit objectum sensibile, & an detur objectum sensibile Commune? 81
 VI. An sensus externi circa proprium objectum falli possint? 83
 VII. An sensibile positum suprâ sensorium, sive sensum, sentiri possit? 84
 VIII. An sensorium lædatur à vehementi sensibili? 84

DISPUTATIO VI.

De Visu, ejusque Objecto. 85

- DUBIUM I. Quid visus, & quodnam ejus objectum? 85
 II. An color & lumen realiter inter se distinguantur? 85

III. Quid Lumen. 87

APPENDIX

Circâ Species Visus. 87

- DUBIUM I. An lumen, sive color visui immediatus sit sibi ipsi species impressa sic ut sine alia realiter distincta videatur 87
 II. An ad videndum lumen, sive colorem à visu distantem, sit necessaria species impressa ab objecto in oculum emissa. 88

DISPUTATIO VII.

De Auditu, ejusque Objecto. 90

- DUBIUM I. Quid Auditus, & quodnam ejus objectum? 90
 II. Quid Sonus, & an mediantibus speciebus impressis, an immediate per se ad auditum deferatur? 90

DISPUTATIO VIII.

De Odore & ejus Objecto. 92

- DUBIUM I. Quid Odoratus, & ejus objectum. 92
 II. Quid sit Odor. 92
 III. Quomodo odor diffundatur per totum spatium. 92

DISPUTATIO IX.

De reliquis sensibus externis & eorum objectis. 93

- DUBIUM UNICUM. Quid gustus & tactus, & quæ eorum objecta? 93

DISPUTATIO X.

De Speciebus impressis sensus interni. 94

- DUBIUM I. An in sensu interno dentur Species impressæ? 94

DISPUTATIO XI.

De Anima rationali, & ejus potentiis. 97

- DUBIUM I. An anima rationalis sit spiritalis & immortalis, & una sit perfectior alterâ substantialiter. 97
 II. An omnes animæ rationales sint æqualis perfectionis? 101
 III. De Intellectu, Intellectione, & ejus Objecto. 103

DISPUTATIO VLTIMA.

De Habituibus. 105

- DUBIUM UNICUM. Quid habitus, in quibus potentiis, & quomodo incipiant & desinant? 105

T O-

TOTIVS PHILOSOPHIÆ
I N
METAPHYSICAM
P A R S V L T I M A.
E T
T R A C T A T V S V L T I M V S.

DISPV TATIO I.

- De Ente Reali in Communi.* 109
- DUBIUM I. Quid sit ens Reale, sive possibile, ut opponitur ficto. 109
- II. An ens possibile ut sic ab aeterno habeat aliquod esse diminutum. 109
- III. An Ratio entis Realis præcisa à Deo & Creatura, substantia & Accidente sit illis univoca. 110
- IV. An ens includatur in differentiis immediate contrahentibus. 110

DISPV TATIO II.

- De Passionibus entis in communi.* 111
- DUBIUM I. Quid sit Vnum Transcendentale, & quid *res* addat supra ens. 111
- II. Quid sit verum transcendentale, & quid addat supra ens. 111
- III. Quid sit bonum Transcendentale, & quid addat supra ens. 112

DISPV TATIO III.

- De Ente Actuali.* 112

- DUBIUM I. Quid ens actuale ut sic, & an existentia creaturarum distinguatur realiter ab essentia. 112
- II. An existentia distinguatur realiter ab essentia productione. 113
- III. An existentia formalis saltem ratione distinguatur ab essentia. 113

DISPV TATIO IV.

- De formali Principio Individuationis.* 113
- DUBIUM I. Quodnam sit Principium formale Physicum individuationis. 113
- II. An possint divinitus dari Angeli solo numero intra eandem speciem distincti. 114
- I I. Quodnam sit Principium Individuationis Metaphysicum. 115

DISPV TATIO VLTIMA.

- De DEO.* 115
- DUBIUM VNICUM. An in sola ratione naturali sistendo efficaciter probari possit Deum existere. 115



formæ, quæ jam toties per pugnam contrarietatis dispositionum corruptæ sunt, ergo licet de facto sit unicus, plures tamen fuerunt, qui in pugna ista contrarietatis perierunt.

vi. Respondeo negando assumptum; quia mundus non est compositum per se ex actu & potentia; sed aggregatum per accidens, cujus essentia, non tam attendi debet penes illius entia & partes Physicas, quàm penes finem authoris illius, qui versatur, non circa entia Physica; alioqui, sicut singulis instantibus rerum ubicationes, durationes, actiones, &c. transeunt de esse ad non esse, similiter deberet intentio ipsius Authoris, & mundus ipse singulis instantibus mutari; sed circa subordinationem uni tertio, nempe sic, *volo hunc mundum condere ut continuo generi humano ad commodam habitationem, sustentationem, propagationem, operationesque ei convenientes, serviat*: unde idem essentialiter manet, quamdiu ita generi humano servit.

RESOLUTIO II.

vi. **D**ico 2^o. possibiles sunt plures mundi specie, vel numero diversi.

viii. Probatur, quia non minùs Deus est potens ad secundum mundum ejusdem, vel diversæ speciei producendum, quàm, ad secundum animal ejusdem, vel diversæ speciei producendum; sed ad hoc est potens, ergo, &c.

ix. Confirmatur, quia fundamenta, quæ Philosophos in oppositam partem trahunt, levia sunt, & fortè erronea; ut 1^o. quòd secundus mundus non posset moveri nisi ad centrum alterius mundi: 2^o. quòd hic noster mundus contineat omnem materiam possibilem: 3^o quòd sicut datur tantum unus primus motor, dari tantum debeat unum primum mobile; primum enim est omnino falsum, quia in secundo mundo secundum centrum esset: secundum autem malè audit: Tertium verò retorquetur in primum subjectum, sive materiam primam, quæ æquè primum admittit, ergo & primum mobile æquè primum mobile.

DVBIVM II.

An mundus sit perfectus, & an dari possit perfectior.

RESOLUTIO.

x. **D**ico, mundus de facto existens perfectus est essentialiter, substantialiter, & accidentaliter.

xi. Probatur prima pars, quia habet omnes partes essentielles integrales, & perfectiones accidentales, quas finis mundi Authoris & Conditoris, de quo dub. 1^o Resol. 1^a. requirit, ergo, &c.

xii. Confirmatur, ex script. Gen. 1^o. *Dei perfecta sunt opera, & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; atqui ly valde sonat eminentem aliquam perfectionem, quæ optime explicatur, per perfectionem quoad essentiam, substantiam & accidentia, ergo, &c.

xiii. Objicies 1^o. sunt multi in mundo defectus; tum naturæ ut monstra; tum morum & operationum, &c. ut vitia & peccata; ergo mundus est imperfectus.

xiv. Respondeo negando consequentiam, quia hæc imperfectiones non sunt totius mundi; sed singularium partium, quæ etiam ad mundi totius perfectionem, saltem per accidens, non parum con-

ferunt: monstra quidem, quia varietatem augent, & eorum oppositione pulchritudo cæterorum magis elucescit, quia *opposita juxta se posita magis elucescunt*; vitia & peccata, quia in eis libertas apparet, & sunt occasiones probis hominibus multarum & magnarum virtutum, ut patientiæ, correctionis, tristitiæ, pœnitentiæ &c. in quibus magna morum & operationum perfectio elucet.

xv. Ad hæc mundo per se (saltem quoad formale defectus & malitiæ) non competere; sed tantum per accidens ex hominum malitia, &c. non ex Dei operatione; unde quamvis nihil boni conferrent Univerſo; tamen ipsum opus quâ Dei, in quo reperiuntur, non ideo dicendum esset imperfectum, magis quàm sedes aliqua affabrè facta, dici debeat imperfecta, eò quòd scriba nequam & Pharisæus in illa sedeat.

xvi. Objicies 2^o. multa de sunt mundo, quæ sunt possibilia, ergo est imperfectus.

xvii. Respondeo 1^o. tranſeat antecedens; nego consequentiam; quia alioqui, mundus dici non posset perfectus, nisi esset perfectissimus, ut consideranti patebit; id autem est absurdum. Unde

xviii. Respondeo 2^o negando totum; quia deesse, imperfectum esse, &c. præter carentiam, connotant exigentiam ejus, quod dicitur deesse; mundus autem non exigit illa possibilia; quia instructus iis, quæ habet, satis habet ad finem sui Conditoris assequendum.

xix. Objicies 3^o. multa sunt in mundo superflua, ut herbæ noxiæ, molesta tantum animalia, & similia individuum, sive animatorum, sive in-animatorum, infinitus numerus, ergo, &c.

xx. Respondeo negando assumptum: illa enim nullatenus dici debent superflua; quandoquidem omnino conducant ad finem conditoris Univerſi & hominis utilitatem, v. g. ad studium, ad patientiam & pœnitentiam exercendam, & his similia, ut ante intinuatum est.

xxi. Objicies 4^o. inter elementa & corpora mixta, v. g. animalia, dissidium est perpetuum, & mutua interemptio; magna item est Cœli inconstantia; magnus insuper excessus caloris, frigoris, &c. ergo mundus non est perfectus.

xxii. Respondeo negando consequentiam; quia inde solum sequitur posse à Deo mundum conditi perfectiorem, in quo nempe esset pax perpetua, cœlorum constantia, creaturarum concors omnimoda inter se sympathia, &c. non verò hunc mundum non esse perfectum; quia attentâ creaturarum, quibus conflatur, naturâ illa ipsa magnæ sunt mundi hujus perfectiones, quia nempe hominum utilitates & oblectationes sunt, divinitatis autem illustria testimonia, ut cuique notum est; imò quâ talis animalium respiratori utilis, si durus esset, inutilis; inconstantia autem cœli, sic nonnullis obest, ut semper aliis proſit.

xxiii. Objicies 5^o. si mundus sit perfectus, ergo Deus & mundus facient aliquid perfectus, quàm solus Deus; hoc dici non potest, quia alioquin Deus non esset perfectissimus, ergo nec illud.

xxiv. Respondeo negando consequentiam, Deus enim eminenter continet omnem perfectionem mundi, rerumque omnium, tam creaturarum, quàm possibilium; hinc quodcumque perfectum adjungatur, ex eo & Deo non conflatur aliquid perfectius Deo; aliter

Respon-

xxv. Respondent aliqui cum distinctione consequentis, ergo Deus & mundus facient aliquid perfectius intensivè, & negant; extensivè autem concedunt.

xxvi. Verùm retinenda est nostra prior solutio; quia perfectius absolute & simpliciter sumptum, accipitur pro magis perfecto intensivè, & si dicatur aliquid esse perfectum extensivè, locutio est impropria, & significat tantum plura perfecta; non autem majorem, sive excellentiorem perfectionem: quapropter inferendum dumtaxat, ergo Deus & mundus sunt plura perfecta, quam Deus solus, quo posito admitti posset totum; quia in eo nihil absurdi; imò quia pluralitas non est perfectio simpliciter simplex, uti simplicitas; semper verum est, quod Deus, utpote ens omnino simplex illis pluribus æquivalens, sit illis pluribus perfectior.

D V B I V M I I I.

An possit mundus perfici, & quomodo.

R E S O L U T I O I.

xxvii. Dico 1º. Deus potest & potuit facere mundum, hoc, qui de facto existit, meliorem ac perfectiorem, quoad essentiam, substantiam & accidentia.

xxviii. Probatur, quia ente cujuscumque serè speciei, potest & potuit melius & perfectius quoad essentiam, substantiam & accidentia, producere, ergo & mundum; consequenter probatur; quia ut summum mundus est aggregatum ex entibus cujuscumque speciei, ergo, &c.

xxix. Confirmatur, Deus non necessitatur ad optimum in se, sed ut summum ad optimum ex præfixo sibi fine, sic ut in ordine ad illum nulla fuerit in Conditorè inconsideratio aut imprudentia, ut in Theologia ostendimus; ergo mundus, quem de facto condidit, non est de facto in se optimus, quem essentialiter, substantialiter & accidentaliter condere potest; finis autem, saltem non ultimatus, est utilitas hominis, &c. quo potest Deus habere perfectiorem, ergo, &c.

xxx. Dices, omnes species possibles habent ordinem ad res presentes & in mundo superiori vel inferiori existentes, ac proinde, si quas Deus à creatis distinctas crearet, à creatis essentialiter non distinguerentur, sed inter se subordinarentur; idem dic proportionaliter de ly substantialiter & accidentaliter, ergo, &c.

xxxi. Respondeo supponi falsum, videlicet omnes species possibles sic esse creatas, ut in alio mundo creari non possint species aliæ illis omnino op-

positæ, prout brutum & homo opponuntur; & supra, & infra illas aliæ, & aliæ, magis aut minus perfectæ, sive quoad essentiam, sive quoad substantiam, sive quoad accidentia, in eo enim nulla prorsus repugnantia.

R E S O L U T I O I I.

xxxii. Dico 2º. mundus, qui de facto existit perfici non potest essentialiter. ita Divus Thomas 1. p. quæst. 25. art. 6. Durandus in 1ºº distinct. 44. quæst. 3. Conimbricenses hinc, & c.

xxxiii. Probatur, quia essentia hujus mundi sumitur per ordinem ad intentionem Dei mundi hujus Conditoris; sed illa non potest perfici essentialiter, magis quam homo perfici possit essentialiter, ergo, &c. Probatur minor, quia quidquid addetur, juxta illam addetur, vel non? si primum, erit de essentia; si secundum, erit ex alia intentione, ac proinde alium mundum constituet, ergo, &c.

xxxiv. Confirmatur, illud est de essentia mundi, sine quo mundus, nec esse, nec concipi potest secundum intentionem Dei mundi Conditoris; sed id consistit in indivisibili, ergo, &c.

xxxv. Objicies tamen 1º, possunt huic mundo addi varia accidentia perfectiva, & aliqua novæ substantiæ creabiles: neque indivisibile est essentialiter id, quod Deus intendit per hunc mundum; ergo perfici potest essentialiter, substantialiter & accidentaliter.

xxxvi. Respondeo negando consequentiam, quia quidquid addi potest, addi potest juxta, vel citra intentionem Dei mundi Conditoris? non primum, quia id de facto est de essentia mundi per ordinem ad illam: si secundum, addetur ex alia Dei intentione ab hac essentialiter distincta, ac proinde hunc mundum essentialiter non perficiet, sed alium essentialiter potius constituet; quia eodem modo se habebit ad priorem mundum, sicut quaternarius se habet ad ternarium ratione quartæ unitatis superadditæ: sicut enim quarta unitas est constitutum formale novi numeri substantialiter, ita hæc secunda intentio est constitutum formale novi mundi substantialiter, licet improprie dici possit hunc mundum perficere, sicuti confortium alterius hominis primum hominem perficit: unde similiter dic artefacta, quæ sumunt suam unitatem essentialem à conformitate cum intentione, aut conceptu artificis, non posse essentialiter, substantialiter, aut accidentaliter perfici, ut semper verum maneat, quod Aristoteles sæpius repetit, videlicet *essentias rerum consistere in indivisibili.*

DISPUTATIO SECUNDA.

De Creatione mundi.

D V B I V M I.

An Cognitione purè naturali certò cognosci possit hunc Mundum non esse à se, sed à Deo productum.

1. Ante Resolutionem
Suppono fide certum esse Deum esse Authorem rerum omnium Gen. 1º, in

principio creavit Deus Cælum & terram. Ioan. 1º. omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. Quæstio ergo est, an homo sibi relictus, & aliunde nondum acquisitâ certâ ipsius Dei existentis notitiâ, sed per ea, quæ facta sunt, adhuc acquirendâ, solo lumine naturæ cognoscere possit creaturas omnes esse à Deo conditas.

SENTENTIA ADVERSARIORUM,

A sola ratione naturali.

II. Dicent adversarii, non videtur cognitione purè naturali Physica certò posse cognoscere mundum à Deo esse conditum, secundum omnem sui partem, nisi aliunde præsupponatur existentia unius Dei certa, ex visibilibus, quæ facta sunt, æquisita notitia.

III. Probabunt ex Refutatione omnium rationum, quæ pro affirmativa adferuntur.

IV. 1. Aristotelis apud D. Thomam 1. p. quæst. 2. art. 30. *Omne quod movetur ab alio movetur*: unde eundem in infinitum, vel deveniendum ad unum quod ab alio non moveatur, quod erit Deus existens, à quo cætera totius mundi entia producerentur; sed primum est absurdum; ergo datur Deus existens, qui ab alio non moveatur, & à quo cætera entia mundi producerentur.

v. Sed contra fortè dicent, allatum ex Aristotele principium multas pati difficultates; quia in primis moveri ab alio in infinitum, non est magis absurdum, quàm durare alio, & alio die in infinitum, ita ut quilibet habeat subsequentem se; nisi quia ex illo sequitur nos non posse naturaliter venire in agnitionem primi motoris, sed id, sistendo in sola ratione, non posse, contendimus, inquit. 2º. hoc principium gratis admissum, non probat Deum existere, sed primum motorem dumtaxat, ex conditione suæ naturæ, fuisse in initio mundi ante res omnes; qui quidem primus motor esset ens perfectius cæteris entibus creatis distributivè; an autem foret omnipotens, omniscius, immensus, æternus, &c. ac proinde Deus, non probat: quia dicitur possibilis alius primus motor alterius mundi perfectioris, illo longè perfectior, qui cum primo motore hujus mundi stare posset, ut patet; neque hic discursus valet, *ille primus motor esset ens à se, ergo perfectissimus in omni genere entis*; quia ens à se ut tale, non plus distinguitur ab ente ab alio ut tali, quàm ens per se ab ente in alio ut tali, scilicet finitè, de quo libro 2º. Phys. Disp. 8. De Creat. Dub. 1. 3º. inquit, illud principium, vel nimis, vel non satis probat; quærent enim, an solum illud aliud primum, à quo cætera moventur, sit Deus, vel etiam aliud medium præterea sit Deus? si solum illud primum, Verbum & Spiritus sanctus, à quibus cætera moventur, non erunt Deus, quia ipsi à Deo Patre tamquam primo sui motore moventur; si etiam medium, vel simul probat creaturas, à quibus plura moventur, esse Deum, vel nihil probat. 4º. quia supponendo aliquot esse, & semper fuisse, principia passiva & activa diversæ naturæ & finitæ ac limitatæ ex natura sua perfectionis, sive talia, qualia in omnium sententia tunc sunt secunda principia ut v. g. materia prima, sol, &c. circa dependentiam præcisè à Deo; nec alia possibilia esse, quàm ea, quæ de facto existunt; *omne quod movetur, ab alio movetur*, & tamen inde certò nõ inferitur mundum esse à Deo conditum, Deum unum existere, &c. sistendo autem in ratione purè naturali Physica convinci non potest suppositum esse fallum.

VI. Omnino aliter Suarez Disputat. 29. Metaph. contra hoc principium, *omne quod movetur ab alio movetur*, argumentatur, videlicet; dici potest creaturam se movere ex innata & naturali sua virtute, sicut gravia & levia; unde nil concludit: quod argumentum dicit Arriaga esse efficax:

ad id verò quod Thomistæ respondent levia & gravia à generante moveri, Respondet se arbitrari, vel eos rem apertè falsam docere, vel non satisfacere: sed si, tum Suarez, tum Arriaga considerassent istius principii esse hunc sensum, *omne quod producit, ab alio producit*, & attendissent ad veritatem Resolutionis, quæ in Physica Disp. 8. Dub. 5. dictum est, rem conservari à suo generante, puta eo modo, quo simul cum Deo rem 1º producit, ut ibi; hæc non objecissent.

VII. 2º P. Arriagæ 1. p. Disp. 2º. quæ tam clara & efficax (ut assertit) est, quòd ipsum pudeat, in re tam clara, vel amplius verbum facere: *Omne quod fit, ab alio fit*. Quo supposito,

VIII. Sic argumentatur: vel omne ens, quod est in Universo, est productum ab alio, vel non? (nam aliqua ab alio produci, ipsismet oculis videmus); omne ens non potest esse productum; quia si tota collectio esset producta, necessariò daretur mutua aliorum causalitas. Quod sic

IX. Probat: tota illa collectio est entium finitorum, vel infinitorum.

X. Si finitorum, ponantur esse quatuor (& sic erit de centum, mille, &c.) primum producit secundum, secundum tertium, tertium quartum, & vel quartum, vel tertium, vel secundum, producit primum, ergo datur mutua causalitas, vel idera præsupponitur sibi ipsi; in quo, inquit, est repugnantia mutua causalitatis.

XI. Si infinitorum, sive simul existant, sive successivè, eadem est ratio, ac de finitis. Probat, quia tota collectio reipsa, sive realiter, est producta ab alio, vel non? si prius, ergo reipsa datur mutua causalitas; quia illa infinitudo non tollit mutua causalitatem, quæ erat in finitis: si posterius, ergo in illa datur (quod etiam est probatio alterius partis antecedentis prioris argumenti) unum, quòd est à se, & non productum, & illud est Deus existens, ergo, &c. Sed

XII. Contra dicent, vim retinet totum, quod contra primam probationem allatum est; solum adde ad hominem contra hanc ultimam consequentiam illud, quod non esset productum ab alio, fore quidem ens à se, non tamen Deum existentem, propter hanc rationem (præter allatam supra) sicut admittit P. Arriaga entia producta ex se fluxæ naturæ, ut impulsus, scnum, &c. ita admittere possumus entia à se ex se fluxæ naturæ, quæ enim disparitas præcisè sistendo in sola ratione? quo dato, illud ens à se, à quo essent cætera, extitisset quidem, sed posset jam non amplius existere, ac proinde non esset Deus: Pro solutione tamen argumenti in forma adverte, fortè dicent, illud optimè retorqueri in dies æternitatis à parte post hoc modo.

XIII. Vel omnis dies æternitatis à parte post habet subsequentem se, vel non? omnis non potest habere subsequentem se; quia si tota collectio haberet subsequentem se, necessariò daretur mutua aliorum prioritas: si non, ergo in æternitate datur una dies, quæ non habet subsequentem se, & illa est dies ultima æternitatis à parte post; consequens hoc est hæreticum: audiat P. Arriaga an ipsum pudere debeat pro solutione hujus retorsionis & rationum jam præmissarum vel verbum superaddere.

XIII. 3. omnium Theologorum communiter: tot miracula, tot futurorum prædictiones, tam pulcher rerum ordo ac cœcinita totius Vniuersi dispositio, tam constans & perennis, &c.

numquam interrupta rerum & temporum vicissitudo, esse non potest, nisi ab aliquo supremo rectore, & numine, intellectu & voluntate prædito, qui Deus vocetur; ergo, &c.

xvii. Sed contra dicent fortè, ista quidem moraliter & probabilissimè ostendunt dari aliquem supremum rectorem; non tamen Physicè & certò; quia dici posset illa miracula tantum esse operationes naturæ ut naturæ insolitas; vel potiùs alicujus causæ creatæ homine perfectioris, quæ, ut patet, non ideo deberet esse primus motor Deus: futurorum verò revelationes, non esse nisi conjecturas probabiles futurorum; maximè, cum videamus tot prædictiones hominum falli, & veras esse obscurissimas, ac plurimas, ut mirum non sit, si interdum verum ferant; rerum denique ordinem, Vniuersi dispositionem, rerum & temporum vicissitudinem, &c. esse partim à causis liberis, ut Angelis, hominibus, &c. & partim ab ipsis causis necessariis, operantibus juxta motum & instinctum suæ naturæ; quis proterytum sistendo in ratione pure naturali, in qua hic sistitur, de alio convincat?

xviii. Cæterum quamquam Physicè & certò constaret dari talem supremum rectorem, adhuc Physicè & certò non constaret illum esse Deum; primò, quia etsi dixeris illum esse ens à se, non ideo tamen demonstrabis illum esse Deum, ut dictum est: Deinde, unde demonstratur sistendo in sola ratione naturali, non esse tot supremos rectores, quot diversa regna, v. g. unde demonstratur sistendo in sola ratione naturali illum supremum rectorem, non producere decem, centum, mille, &c. rectores sibi similes, sicut Deus Pater, qui est à se, bene producit filium & spiritum sanctum; item esse spiritum, & non corporeum; esse omnino simplicem, & non compositum ex materia & forma; esse immortalem & non mortalem; esse immutabilem, & non mutabilem, &c.

Sententia Adversariorum evertitur.

xix. **R**efutatio rationum nulla est, ut statim patebit: solutiones autem n. v. xii. & xvi. datæ enervantur dicendo, quod sicut ens per se perfectissimum infinitè distat ab ente in alio perfectissimo, haud secùs quàm ab ente per se imperfectissimo; ita ens à se infinitè distat ab ente ab alio rigorosè creato perfectissimo; quia cum illud careat multiplicabilitate & perfectibilitate extrinseca sive ab extrinseco, eadem intrinsecà sive ab intrinseco caret; & sicut non est possibilis creatura, quæ ab extrinseco producat & intrinsecè non sit finitæ ac limitatæ naturæ, ita possibile non est ens à se quod ab extrinseco non producat & sit intrinsecè finitæ ac limitatæ naturæ; unde esse debet in suo genere, & super quolibet ente ab alio rigorosè creato, perfectissimum; cujus oppositum involvunt allatæ solutiones.

xx. Solutio autem n. xiii. data, etiam nil vincit: quia licet omnes dies illi collectivè sumpti extra totam collectionem, diem non supponant, extra illam tamen causam efficientem supponunt; sic similiter, licet omnia entia collectivè sumpta extra totam collectionem ens creatum non supponant; extra illam tamen causam creantem supponunt; hæc autem, ut patet, debet esse

causa non creata, ens à se, &c. quod Deum dicimus; unde ex demonstrato 1º motore rectè demonstratur Deum existere.

xxi. Solutio denique n. xv. data refellitur; quia non est fundamentum ista Deo negandi; & præterea judicium commune est, quod à Deo sint, & est periculum incomparabilis injuriæ in judicio privato dicente ista à Deo non esse; igitur omnino dicendum ista à Deo esse: quia demonstrativum est & lumen naturæ præcisè dictat tale judicium commune esse præferendum tali privato periculoso.

RESOLUTIO AUTHORIS

A sola ratione naturali.

xxii. **D**ico 2º. cognitione purè naturali Physicè omnino certò cognosci potest mundum esse à Deo conditum secundum omnem sui partem, etsi aliunde non præsupponatur existentia unius Dei certa ex visibilibus, quæ facta sunt, acquisita notitia.

xxiii. Probatur, non magis repugnat ens à se naturæ suæ illimitatæ perfectionis, à quo cætera entia producta sunt, quàm entia à se limitatæ (si non repugnent; nam ea repugnare. n. xix. ostendimus) perfectionis citra dependentiam, à quibus cætera entia producta sint: & ab illo æquè commodè, imò longè commodius cætera entia producerentur, quàm ab his, & judicium commune omnium ferè, etiam barbarorum ac gentilium est, quod detur, ergo ut minus dubium est, an illud sit, an hæc de facto sint: subsumo, atqui in dubiis judicium commune esse præferendum privato lumen solius naturæ dictat, si privatam habeat annexum periculum incomparabilis injuriæ, uti hic, ergo, &c.

Vide fol. 30. lib. 1º Phys. n. xxxii.

D V B I V M I I.

An Mundus sit creatus, & quidem liberè, à Deo.

xxiv. **P**ro prima parte Resolutionis suppono mundum esse creatum à Deo, id est productum ex nihilo, tum termini, id est mundi, tum subjecti, id est materiæ, cum à se esse non possit, ut supra probatum est: igitur pro altera parte dubii, sit

RESOLUTIO.

xxv. **D**ico inter Theologos certum est Deum hunc mundum ex libera sua voluntate produxisse.

xxvi. Probatur 1º. entia creata sunt bona limitata, ergo Deus in illa liberè tendit: Probatur consequentia, necessariò ferri in bona limitata, est imperfectio; at in Deum non cadit imperfectio, ergo, &c.

xxvii. Probatur 2º. Deus potest producere plura & plura in infinitum, id est, habet tantam potentiam, quæ nunquam exauriri possit; sed quolibet finito facto potest adhuc aliud; cum aliàs non esset infinita, ergo non potest agere ex necessitate naturæ. Probatur consequentia, tum quia aliàs infinita faceret; tum quia simul & se-

mel necessariò omnia faceret, sic ut nihil ultra facere posset, quod probatur, quia agens necessarium tantum facit, quantum potest: sequela autem est contra manifestam continuarum & in dies novarum generationum experientiam.

xxvi. Confirmatur, si Deus non esset liber, non esset ratio cur has potius, quàm illas creaturas conderet, hoc potius tempore, aut loco, quàm alio; sed id potest, ut præcedens probatio convincit, ergo, &c.

xxvii. Objicies 1º. Deus est summè bonus, & summè diffusivus sui, ergo necessariò se communicat creaturis. Probatur consequentia, quia aliàs ageret contra inclinationem naturalem, quàm ex sua infinita bonitate habet ad se communicandum, ergo, &c.

xxviii. Confirmatur, quia frustra esset in Deo ista inclinatio, ergo, &c.

xxix. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem, nego assumptum; nam Deus non est sui communicativus ex necessitate, sed ex sapientissima sua liberalitate; quapropter illa ad se communicandum inclinatio, ex natura sua subditur voluntati, ac rationi; ideoque, etsi non faceret secundum illam inclinationem, non tamen faceret contra illam.

Ad Confirmationem

xxx. Respondeo non fore illam inclinationem frustra; esset enim ad liberè manifestandam Dei bonitatem tamquam proprietatem essentiam consequens, ad eum ferè modum, quo in homine est inclinatio ad ratiocinandum, quæ tamen frustra non est, licet homo non necessariò ratiocinetur.

xxxi. Objicies 2º. Deus necessariò se amat amore perfectissimo; sed ille amor videtur requirere ut alia etiam, præter se, amet, & propter se, & ideo creaturis se communicet, ergo, &c.

xxxii. Respondeo negando minorem, quia bona creata nihil perfectionis Deo adferunt, nil autem Deo necessarium, quod non est in Deo summè perfectum; unde cum illa communicatio nihil bonitatis intrinsicè Deo addat: amor ille perfectissimus, quo Deus se amat, & alia præter se, ac propter se, liber est, quatenus terminatur ad creaturas producendas.

xxxiii. Objicies 3º. Deus est immutabilis & impeccabilis, ergo non potest esse liber; Probatur consequentia, quia libertas videtur opposita includere; potest enim, qui est liber, facere quidquid vult, etiam malè; potest etiam modò unum, modò alterum velle, ergo, &c.

xxxiv. Confirmatur, actus liber debet esse aliquid productum, quod possit esse & non esse, ad eòque subjectum mutationi, quæ in Deum cadere non potest.

xxxv. Respondeo negando consequentiam: Deus enim est liber non ad peccandum, juxta illud Aug. lib. 1º. contra Julianum, *Et Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum: Liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi justus, non potest: sicine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? an potius intelligere debes esse quandam beatam necessitatem, quæ Deus injustus non potest esse, neque ad mutandam voluntatem; juxta illud Jacobi 1º. apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Malachæ 3º. Ego Dominus & non mutor. quare Augustinus ad simpl. lib. 2º. q. 2º. Deus cuncta mirabilia incommutabili voluntate dis-*

ponit. Et divus Thomas de verit. quæst. 23. art. 1º ad 2ºum, *illud quod vult, immutabiliter vult.* Sed tantum ut ab æterno aliquid objectum velit, aut non velit; quia scilicet eos actus liberos, quos habet ab æterno, potuisset non habere, aut habere alios, quantum est ad terminationem ad objectum creatum.

Ad Confirmationem

xxxvi. Respondeo actum liberum creatum esse aliquid productum; non autem increatum: actus enim ille increatus est tantum liber in terminando, non in existendo, quod quomodo fiat, ob eminentiam perfectionis divinæ comprehendere difficulter ab homine potest, & pertinet ad primam partem Theol. optimus tamen modus videtur hic, si concipiatur actus voluntatis infinitus in Deo esse ex natura sua indeterminatus ad quodlibet objectum creatum, & hoc ipso fieri talis objecti volitio quod ad illud applicetur, suo tempore illud producendo, aut aliqua simili ratione; eo modo, quo voluntas, quæ est potentia ex natura sua indeterminata ad producendum hunc vel illum actum, eo ipso fit hujus actus causa, potius quàm alterius, quo illum actum ponit nullà alià re ipsi superadditã.

COROLLARIA.

xxxvii. Colliges 1º. Deum, cum in operibus ad extra sit liber, non necessariò producere omnè illud, quod est perfectius ex parte effectus; quia nimirum de ratione causæ liberæ non est agere quantum potest, sed solum quantum vult.

xxxviii. Colliges 2º cur Deus non potuerit generare perfectiorem vel imperfectiorem filium: bene autem perfectiorem vel imperfectiorem mundum: disparitas enim est, quod Filius divinus producat ad intra, & à Patre tamquam agente necessario, quod agit quantum potest. Adde Patrem respectu Filii esse principium univocum; se-cus verò ipse mundus, producit ad extra, & fit à Deo ut agente libero, & secundum rationem æquivocam; unde nulla creatura adæquat potentiam Dei; bene autem Verbum divinum.

D V B I V M III.

An Mundus sit productus in tempore.

RESOLUTIO I.

xxxix. Dico, mundus est creatus in tempore. Est omnium Catholicorum contra Aristotelem & Averroem 8. Physic.

xl. Probatur 1º ex Script. Genes. 1º. *In principio creavit Deus cælum & terram*, puta sic ut Deus illam præcesserit, ut clarius hæc loca expriment Proverb. 8º. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* ad Ephes. 1º. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Ioan. 17º. *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret.* ergo, &c.

Probatur 2º ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & VI. Synodo, actione 11ª, in quibus veritas ista definitur.

xli. Probatur 3º, quia ex historiis nulla est mentio ullius rei, quæ existerit, aut quidpiam fecerit, ante octo mille annos: ergo tunc dicendum est mundum incepisse; alioqui non apparet, cur illi alii, qui tunc fuerunt, non fecissent ullam mentionem

tionem istorum in temporum præcedentium; ergo, &c.

XLII. Objicies tamen ex Averroë, à voluntate Dei antiqua non potest procedere actio nova, quæ non est; quia non est, cur uno potius tempore, quam alio procederet, ergo neque à Deo, qui fuit ab æterno, potest procedere productio mundi in tempore tantum.

XLIII. Respondeo 1^o Retorqueri argumentum in voluntatem, quæ Deus adhuc singulis horis homines vult generare, & sic de cæteris, quæ sicuti de novo in dies fiunt, ita de novo potuit aliquando mundus fieri.

XLIV. Respondeo 2^o mundum non esse à voluntate Dei, quæ antiqua & in æternitate prout præcedenti, sed à voluntate Dei quæ æquivalenter nova, & in æternitate Dei prout præsentem, de quo ex professo Theologi.

D V B I V M I V.

An mundus sit in æternum duraturus.

R E S O L U T I O I.

XLV. Dico 1^o Mundus, saltem quoad corpora cælestia, animas rationales & mate-

riam primam, est in æternum duraturus.

XLVI. Probatur, quia illa per creationem conaturaliter produuntur & conservantur, in quam creatura nihil potest, ergo, &c.

R E S O L U T I O I I.

XLVII. Dico 2^o hic mundus, sic est igne immutandus juxta illud 2^a. Petri ultimo: Cæli autem & terra, qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, &c. Et infra: Adveniet autem dies Domini ut sur, in quo Cæli magno impetu transierint, elementa vero calore solvantur: terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur; cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, &c. ut tamen de fide sit cælum & terram esse in se, simili aut perfectiori in æternum mansura. ita Augustinus 20^o. de Civit. cap. 14^o. Gregorius lib. 17. Moral. cap. 1^o. prima pars patet. Probatur secunda ex eadem Epistola Petri, & eodem capite, novis vero Cælos & novam terram secundum promissa ipsius expectamus. Sed clarius Apoc. 21. Vidi cælum novum, & terram novam; primum enim cælum, & prima terra jam abiit.

DISPUTATIO TERTIA.

De Natura, Numero & Motu Cælorum.

I. **Q**uia perfectè cognosci non potest natura cælorum, an simplices, an compositi sint, nisi prius explicetur quid corpus simplex. Sit

D V B I V M I.

Quid sit Corpus simplex, & an possibile.

II. **A**nte Resolutionem, Suppono Corpus simplex multipliciter sumi: primo prout opponitur corpori simplici completo: secundo prout opponitur corpori composito ex materia tamquam potentia, & forma tamquam actus; sed clarum est per corp^u hic non intelligi illud, quod constat partibus, quarum una se habeat per modum potentia, altera per modum actus; sed quod sit substantia completa nullam includens distinctionem partium essentialium, licet habeat partes integrales: ita, ut sicuti datur substantia spiritualis completa Physicè simplex, v. g. Angelus, ita sit dabilis substantia corporalis, sive corpus completum, Physicè simplex. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

XI. **D**ico, possibile est corpus completum simplex, id est, non constans materia & forma substantiali. ita D. Thom. in 2^{um} distinct. 12. quæst. 1. art. 1^o. ad 3^{um}. Scotus in 2^{um} distinct. 14. quæst. 2. Durandus in 2^{um} dist. 12. quæst. 2. Gabriel & Major ibidem, Suarez Disp. 13. Metaph. sect. 10. num. 8. Arriaga, Oviedus, & Comptonus hic contra Hurtadum, Ruyium & alios.

iv. Probatur 1^o, quia possibile est spiritus completus simplex, licet detur incompletus, ut anima

rationalis, ergo & corpus completum simplex, licet detur incompletum, ut materia prima: consequentia tenet à pari: antecedens est certum.

v. Probatur 2^o, de facto datur anima corporea simplex æquivalens in perfectione animæ vegetativæ tantum, & animæ sensitivæ tantum, uti est anima equi in communi sententia; ergo & unum corpus simplex æquivalens in perfectione materiæ primæ & formæ materiali substantiali: Probatur consequentia, quia si talis æquivalentia ad perfectiora de facto detur, à fortiori ad imperfectiora possibilis est, ergo, &c.

vi. Confirmatur. Nihil Deo negandum, quod apertam repugnantiam non involvat, ut sæpius vidimus, ergo, &c.

vii. Objicies 1^o tale corpus esset materiale & immateriale; sed hoc implicat, ergo, &c. Probatur major, esset materiale, quia esset quantum, & haberet partes extra partes, ut supponitur, & esset immateriale, quia careret materia.

viii. Respondeo distinguendo majorem, esset materiale & immateriale eodem respectu & contradictoriè, nego majorem; diverso respectu & non repugnanter, concedo majorem: diceretur ergo materiale prout esse materiale idem est, quod habere partes extra partes; non verò prout materiale idem est quod constans materia tamquam comparte corporis Physici; sic enim non diceretur materiale, sed potius immateriale; uti nec immateriale diceretur, si immateriale esset idem, quod non habens partes extra partes, idem quod incorporeum, &c.

ix. Objicies 2^o, tale corpus, nec esset materia, nec forma, ac consequenter, nec potentia, nec actus, nec compositum; unde non apparet, quid esse possit.

x. Respondeo, si per actum intelligatur forma, non debere quidem dici actum; si tamen per actum intelligatur actus substantialis completus, sive simplex substantia, sic posse dici actum, prout Deus & Angeli actus dicuntur.

xi. Objicies 3^o. tale corpus esset perfectius animâ rationali, quæ est incompleta, & dicit ordinem ad materiam, ergo, &c.

xii. Respondeo distinguendo assumptum, esset perfectius secundum quid, sive quatenus ens completum, concedo assumptum; absolute, nego assumptum; quia esset imperfectius in genere entis, cum sit corpus, illa verò spiritus; alioqui revera sequeretur lapidem esse animali rationali in esse entis perfectiorem, quod nullus dixerit.

xiii. Objicies 4^o. non potest dari corpus sine principis Physicis & partibus essentialibus corporis; ergo nequit dari corpus completum simplex, sive non compositum ex materia & forma principis Physicis.

xiv. Respondeo distinguendo assumptum, non potest dari corpus compositum, de quo Aristoteles in Physica, sine principis Physicis & partibus essentialibus corporis compositi, concedo assumptum; corpus ut sic, vel, prout est alterum membrum dividens corpus in compositum & simplex, nego assumptum.

xv. Objicies 5^o. non potest dari substantia creata incapax formæ accidentalis; ergo nec substantia corporea incapax formæ substantialis.

xvi. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in Angelos; non potest dari substantia creata incapax formæ accidentalis, ergo nec substantia spiritalis incapax formæ substantialis.

xvii. Respondeo 2^o id non requiri, sed sufficere, quod possit dari substantia æquivalens subjecto & accidenti, prout dari posse patet in sententia identificante quantitatem materiæ, & potentias animæ; ex quo sic arguuntur, potest dari substantia æquivalens accidenti & subjecto, ergo & alia æquivalens materiæ & formæ corporeæ.

xviii. Objicies 6^o. quantitas est proprietas materiæ: vel ergo tale corpus simplex haberet quantitatem? & sic haberet materiam; quia ubi proprietas, ibi essentia; vel non haberet? & sic non esset corpus, quia non datur corpus non quantum.

xix. Confirmatur 1^o ex P. Hurtado loco citato supra: quantitas est accidens per se ordinatum ad formam substantialem; ergo connaturaliter non potest reperiri, nisi ubi potest reperiri forma substantialis, & consequenter materia prima.

xx. Confirmatur 2^o, quia sicut Cælum non est capax caloris, quia non est capax formæ ignis, ad quam calor per se ordinatur; ita illud corpus simplex non est capax quantitatis, quia non est capax materiæ, ad quam quantitas per se ordinatur; repugnat autem, ut dixi, corpus non quantum, ergo, &c.

xxi. Respondeo negando assumptum, quia quantitas dividitur in quantitatem corporis completi simplicis, & corporis incompleti, prout rationalitas dividitur in rationalitatem spiritus completi simplicis & spiritus incompleti. Vnde Tract. 1^o Disput. 1^o. de materia Dub. 7. aliam materiæ proprietatem assignavimus.

Ad primam Confirmationem

xxii. Respondeo negando antecedens, & Ratio jam data est.

Ad secundam Confirmationem

xxiii. Respondeo esse disparitatem, quod Cælum per se non sit identice realiter calor, prout corpus simplex per se identice est realiter quantitas: deinde falsum supponitur, videlicet quantitatem esse materiæ proprietatem, prout calor ignis, cujus oppositum jam ex dictis, tum in Logica, tum loco paulò ante citato, patet: denique multa sunt capacia caloris, quæ non sunt capacia formæ ignis, ut patet in aqua: unde, etiam quoad Cælum, falsum assumitur.

xxiv. Instabis, ex immaterialitate sequitur rationalitas, & aliunde corpus simplex esset ens completum, ergo esset perfectius animâ rationali.

xxv. Respondeo negando assumptum, & contrarium patet in gratia, fide, spe, & charitate; imò nequidem ex immaterialitate substantiali negativa, qualis tantum esset corporis istius simplicis completi, sequeretur rationalitas, magis quam ex negatione materiæ; licet sequeretur ex immaterialitate positiva substantiali, sive spiritualitate substantiali; ut consideranti patebit.

xxvi. Objicies ultimo; esse est propter operari; sed illud corpus nullum posset habere operari, ergo, &c. Probatur minor; non transiens, quia illud est ad producendum sibi simile, quod non posset, quia per creationem producitur; neque immanens, quia non esset vivens, nec aliud suppetit, ergo, &c.

xxvii. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem primam Respondeo, quod posset habere operari transiens; quia operari transiens non necessario est ad operandum sibi simile in substantia, sed proportionatum agenti ut quo, ut in aqua calida patet, quæ calcifacere dicitur, non ut aquam sibi similem producat, sed ut aquam, sicut uti est, calidam faciat: deinde axioma hoc, agens transeunter agit, ut assimilet sibi passum, hoc modo distingui debet, agens transeunter agit, ut assimilet sibi formaliter aut virtualiter tali passum, verum est; sibi formaliter tali tantum, falsum est; quia quod sol ad generationem formarum auri, gemmarum, &c. concurret, inficiabitur nullus; quis tamen asseret tunc solem agere ad assimilandum sibi formaliter tali passum? posset insuper habere operari immanens quoad suas proprietates, licet non foret vivens, ut patet in aqua, igne, & ceteris corporibus inanimatis; an autem illud posset esse vivens? quidquid P. Hurtadus, non videtur posse negari; quia licet fortè non posset ab intrinseco vegetare, omnino tamen progressivum & sensitivum esse posset, ad quæ vegetatio omnino est impertinens: imò etiam vegetare posset, non quidem per transmutationem substantialem alimenti introsumpti in propriam substantiam; quia illa deberet esse annihilatio; sed per unionem corporis simplicis alimenti per introsumptionem alterati ad propriam substantiam.

D V B I V M I I.

An Cælum sit Corpus Completum simplex.

R E S O L U T I O

xxviii. **D**ico, sive attentâ autoritate, sive attentâ ratione, dubium & incertum est, an Cælum sit corpus completum simplex.

plex, an corpus ex materia & forma compositum, est contra Scotum in 2^m dist. 14. art. 2. & Scotistas, ac plurimos alios.

xxxix. Probatür prima pars, quòd fortè sit corpus completum simplex ab autoritate; quia imprimis Cælum empyreum significari hic per Cælum, in principio creavit Deus Cælum & terram, per vulgata est apud Theologos interpretatio (inquit sanctus Hieron. libro 1^o. in Genesim) jam enim annis ab hinc nongentis, à plerisque Theologis recepta & probata est, imò per Cælum ibi significari reliquos Cælos, est Sancti Hieronymi Epistola 39. ad Cyprianum, Sancti Basili homilia secunda in Exam. quos sequuntur PP. Suarez Metaph. Disputat. 13. sect. 11. num. 26. & Comptonus hic, idque mihi cò verisimilius, quòd Psalm. 101. id quod in Genesi loco citato dicitur in singulari, in plurali numero dicatur, inisio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli. Vnde præcitatus P. Suarez num. 27. dixerat, ex divinis scripturis colligi non posse, Cælos esse factos ex materia elementorum. ita etiam Durandus, Gabriel, Aureolus, Bassolus, &c.

xxx. Subsumo: atqui ex illis, ut minus sequitur Cælos non esse ex materia elementorum, nec aliunde est fundamentum dicendi, quòd sint compositi ex materia & forma, magis, quam corpus simplex, ergo, &c.

xxxi. Probatür prima pars, quòd fortè non sit corpus completum simplex ab autoritate; quia (præterquam quòd multi PP. à Saliano tomo 1^o die 2^a & 4^a. citentur, qui docent Cælos ex aqua factos) Genes. 1^o. 26. & 30^o. aër nomine Cæli exprimitur. 2^o Regum 22^o. Cælum significatur esse regio nubium. Paralip. 2^o cap. 7^o. & Iob 1^o. Cælum significatur esse ignitum; atqui aër, nubes, ignis, &c. quædam sunt composita ex materia, & forma; ergo, &c.

Dices Cælos tantum esse ignitos, aëreos, &c. virtualiter aut secundum eorum qualitates.

Respondeo primò non esse conforme menti Ecclesiæ, cò quòd scriptura accipi debeat in proprio sensu, quamdiu ex eo, quòd sic accipiatur absurdum nullum sequitur. Adde hanc sententiam esse hodie valde communem; eamque sequuntur, post multos antiquos, Capreolus, Soncinas, Conimb. Murcia, Hurtadus, Tannerus, Arriaga, Oviedus, &c.

xxxii. Confirmatur, quia circa hanc difficultatem vel ipsa mens Aristotelis est obscura; 8^o. quidem Metaph. textu 14. ait, neque omnium est materia, sed quorumcumque generatio, & transmutatio invicem sunt. Tenet autem Cælos esse intransmutabiles & incorruptibiles; ac proinde eorum non esse materiam 1^o. de Cælo, ubi docet Cælum esse quoddam singulare & materia constare, ergo, &c.

xxxiii. Probatür secunda pars, quòd fortè sit corpus simplex, à ratione, quia nulla ratio efficax adferri potest pro utraque parte, ergo, &c. Probatür antecedens solutione rationum, quæ pro utraque parte adferuntur, quæ facilis est, si pro una parte supponatur esse possibile corpus completum simplex, & cælos esse incorruptibiles; sic enim nullum erit indicium materiæ in Cælis; & pro altera dicatur cælos, excepto empyreo, esse corruptibiles, nec esse rationem, cur scripturæ loca pro secunda parte, quod non, ab autoritate supra citata improprio sensu intelligantur: hinc enim

patet in eis esse debere tale fundamentum vicissitudinis, quale est in sublunariis, ergo, &c.

D V B I V M I I I.

An materia Cælestis sit specie distincta à sublunari.

R E S O L U T I O I.

xxxiv. Dico 1^o. si Cæli sint Corpus simplex completum; quod dubio præcedenti tamquam probabile resolutum est, clarum est materiam cælestem specie distingui à sublunari.

R E S O L U T I O I I.

xxxv. Dico 2^o. si Cæli sint corpus compositum ex materia & forma, quod ibidem etiam probabiliter resolutum est, an materia Cæli empyrei sit specie distincta à materia sublunariis, est dubium & incertum; cæli verò syderei & aërei sunt ejusdem speciei.

xxxvi. Probatür prima pars, quia nullà Physicâ aut Mathematicâ experientiâ, aut ratione, cælum empyreum attingitur, nec de illo scriptura distinctè loquitur, ergo, &c.

xxxvii. Confirmatur, licet cælum empyreum esset incorruptibile, ut docet S. Clemens, vel (ut alii) S. Petrus, apud ipsum lib. 2^o recognitionum; non ideo illis materia esset à nostrate specie distincta, ut parte 1^a. Disput. 2^a. dubio ultimo vidimus, ergo, &c.

xxxviii. Probatür secunda pars, quia Cæli syderei & aërei constant ex materia elementari, igne scilicet & aëre, ergo, &c. antecedens pro prima parte est Augustini, Basili, Ambrosii, Theodoreti, Anselmi, Chrysostomi, Iustini, Bedæ, & aliorum: secunda pars verò manifesta est ex scriptura, quæ continuo clamat, volucres cæli, volatilia cæli, &c. ubi per Cælum, aëreum intelligitur: scripturas autem habes dubio præcedenti citatas: unde meritò P. Poncius hic Disputat. 1^a. quæst. 2^a. ait, quòd cælum sit aliquod ex elementis, aut mixtum illis constans, erat communis apud alios Philosophos ante Aristotelem, cui sententiæ favent multi ex SS. Patribus, quos in eo sensu citat, & sequitur Camerarius p. 2^a. q. 4^a. quare Cælum infimum constat ex aëre; medium, ubi astra & planeta, igne: supremum est empyreum, de cuius substantia dubium est.

xxxix. Objicies 1^o. Cæli moventur circulariter, non elementa, 2^o terra est gravis, unde non movetur sursum; ignis est levis; unde non movetur deorsum; Cæli, utpote in motu continuo circulari, modò sursum, modò deorsum, unde elementa deberent esse extra locum naturalem. 3^o si cælorum aliquod esset terra, aut aër, aut aqua, deberet comburi nimio solis ardore. 4^o si Cælorum aliquod esset ignis, cur Universum non combureret? cur hyeme frigus sentiretur, &c.

xl. Respondeo ad primum Cælos moveri circulariter à virtute motiva intrinseca, prout viventia, licet communissimè gravia, ab ea moventur. Respondeo ad secundum in terra, igne, &c. sublunariis deesse qualitatem illam motivam primò à Deo in materia cælorum productam, eodem modo, quo in materia terræ primò forma terræ à Deo

à Deo producta est, id est, præter illius exigentiam intrinsecam, & ex puro Dei beneplacito. Ad tertium, non apparet, quomodo si cælum esset terra, deberet potius comburi ardore solis, quam tota terra de facto comburi debeat ardore scintillæ; quia major est magnitudinis differentia inter solem & Cælum, quam inter totam terram & scintillam. Ad quartum, Respondeo à Cælo isto igneo Univerſum sublunare non comburi, quia quod cælum illud majus, eò magis ab Univerſo sublunari distat; quod magis autem distat, eò magis minuitur ipsius in Univerſum sublunare activitas, unde cum multum ab Univerſo sublunari distet, in eo parum sentitur illius activitas.

XLII. Objicies 2^o ex P. Ponce hinc Disputat. 51. quæst. 2. Cælum non potest esse ignis, quia humectat & frige facit; non aqua, quia calefacit; non aër, quia utrumque facit; ergo, &c.

XLIII. Respondeo 1^o istos effectus à nobis in hoc Univerſo sublunari, non ab astro uno tantum sentiri; sed modò ab uno, modò ab alio, modò magis ab uno, & minùs ab alio, prout fuerint nubium interposita obstacula; supra aërem enim etiam esse aquas, satis colligitur ex scriptura: *Fiat firmamentum & dividat aquas ab aquis.* Gen. 1^o. *qui ligat aquas in nubibus suis.* Job. 26. quod autem scriptura dicat: *Deum posuisse stellas in firmamento*, nihil obstat, quia de firmamento syderei cæli loquitur, non aërei, de quo ibi.

XLIII. Respondeo 2^o effectus istos esse ab astris, qui sunt corpora ex elementis mixta, ut constat, ex eo quod sint colorata; nam Luna est pallida, Mars igneus & sanguineus, &c. illa autem accidentia sunt propria mixtorum, & cum non sint una ex primis qualitatibus elementorum, eas præsupponunt, licet alia in gradu intensiori alia in remissioni, pro qualitate suæ activitatis.

D V B I V M I V.

An Cæli sint Corruptibiles.

R E S O L U T I O I.

XLV. **D**ico 1^o Cælos esse incorruptibiles, etiam ab intrinseco, dato ex dictis Dub. 3^o, quod sint corpora simplicia, manifestum est: an Cælum empyreum sit incorruptibile, etiam dato, quod sit compositum, sed quod dubium sit, an constet materiâ sublunari ejusdem speciei cum nostrate? Verisimilius est, quod sic, quia dicitur, ex S. Petro, apud Clementem lib. 1^o recognitionum, *esse perpetuum & æternum.*

R E S O L U T I O II.

XLVI. **D**ico 2^o Cæli alii ab empyreo sunt corruptibiles, dato quod sint compositi ex materia & forma. ita Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Damascenus, Irenæus, Cyrillus noster Hierosolymit. Hugo Victorinus, Beda, & alii plures, quos citat Pererius in cap. 1^{um}. Genes. item ex Astronomis Tycho, Rothmanus, Borcanzanus, & plures alii, quos sequitur Doctissimus Fromond. lib. 3^o. *Methodorum* art. 7^o. à Lapide in Gen. cap. 1^o.

XLVII. Probatur 1^o ex Scriptura, Petri Epistolâ 2^a, cap. ult. *Cæli qui nunc sunt & terra, eodem ver-*

bo repositi sunt, igni reservati in diem judicii & perditionis. Et infra: *Adveniet dies Domini ut sur in quo cæli magno imperu transierint, elementa vero calore solventur, terra autem, & que in ea sunt opera exurentur.* Et infra: *Cæli ardentis solventur, & elementa ignis ardore tabescent; novos vero cælos & novam terram expectamus.* Item Isaia 51. *Cæli sicut fumus liqueſcent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Et cap. 65. *Ego creo Cælos novos, & terram novam.* Et cap. 30^o. *dixerat, erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum.* Et in Psalmo 101. *Initio tu Domine terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt Cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes; & omnes sicut vestimentum veterascent; & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Et Apocal. 21^o. *Vidi Cælum novum, &c. ergo, &c.*

XLVIII. Probatur 2^o ratione, variæ contingunt generationes & corruptiones in Cælis, ut constat ex certissima mathematicorum observatione, quos, utpote per tot sæcula observationibus & tubis opticis, aliisque instrumentis, certissime collimantes, tutius est sequi, quam Philosophos; qui, propter longissimam distantiam & visus oculorum per se debilitatem facile decipiuntur; nam unicuique magis in sua arte credendum est, ergo, &c. Probatur antecedens 1^o ex maculis & faculis, quæ in solis corpore modò sunt, modò non sunt. 2^o ex eo quod radii solares videantur corpora cometarum pervadere & immutare, sic ut interdum per medium caudæ, interdum aliter appareant. 3^o quia juxta S. Augustinum lib. 21. de Civitate, dicitur stella Veneris mutasse cursum, colorem, magnitudinem: 4^o ex stella Castoræ, quæ apparuit anno 1572. & anno 1574. evanuit. 5^o anno 1602. & 1604. apparuerunt novæ stellæ in Sagittario & pectore Cygni, quarum una dicitur disparuisse; ergo, &c.

XLIX. Confirmatur, vel Cælum fuit toties mutatum naturaliter, vel miraculose? si primum, habemus intentum; si secundum (præterquam quod non sit Philosophicum ad miracula recurrere) nulla apparet utilitas istorum miraculorum, maxime in stellis: & si quæ esset utilitas, ut v. g. terror hominum ad emendationem vitæ; nunquid æquè terrerent homines, vel excitarent ad vitæ emendationem, si naturaliter producerentur, ac si miraculose, quod homines discernere non possunt? denique cur Deus Cælum incorruptibile produxisset, quod toties postea, saltem supernaturaliter, voluit corrumpere? vel ad quid Deus produxisset cælum expers corruptionis, quod aliquando corrumpere volebat?

L. Objicies 1^o Autoritatem Aristotelis, oppositum docentis.

LI. Respondeo ejus autoritatem hinc nihil esse faciendam, putavit enim Cælum esse incorruptibile latè, quod est contra fidem; etsi tamen aliter putasset, plus credendum est uni scripturæ loco, quam omnibus libris Aristotelis, qui in fidei contrariis, ut contradictoria sperni debent.

LII. Objicies 2^o, Cæli per qualitates suas resistunt agentibus circumstantibus, licet contrariæ non sint, sicut videmus opacum luci repugnare, licet ei non sit contrarium.

LIII. Respondeo ad summum inde sequi diffculter admodum posse cælos corrumpi, vel tantum esse incorruptibiles ab extrinseco, sive quia nõ da-

tur

tur agens creatum, quod eos possit corrumpere: sicuti cælum dicitur incorruptibile, ingenerabile in nostra & ipsorum sententia, quia non datur agens, quod possit novum cælum generare: id autem tantum sequi, probatur, quia resistentia illa est limitata, & vis agendi naturalis potest semper crescere; unde & resistentiam illam superare potest: ideo autem opacum luci repugnat, quia contrariatur diaphaneitati, quam in subiecto requirit lux, utpote inter qualitates valde nobilis.

LIV. Instabis, Cælo nihil est contrarium, ergo, &c. Probatur antecedens, quia motui circulari nullus alius est contrarius, ergo, &c.

LV. Respondeo negando anteced. ad ejus probationem, dato antecedente, nego consequentiam; licet enim demus motui circulari nihil esse contrarium, non tamen sequitur nulla alia accidentia cælo competere, quæ habent contrarium.

LVI. Objicies 3^o: sicuti datur materia, quæ virtute agentis naturalis per similem materiam penetrari non possit; ita forma datur, quæ virtute agentis naturalis corrumpi non possit, illaque rectè assignatur forma cælorum; ergo, &c.

LVII. Respondeo 1^o. argumentum illud, vel nimium probare, videlicet formas omnes esse incorruptibiles, prout de facto omnis materia est impenetrabilis, vel ut summum convincere unam formam esse incorruptibilem, & illam dicemus esse materiam 1^{am}.

LVIII. Respondeo 2^o. inde sequi formam esse secundum diversas partes integrales incorruptibilem, quia infra ostendemus materiam 1^{am} secundum aliquas partes integrales esse virtute agentis naturalis penetrabilem.

LIX. Respondeo 3^o negando sequelam, & ratio disparitatis est, quod impenetrabilitas materiae non pendeat à dispositionibus incorruptibilitibus, uti inseparabilitas formæ à materia, ac per consequens incorruptibilitas; non probatur autem dispositiones ad formas cælorum esse incorruptibiles.

IX. Objicies 4^o. omnes cælorum mutationes in Conclusionis probatione enumeratæ, omnino videntur miraculosæ, quia frequentissimè futura prænantiant, ergo, &c.

LXI. Respondeo, licet fortè earum aliqua sint miraculosæ; id enim non repugnat, neque à nobis certè deprehendi potest; tales tamen agnosci non debent antequam in illis effectum aliquem supra naturam deprehendamus: neque id sequitur ex eo quod Dionysius lib. de divinis Nominibus cap. 4^o. dicat cæli substantiam, nec augeri, nec minui, sed nec profus mutari; quia vel ly nec significat idem, quod non nisi difficulter; vel Dionysius loquitur de cæli substantia secundum latitudinem.

D V B I V M V.

An Cæli sint animati.

LXII. **A**nte Resolutionem
Suppono, Cælos non esse animatos, non esse fidei divinæ, ut patet ex Sancto Thoma lib. 2^o contra Gentes cap. 70^o. hoc enim quod dictum est de Cæli animatione, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, sive sic, sive aliter dicatur. Et Scotus in 2^{um} distinct. 14.

quæst. 1^a. Breviter, si cæli non sunt animati, hoc est creditum, non ratione conclusum. Quia nulla est conditio, in corpore illo ita perfecto, manifeste apparens repugnare animationi. imò de Christianis hoc modo scribit P. Comptonus, inter Christianos non defuerunt, qui hoc senserint: imò ipsemet sanctus Augustinus & sanctus Hieronymus dubii hac in re videntur: Origenes verò Tom. 1^o Comment. in Ioannem & lib. 4. Periarchon. cap. 77. stellas non solum animatas esse docet, sed virtutis etiam ac virti capaces, Christumque non pro hominibus tantum, sed pro astrorum etiam peccatis esse mortuum. Dubitat etiam Dionysius Carthusianus in 2. distinct. 14. quæst. 4. Vtrum cæli animati sint, necne. Idem probabile censet Aureolus in 2. distinct. 14. quæst. 2. arbit. 2. & quæst. 3. sicutque eidem opinioni Cajetanus in Psalm. 135. Imò S. Thomas lib. 2. contra Gen. cap. 70^o. & alibi idem sensisse videtur: sed x. p. quæst. 70^o. art. 3^o. opinionem illam retractat.

LXIII. Adde & Doctorem Fromondum de Anima lib. 10. cap. 1^o. art. 80. ubi ait: inter Sanctos Patres, præsertim Latinos, magna olim ea de re etiam dubitatio. Sanctus Augustinus eorum vertex & omnium circumspectissimus, quia nihil usquam resolutè asserere solet, nisi sacris litteris, aut Ecclesie traditionibus expressum, aut certà ratione comprehensum videat, hinc etiam vacillat; nam, nec illud quidem, ait certum habeo, utrum ad eandem Angelorum societatem pertineant. Sol & Luna & cuncta sydera quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur. Alibi tamen aversum magis à Platone inclinationem suam ostendens: Neque Platoni, inquit, continuò concedendum est, globos istos luminum, sive orbiculos, luce corporea super terras, seu die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere. ita Augustinus. Pergit idem Fromondus: Sanctus Hieronymus simili etiam fluctu fluctuat: nam ubi Ecclesiastes ait, Lustrans Univerfa, in circuitu pergit spiritus, dubitat, an ipsum solem, spiritum nominaverit; quod animet, & spiraret & vigeat, & annuos cursus expleat: an quod & luna lucentem globum, & atra Titania:

*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agit at molem, & magno se corpore miscet.*

Hoc enim Poetæ Versus in Commentarium suum attrahit. Verumtamen paulo infra profundè Anathematismum V. Synodi, nempe. Si quis dicit Cælum & solem & lunam & stellas & aquas, quæ super cælos sunt, animatas & materiales (vel potius ut Nicephorus) rationales, Anathema sit. Expendit & subdit; itaque hodie, ut minimum temerarius est, qui cælum & sydera anima rationali prædita esse credit.

RESOLUTIO. I.

LXIV. **D**ico 1^o. Cælum non est animatum animâ vegetativâ.

LXV. Probatur, quia nullæ functiones, aut actiones, vitæ in eo apparent; neque enim crescit, aut augetur, aut sibi simile producit, quæ sunt operationes, ex quibus colligimus animam vegetativam in plantis: nam, quod dicant quidam antiqui cælum nutriri vaporibus ex aqua & terra assumptis, vanum est; quia videmus illos resolvi in pluvias, grandines, &c. deinde tota terra & aqua resoluta non sufficerent pro tanto corpore ad unum diem.

RESQ^o

RESOLUTIO II.

LXVI. Dico 2^o. neque cælum habet animam sensitivam. Probatur, quia anima sensitiva, est etiam vegetativa; sed hanc non habet, ergo nec illam. Deinde in Cælo, aut astris, nulla apparent organa, aut actus animæ sensitivæ, nisi quis Philosophetur Poëticè & ridiculè, dicatque Cælum videre per solem quasi per oculum, audire per polos tamquam per aures, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

LXVII. Dico 3^o. multò minus habet animam rationalem; Probatur quia aliqui esset capax meriti & demeriti, esset in gratia, vel extra, culpâ propriâ, quæ nullus admiserit, unde meritiò in Concilio Lateranensi Capit. *summiter de summa Trinitate*, inter rationales creaturas, soli Angeli & homines numerantur: denique anima rationalis est etiam sensitiva & vegetativa, & valde multa organa requirit, quæ antea in Cælo negavimus.

LXVIII. Objicies 1^o. In scriptura dicuntur cæli laudare Deum, obedire Deo. &c. item Psalmo 135^o. *qui fecit cælos in intellectu*, id est, intellectu præditos.

LXIX. Respondeo nihil ex illis sequi, ad primum, cæli dicuntur laudare Deum tantum materialiter, faciendo scilicet id, ad quod à Deo, & ordinati sunt, & constituti, ad secundum dico locum illi Psalms non cum habere sensum, sed hunc genuinum, *Deus in intellectu*, id est divinâ intellectus sui sapientiâ cælos condidit: vel, Deus cælestia corpora ita procreavit, tamque rarum ordinem, tantam constantiam & proportionem eorum indidit motibus, ac si ea intellectu prædita fecisset.

RESOLUTIO IV.

LXX. Dico 4^o. præscindendo ab autoritate V. Synodi supra citatæ (nisi cum Nicephoro loco *materialis* intelligas *racionales*, idque copulatum, cum verbo præcedenti, *animatas & rationales*) verisimilius est secundum Philosophiam naturalem præcisè cælos esse animatos anima locomotivâ distinctâ à vegetativa, sensitiva & rationali. ita senserunt Plato, Pythagoras, & plures antiqui Philosophi è quibus supplicio affectus est Anaxagoras (teste S. Augustino lib. 18. de Civit. c. 41.) quia contrarium docuit: Ptolomæus & vetustiores Astronomi; Philo Iudæus lib. de opificio mundi; Plinius lib. 2^o. natural. Histor. cap. 8. Tycho in Epist. ad Rothm. Bodinus lib. 5. Theat. Campanella lib. 1^o cap. 13. de sensu, quorum nullus animam cælis negat, licet plerique vegetativam aut sensitivam, &c. illis concedant, quod supra rejecimus.

LXXI. Probatur, illa quæ in centro suo naturali movent se localiter, supra & infra sunt viventia, sive animata; atque cæli sunt tales, ergo, &c. major videretur esse Divi Thomæ 4^o contra gentes cap. 11^o. ubi post Aristotelem ait *viventia sunt, quæ seipsa movent*. nec certè ullus est, qui aviculæ vitam & animam negaret, si in ipsa solum volatum, aliunde certus, quòd ab extrinseco non moveretur deprehenderet: & sic consequenter de serpentibus

super terram, ergo, &c. Probatur minor; quia cæli moventur supra & infra ab intrinseco in centro, sive loco suo naturali, existentes; ut dubio sequenti probabitur, ergo, &c.

LXXII. Confirmatur 1^o. vel dicendum motum progressivum ab intrinseco quæ talem non esse actum vitalem, quod dici non potest, alioqui idem dici à fortiori deberet de sensationibus, vegetativis, &c. vel dicendum cælorum motum localem ab intrinseco pariter esse actum vitalem, ac per consequens animam in ipsis præsupponere.

LXXIII. Confirmatur 2^o. omnis operatio vitalis præsupponit suum principium esse animatum; sed omnis operatio, quæ in nutritivis præsupponit esse introsumptionem alimenti, est vitalis, ut omnes fateri tenentur; ergo motus localis cælorum præsupponit suum principium esse animatum, sive animam locomotivam: Probatur consequentia, quia motus ille in nutritivis ex se præsupponit introsumptionem alimenti.

LXXIV. Objicies 1^o ex D. Fromondo loco suppositione primâ citato, potentia locomotiva animalis non est sine nutritiva, quæ spiritus naturales ei fabricat, quibus tamquam instrumentis membra sua movet: sic enim omnium animalium motus progressivos exerceri videmus; ergo, &c.

LXXV. Respondeo negando consequentiam; quia ex antecedenti ut summum concluditur in cælis non esse potentiam locomotivam similem illi, quæ est in animalibus; non verò nullam esse vitalem; quia, ut vel in Angelis patet, potentia locomotiva ut sic non habet conjunctam nutritivam, imò corpora gloriosa independenter ab ulla nutritione naturaliter ab intrinseco locomovebuntur.

LXXVI. Objicies 2^o ex P. Comptono nullum est vitæ vestigium in cælis, unde gratis, & sine ullo fundamento, vitam iis quis tribuerit. Conf. aliqui pari quis ratione dixerit aërem vivere: sicut autem hoc asserere esset divinare, ita & illud.

LXXVII. Respondeo in illis omnino apparere vestigia animæ locomotivæ, quam solum adstruimus; non verò vegetativæ aut sensitivæ, quam illis omnino negamus.

LXXVIII. Ad Confirmationem, nullus concedit aëri motum ab intrinseco in loco suo naturali, uti cælis plures supra citati.

D V B I V M .VI.

An Cæli per se ab intrinseco: an ab Intelligentiis moveantur localiter.

LXXIX. Ante Resolutionem Suppono sententiam affirmativam pro 1^a parte non nisi temerè à nonnullis temeritiam censeri; quia in primis varii celebres auctores eam defendunt: ac imprimis August. & Hieron. dubio præcedenti citati: Suarez Metaph. Disput. 29. sect. 1^a, & P. Fromond. de Anima lib. 1^o. c. 1^o. art. 8^o. dubii hærent, an non animâ, aut à virtute intrinseca, sicut lapis à sua intrinseca gravitate moveantur. Valentia autem 1. parte Disput. 4. p. 1^a. Vasquez etiam 1^a. parte Disput. 178. cap. 1^o. Raynaudus suæ Theologiæ naturalis dist. 2^a. quest. 1^a. art. 10. & multi alii docent efficaciter non probari dari Angelos ex motu cælorum; quia ab intrinseco moveri possunt, eam autem in terminis tenent

nent Gabriël in 2^{um} dist. 14. quæst. unicâ art. 3^o.
dub. 2^o. Vallesius controu. II. & 26. Albertus à
Saxonia 8. Physic. quæst. ultimâ. Guilielmus Pari-
sienfis parte 2^a. cap. 152. Camerarius Disp. 25.
Telles hîc, &c. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

LXXX. **D**ico 1^o. Spectatâ præcisè autoritate
communi, & suadente non nihil ratio-
ne, probabilius videtur cœlum moveri ab Angelo.

LXXXI. Probatum 1^o. ab autoritate communi.
est apertè Aristotelis 8^o. Physic. cap. 6^o. & 12^o.
Metaph. textu 43^o. est etiam D. Thomæ variis lo-
cis, ac in primis opusc. 10^o. art. 3^o. ita dicentis, *sed*
cœlestia corpora à spirituali creatura moveri à nemine
authorum, vel Physicorum, negatum legisse me memini,
deinde de potentia quæst. 6^a. art. 3^o. in corpore
de Angelis loquens dicit, *fidei sententia est, quod non*
solum corpora cœlestia suo imperio moveant localiter, sed
etiam alia corpora Deo ordinante.

LXXXII. Eandem quoque sententiam sequitur
Bonaventura in 2^{um} dist. 14^a. q. 2^a. art. 3^o. quam
fidei in primis & rationi consentaneam vocat, ubi
referens quosdam asserentes cœlos moveri à prop-
ria forma, & ut videtur intelligere mediante luc-
ce, dicit eos tandem eo debere recurrere, ut Deus
illam formam peculiari influxu iuvet; quare oppo-
sitam tanquam opinionem Magistrorum, tam in
Philosophia, quam in Theologia, amplectitur.

LXXXIII. Confirmatur, in eandem opinionem
abierunt SS. Patres, Dionysius cap. 5^o. cœlestis
hierarchy, S. Augustinus 3^o. de Trinitate cap. 4^o.
ubi dicit sicut inferiora corpora per superiora, ita supe-
riora per spiritum vitæ quodam ordine regi.

LXXXIV. Adde pro eadem facere illud Iob 9^o.
sub quo curvantur, qui portant orbem, id est Angeli,
qui suo nutu cœlestem mundum circumvehunt, uti
est quorundam interpretatio; ex quibus omnibus
sic infero, ergo spectatâ præcisè autoritate, pro-
babilius est cœlum moveri ab Angelo. rationes,
quæ id non nihil suadent, obijciuntur contra se-
quentem Resolutionem.

RESOLUTIO II.

LXXXV. **D**ico 2^o. Spectatâ præcisè ratione, lon-
gè probabilius est cœlos moveri ab
intrinsicco.

Probatum à causa libera, cum necessariò movean-
tur, eos moveri non expedit; & alimde ipsos mo-
veri ab intrinsicco non repugnat, ergo, &c.

LXXXVI. Confirmatur 1^o. alioqui non est cur si-
militer non dicam lapidem in centrum à Deo aut
Angelis moveri, item motum progressivum ani-
malium, ab illis & non ab animabus intrinsiccis esse;
si enim propter experientiam, motus illis tanquam
ab intrinsicco sese moventibus tribuatur, quidni
& cœlis? ergo, &c.

LXXXVII. Confirmatur 2^o. quia scriptura magis
nostræ sententiæ favet, quàm oppositæ, quia Iosue
1^o. datur soli & lunæ imperium ne moveant se, non
autem Angelis ne solem & lunam moveant, quod
alioqui fieret: locus verò ex Iob 9^o. *sub quo curvan-*
tur, qui portant orbem, quem adversarij pro se citant
melius de primis hujus mûdi inferioris Monarchis
cum Beda, Dydimio, Cajetano, Symmacho, Pagi-
nino, Vatablo & aliis intelligitur quàm de Angelis.
S. Thom. autem q. 9. de potentia art. 3^o. dicens, *fi-*
dei autem sententia est, quod non solum Angeli corpora

R.P. Francisci Bone Spei Physica.

cœlestia suo imperio movent localiter, sed etiam alia cor-
pora, Deo ordinante & permitte: solum commendat
Angelorum autoritatem & superioritatem ad illa
corpora sibi subiecta, quoad motum enim *illis sub-*
jecit Deus orbem terra. per quod actio terrenorum
ab intrinsicco non impeditur, ut patet, ergo, &c.

LXXXVIII. Obijciens, si motus cœlorum esset ab
intrinsicco, illis esset naturalis, sive juxta inclinatio-
nem eorum naturalem; sed hoc est falsum, ergo,
&c. Probatum minor, quia, ut notat P. Poncius hîc,
locus quem hodie habet sol, non cedit ullâ ratione
in emolumentum ipsius, ergo, &c.

LXXXIX. Resp. negando minorem, ad ejus pro-
bationem Resp. motum illum cedere in solis emo-
lumentum, prout perfectio naturalis cedit in emo-
lumentum sui subiecti.

LXXXX. Instabis, si motus ille esset ab intrinsicco,
esset vitalis: sed hoc est falsum, ergo, &c. Probatum
minor, quia solus ille motus est vitalis, qui est indif-
ferenter versus omnem partem, alioqui motus la-
pidis in centrum esset vitalis: motus autem cœlo-
rum non est indifferenter versus omnem partem,
sed ab Oriente in Occidentem tantum, ergo, &c.

LXXXXI. Resp. negando minorem, ad ejus pro-
bationem Resp. in primis quod movetur circulari-
ter merito censeri versus omnem partem moveri:
deinde Resp. signum vitæ non tantum esse moveri
indifferenter versus omnem partem, sed moveri
supra & infra ab intrinsicco, in loco naturali; quod
enim aliqui dicunt magnetem in centro moturum
se ab intrinsicco versus Meridiem & Septemtrio-
nem: nec experientia, nec ratio suadet motum lo-
calem magnetis fieri in loco naturali, licet fiat ad
locum naturalem impressæ sibi ab extrinsicco qua-
litate ad eum ferè modum, quò acus nautica magne-
te attrita movetur, sive quò fit fluxus & refluxus ma-
ris: si tamen ita esset, putarem & illi animam con-
cedendam, ferè similem illi, quam Cœlis concedi-
mus, ne pro motu isto ad Deum & Angelos re-
currere oporteat.

D V B I V M VII.

An Cœli sint fluidi an solidi.

LXXXII. **A**nte Resolutionem
Suppono 1^o. solidum hîc accipi
prout opponitur fluido, sive liquido, quomodo la-
pis aëri, cristallum aquæ opponitur.

LXXXIII. Suppono 2^o. dubium non procedere;
1^o. de cœlo empyreo; quia, nec ab autoritate, nec
ab experientia de illius soliditate, aut fluiditate ul-
lum iudicium habetur: 2^o. neque etiam de cœlo
aëreo, quia experientia docet esse fluidum.

LXXXIV. Suppono 3^o. injustam esse censuram,
quâ soliditatis cœlorum assertores, oppositæ sen-
tentiaæ authores, ut temerarios & nulla ratione ful-
tos, rejiciunt, cum fortè in ipsosmet eadem censura
retorquenda sit, ut infra patebit. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

LXXXV. **D**ico. sive cœlum planetarum, sive
firmamentum, est fluidum. sic nempe
ut astra in illo moveantur, ut aves in aëre, in a-
qua pisces.

LXXXVI. Probatum 1^o. autoritate scripturæ I-
saiæ 5^o. *cœli sicut cera liquecent,* quem locum 70. In-
terpretes exponunt *cœlum sicut fumus firmatum est;* de
qua interpretatione interrogatus S. Hieron. cur ita
B b translaturum

translatum esset, cum habeatur in Hæbreo liquefactum, Respondit illos ita vertisse, ut ostenderent qualitatem cælestis corporis. & Basilii in exam. hom. 1^a. sed de substantia cæli satisfaciunt ea nobis, quæ ab Isaiâ Prophetâ sunt dicta, qui vulgariis verbis idoneum de ipsius natura sensum nobis aperuit, cum dixit, qui firmavit cælum, quasi fumum, id est, qui tenuem naturam, nec solidam, neque crassam ad cæli compositionem, & substantiam producit, &c.

LXXXV. Probatur 2^o. quia non possunt ullæ maculæ solis cum cæli soliditate consistere: item cum illa vix explicari possunt, tam varii planetarum motus; modò infra, modò supra solem; item motus novorum cometarum, nisi pro singulis cometis & planetulis, qui Indies ope tubi optici deteguntur, novos cælos somniare velis, ergo, &c.

LXXXVI. Objicies 1^o. illud Iob. 37^o. tu forsitân cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt, & Psalmo 32. verbo Domini cæli firmati sunt. Psalmo 101. extendens cælum sicut pellem. quæ confonant alteri loco ex Genesis 1^o. ubi dicitur Deus divisisse aquas ab aquis per firmamentum medium; atqui scriptura debet sumi in sensu proprio, ubi sine absurdo potest, ergo, &c.

LXXXVII. Respondeo in primis ista non esse verba Iob, sed Eliu de quo Dominus dixit, quis est hic involvens sententias sermonibus imperitis? Iob cap. 38. deinde ly solidissimi non accipitur prout opponitur fluido aut liquido, alioqui videretur esse contradictio in terminis scripturæ: in qua dicuntur solidissimi & quasi ære fusi, id est, quasi æs fustum, quod est fluidum ac liquidum; sed prout opponitur fluidis ac liquidis minùs ære fuso solidis, sive rarioribus, qui sensus videtur omnino literalis & ad mætem septuaginta Interpretum ac Patrum supra citatorum: quoad aquas istas: vel ibi miraculosè à Deo supra exigentiam suæ naturæ continentur, vel dicendum cælos esse sibi immediatè contiguos sine ulla aquarum elementarium inter-jacentia: ita D. Thom. in 2. dist. 14. q. 1. art. 1^o. & 1^o. parte q. 68. art. 2^o. item Rubius de cælo c. 3^o. q. 7. Suarez. de opere sex dierum lib. 2^o. c. 4^o. & plures alii.

c. Objicies 2^o. si Cælum esset fluidum, deberent planetæ in illo esse penduli, & dum moverentur, summum ederent strepitum, contra experientiam, ergo, &c.

ci. Respondeo planetas non propriè dici pendulos, quia sunt in loco naturali: deinde quoad strepitum istum, hinc audiri non potest, si fiat, quod est valde incertum, quia à nobis longissimè distât.

D V B I V M VIII.

Quot sint Cæli & astra.

cii. Diverissimæ sunt in hoc puncto Astronomorum, & Philosophorum antiquorum sententiæ: prima, eaque communior, undecim statuit, septem scilicet inferiores pro planetis septem, quos Astronomi vocant astra errantia, eò quòd non semper eandem distantiam inter se servant; unum, illudq; octavum, pro stellis fixis; nonum primum mobile; decimum glaciale; undecimum empyreum, pro quibus videri poterunt Ioannes de Sacrobosco, Clavius, Maginus, Appianus, &c. Secunda Magini triginta septem præter epicyclos. Tertia Basilidis Hæresiarchæ trecentos & amplius, sic quisque pro suo captu & libito: ut tamen hac in re obscura, clarius aliquid dicamus; sit

RESOLUTIO I.

ciii. Dico 1^o. sunt tantum tres cæli, æreum, sive, ut aliis placet, æthereum, sydereum & empyreum. Pro hac sententia P. Borrus in sua Astronomia nova fol. 260. citat Augustinum Ambrosi, Damasci, Theodoretum & alios.

civ. Probatur 1^o. ex Apostolo secundæ ad Corinth. 12. ubi dicit se raptum ad tertium cælum, id est empyreum; non verò cælum Veneris (ut nonnulli;) quia paulò post addit se raptum in paradysum Dei; atqui empyreum secundum omnes est omnium altissimum, ergo sunt tantum tres cæli, ipsum scilicet, & duo in ipsum.

cv. Probatur 2^o. quia multitudo parit confusio-nem, præsertim ubi per pauciora fieri potest totum, quod volunt antiquiores Astronomi & Philosophi per illos plures cælos fieri; quod sit in nostra opinione de cælorum fluiditate, & astrorum ac cælorum motu ab intrinseco, ergo, &c.

cv. Objicies 1^o. autoritatem Aristotelis aliter sentientis; deinde Theodreti, qui vult eos fabulis adhærescere, qui plures cælos numerant, quâ duos.

cvii. Respondeo autoritatem Aristotelis, non ita attendi; quia in Libris de cælo pluries erravit; Theodoretus verò (præterquam alii cum pro se citent) loquitur de cælis infra cælum empyreum ad quos Astrologi per tubum opticum peringere possunt, qui duo tantum sunt, & cum aliunde empyreum procul dubio agnoscat, tres tantum nobiscum (ut patet) agnoscit.

RESOLUTIO II.

cviii. Dico 2^o. Planetæ ordinariè septem numerantur hoc versu comprehensa,

Cynthia, Mercurius, Venus, Sol, Mars, cum Iove Saturnus.
de quibus hæc rectè P. Telles p. 2. de cælo disp. 45. circa planetas paucula sunt reponenda. Primum igitur, infimum, terrisq; amicium, ut vicinum, sidus est Luna, quæ cursum suum peragit diebus viginti septem, horis octo: sequitur deinde Mercurius, qui solem individuo junctus consortio ambit, & propterea eodem ferè tempore cursum suum cum sole absolvit: post Mercurium Venus procedit, & eodem ferè temporis spatio, cum sole periodum suam conficit: admiranda verò nobis, Telescopii operâ, de Venere innotuerunt; nam juxta diversum modum, quo à sole illuminatur, diverso etiâ modo præfulget; primò corniculata; deinde dimidiata; postea gibbosa; ac demum plena: Sol deinde sequitur, qui proprium motum complet per Zodiacum diebus 365. horis quinque: minutis 49. Mars supra solem elevatus, circulum suum perficit duobus ferè annis: supra Martem communis Astronomorum sententia Iovem constituit; quia minorem exhibet paralaxim, quàm Mars, majorem tamen quàm Saturnus: ad idem signum à quo egreditur, revertitur annis ærè duodecim; septimum tandem locum obtinet Saturnus, diebus parvis stipatus comitibus, qui cum eo in linea æquatori parallela constituuntur, hic proprium motum conficit triginta ferè annorum decursu.

RESOLUTIO III.

cix. Dico 3^o. certum numerum stellarum velle præfigere, vanum est.

cx. Probatur, quia numerus stellarum & arena-rum maris, tanquam innumerabilis in scriptura pro-

proponitur ut Genes. 150. *suspice cælum & numera stellas si potes & 25. ac 26. multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in litore maris: unde errant Astrologi, non nisi mille & viginti duas recensendo; sed turpius Tycho, dum septuaginta tantum numerat, nisi fortè voluerit dicere septuaginta millia & amplius; ergo, &c.*

CXI. Adde stellas inerrantes in sex communiter classes distribuere. Prima continet stellas quindecim. Secunda 44. Tertia 208. Quarta 474. Quinta 217. Sexta 49. stellæ autem illæ faciunt 12. præcipuas constellationes per Zodiacum juxta sequentes versus distributas:

Signa, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo. Libraque, Scorpius, Arcitenens, Capri, Amphora. Pisces. Constellatio autem est certus stellarum numerus effigiem aliquam, vel imaginem alicujus animalis, aut alterius rei repræsentans. Ita P. Telles loco Resol. 2. citato.

RESOLUTIO IV.

CXII. Dico 4. quælibet stella firmamenti est sine comparatione major globo terræ; quantum vero præcisè, difficulter dicitur: si

autem quæras, unde distantia magnitudo & situs astrorum colligatur? Resp. varia à Mathematicis adferri. Primo colligitur lunam esse inferiorem sole ex Ecclipsi. Item lunam esse minorem sole; quia nunquam toti orbi totum solem abscondit, sed solum aliquibus ejus partibus: secundo ex umbra, quam projiciunt corpora, colligitur lunam esse minorem terrâ, quia in illius umbra absconditur solem verò esse majorem, quia si esset minor, umbra, quam terra projicit, esset ipsa terrâ major, adeoque totum firmamentum nobis absconderet: si verò æqualis sol esset, umbra etiam terræ protenderetur per modum cylindri in infinitum, cujus utriusque contrarium docet experientia, umbra enim terræ in sycocom five pyramidem desinit, & idcirco nulla stella nobis absconditur. Ex tanta vel tanta: tate motus proprii colligitur 3. distantia corporum: quo enim tardius aliquid movetur, eò amplius à nobis distat; hinc luna nobis proxima esse perhibetur, eò quòd celerrimè moveatur: Deinde ex aspectu ad tubum opticum; constat enim illud astrum, quod magis augetur tubi beneficio esse vicinius terræ.

DISPUTATIO VLTIMA.

De Influentiis & Activitate Cælorum in sublunaria.

DUBIUM I.

An Corpora cælestia agant in hac inferiora per influentias.

I. **A**Nte Resolutionem suppono 1. influentiam late sumi pro quacumque qualitate ad productionem alicujus effectus efficienter concurrente: hic verò strictius accipi pro occulta quadam qualitate materiali à luce distinctâ, quæ variorum effectuum sit productiva, voceturque qualitas virtualis; quia scilicet diversos à se specie producit effectus, & in hoc à calore discrepat, quòd sensu externo non percipiatur, nec in suis operationibus impediatur ab occursum corporum opacorum, ut lux, cui, quia corpora opaca resistunt nec se penetrare permittunt, in nostros antipodas, in absentia solis, dominari non licet.

II. Suppono 2. motum cæli non esse quidem adæquatam rationem cur cælum agat, quia motus ut summum est via ad præsentiam localem, ut patet; esse tamen conditionem requisitam ad hoc ut ordinatè influat in sublunaria: si enim omnino quiesceret, ordo universi brevè perverteretur, & præstantissima animalia cito deficerent, vel calore nimio, vel frigore, ob continuatam solis absentiam: unde patet motum cæli esse necessarium ad ordinatam rerum generationem, conservationem, &c. unde sol dicitur esse vita sublunarium & etiâ ipsum cælum; quia applicat causas efficientes successivè diversis universi partibus, licet ipsum met non influat; sicque intelliges Aristotelem, dum multos cælo effectus attribuit.

III. Suppono 3. ex diversis conjunctionibus astrorum, quas Astrologi aspectus vocant, diversimodè temperari influentias per medium, ut etiam diversos effectus in materia, alioqui eodem

modo disposita, pariant: unde etiam quædam astra suis influentiis alia juvant, quasi sint in virtute cognata; alia impediunt, quæ habent diversas agendi vires; Ratio suppositi manifesta est: si enim singula astra habeant singulas virtutes proprias, illæ se mutuo impediunt, juvant, vel temperabunt, simul concurrente; & quia multam facit ad vim actionis applicatio agentis, temperabitur etiam eorum actio pro diversitate aspectus, id est, conjunctionis illorum astrorum inter se.

RESOLUTIO I.

IV. Dico 1. necesse est ponere in cælis virtutes quasdam distinctas à luce & calore, est D. Thomæ 2. de Cælo cap. 7. item quodlibeto 6. art. 18. est etiam S. Bonaventuræ in 2. dist. 4. q. penultimâ. Alberti Magni ibidem dist. 15. q. 1. & 2. item Tolet. lib. 2. de Generatione q. 2. concl. 4. Conimb. 2. de Cælo cap. 3. q. 3. art. 2. Rubii ibidem q. 2. contra Picum Mirand. lib. 6. contra Astrologos cap. 50. & 60. & alios, quos sequitur Pereira tom. 1. in Genesim lib. 2. Disput. adversus Astrologos cap. 3. ratione 8. ubi virtutes illas, sive qualitates occultas, immetitò vocat novitum inventum & ignorantia Asylum, cum ad eas pro virtute attractiva magnetis & succini, & torpescitiva torpedinis, omnes recurrant.

v. Probatum Resolutio primò Cælum est universale primum alterans, uti clare sequitur ex productione genitorum ex putri, gemmarum, auri, &c. ergo debet virtute continere quatuor primas qualitates; alioqui non posset per se loquendo adjuvare agentia inferiora in illis producendis, sed solum in producendo calore; subsumo: atqui per lucem & calorem, per se non habet vim producendi frigus & humiditatem, ergo, &c. præter lucem

cem & calorem, debet habere alias virtutes, similia accidentium productivas.

VI. Probatur 2^o. quia præter lucem & calorem dantur alii effectus à cælis dependentes, qui à luce & calore produci nequeunt, ergo, danda est alia causa præter illuminativam & calefactivam: consequentia patet ex relatione effectus ad causam: Probatur antecedens; quia astra procreant aurum & alia metalla in visceribus terræ, quò neque calor, neque lux permeat, ut videtur experientia interjecti montis inter me & luculentissimum ignem, notum.

VII. Confirmatur: Astronomorum experientia constat Saturnum frigefacere, lunam humectare, &c. qui effectus non sunt luci aut calori solis proportionati, ut patet, ergo, &c.

VIII. Dices fortè calorem & lucem cœlestem esse diversæ speciei à nostrate, virtualiterque quatuor primas qualitates nostrates cōtinere, ergo, &c.

IX. Respondeo, quod adversarii de nostra Resolutione supra dicunt; illud ipsū esse irrationabile (si non novitium) contra omnem experientiam inventum, quòd calor ille frigus nostrum expellat & calorem nostrum intendat, & tamen sit frigoris conservativus & caloris expulsivus uti esse deberet, incredibileque est ad tantam profunditatem terræ, in qua aurum gignitur, solis lucem pertingere, ut diximus, quod fieri deberet.

D V B I V M II.

Vnde oriatur fluxus & refluxus maris.

ANte Resolutionem
X. Suppono 1^o. mare rectè defini commuam aquarum congregationem, & origi-

nem cæterarum: mareque esse salsum & amarum, (unde fortè mare dictum) experientia constare: sed unde falsedo & amaror, secus quàm in aliis aquis? difficulter dicitur; puto esse ab atris & aquarum marinarum tali receptaculo.

XI. Suppono 2^o. fluxum & refluxum maris ab aliis rectè dici æstum, eò quòd æstu crescente fluat, decrescente refluat, idque unà singulis diebus ferè horà seriùs juxta lunæ motum, qui singulis diebus ferè est unà horà ferius in horizonte: in plenilunio autem æstus est maximus, in interlunio paulò minor, in semilunio mediocris, pro majori, vel minori lunæ à sole distàtia; quia etiam sol multum juvat ad extrahendos spiritus tumefacientes mare, ut statim patebit. His suppositis, sit

R E S O L U T I O.

XII. **D**ico causa fluxus & refluxus maris omnino in lunam refundi debet. ita D. Thomas, Albertus Magnus, Alensis, quos sequuntur & citant Conimbricenses: item Fromondus Meteorum lib. 5. cap. 1^o. art. 9^o.

XIII. Probatur ex eo, quòd hic motus maris imitetur periodos motus diurni; uti enim ille quatuor habet principia distinctiva, Orientem, Meridiem, Occidentem, & Mediam noctem; ita fluxus ille spatio 24. horarum fluit semel quasi secutus lunam tendentem ad Meridiem, refluit quasi secutus lunam tendentem ad occidentem; fluit quasi iterū secutus ad mediam noctem, refluit quasi secutus revertentem ad Orientem. Item quòd sequatur etiam iste motus aspectus lunæ ad solem; in plenilunio enim fit vehementior, uti & cum luna est in signis aquaticis hiemali tempore, ergo, &c. Probatur consequentia, quia non apparet, cur alioqui esset tanta subordinatio æstus maris ad lunæ cursum, ergo, &c.

Finis Librorum de Cælo.



PHYSICÆ

PHYSICÆ

PARS TERTIA

IN LIBROS

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE.

GENERATIO, Corruptio, Alteratio, Augmentatio, mixtio & similes mutationes, de quibus in hac tertia Physicæ Parte, agit Aristoteles, ad formam, eamque viventis principaliter, ordinantur, ut satis insinuat idem Aristoteles in proëmio Physicæ, ubi postquam exposuit subjectum octo Librorum & de Cælo, addit in *Libris de Generatione de motu ad formam* agitur. Vnde prius de Generatione & Corruptione nobis agendum est, quàm de Anima.

Hos autem Libros inscribit Aristoteles de Generatione & Corruptione, quia actiones hæ sunt præcipui motus, de quibus in illis tractatur, ut notat D. Thomas in proëmio primæ Partis Physicæ ubi sic habet, *inter motus* (puta de quibus in hac Physicæ parte) *principatum obtinet Generatio & Corruptio*. Pro quorum explanatione, sit

DISPUTATIO PRIMA.

De Generatione.

DVBIVM I.

Quid Generatio in communi & quomodo dividatur.

RESOLUTIO I.

Dico 1^o. Generatio in communi est productio formæ ex præjacente subjecto sustentationis, per ly *ex præjacente subjecto* exclude creationem, quæ nunquam est ex præjacente subjecto sustentationis, exposito modo in 1^o. & 2^o. lib. Physic. esse possit.

RESOLUTIO II.

Dico 2^o. generatio in communi rectè dividitur in substantialem & accidentalem; generatio substantialis est productio formæ substantialis ex præjacente subjecto: Accidentalis verò est productio formæ accidentalis ex præjacente subjecto sustentationis. Prius de Substantiali, utpote nobiliori, cum Aristotele agemus, posteriùs de accidentali, licet ab hac, utpote dispositione præviâ ad substantialem, juxta naturæ ordinem incipiendum videatur: unde sit

Bb 3

DVBIVM

DVBIVM II.

An detur Generatio substantialis, & quodupliciter sumatur.

RESOLUTIO I.

iii. **D**ico 1^o. sistendo in principiis fidei & PP. auctoritate, manifestum est ex dictis lib. 1^o. Physicorum tract. 1^o. Disp. 2^a. num. 5^o. & Disp. 3^a. num. 2^o. dari generationem substantialem.

RESOLUTIO II.

iv. **D**ico 2^o. sistendo in luminis naturæ nudæ principiis non videtur efficaciter probari de facto dari generationem substantialem.

v. Probatum ex dictis Disp. 2^a. num. 7^o. & Disp. 3^a. num. 5^o. statim citatis.

vi. Objicies tamen primò, quod ibi solutis adjiciunt hic PP. nostri Complutenses ex Aristotele & Divo Thoma de Anima textu 34. vivens perfectum habet naturalem appetitum ad generandum sibi simile, ergo talis generatio est possibilis. Antecedens patet, quoniam vivens naturaliter appetit perpetuitatem in suo esse: Quare cum hanc nequeat habere in se, quippe cum corruptibile sit, appetit consequi illam in alio sibi simili, ut ita se meliori modo, quo potest, conservet. Consequentia verò etiam constat: quia alioquin appetitus naturalis esset frustraneus; siquidem non posset adipisci id, quod appetit; illud namque frustraneum dicitur, quod finem suum obtinere non potest, saltem in aliquo individuo. Ita illi.

vii. Respondeo primò, quod hic quæritur, esse, an vivens perfectum sit de facto generabile substantialiter; quod efficaciter probandum, sistendo in luminis naturæ nudæ principiis; vel nihil efficaciter inferitur: id autem assumptum illud non probat; quia probatio nostra videtur convincere, vivens perfectum in se, esse incorruptibile ac perpetuum substantialiter, sive in esse substantiæ, ac proinde non habere naturalem appetitum ad generandum sibi simile substantialiter, in quo perpetuò conservetur.

viii. Respondeo secundò, distinguendo assumptum, vivens perfectum habet naturalem appetitum ad generandum sibi simile proportionaliter ad sui generationem, concedo assumptum; substantialiter, nego assumptum, quia substantialiter, sive secundum substantiam non generatur, sed secundum accidens tantum, secundum quod dicitur appetere generare sibi simile, ultro locis citatis, concessimus.

ix. Objicies secundò, ex iisdem ibidem, quod similiter ex Aristotele & D. Thoma in præsentibus & 8. Physic. sumunt: Possibilis est alteratio: ergo etiam generatio substantialis. Antecedens constat experientiâ, quâ videmus aquam alterari ab igne, & sic de aliis: Consequentia verò probatur: nam cum alteratio per se ordinetur ad generationem substantialem tanquam ad finem, non erit ipsa possibilis, si generatio substantialis impossibilis fuerit; siquidem quoties finis repugnat, toties media ad illum per se ordinata frustranea, imò impossibilia, sunt. Ita illi.

x. Respondeo ferè, ut ante, quod hic quæritur esse, an alteratio de facto per se ordinetur ad generationem substantialem; & probationes nostræ vi-

dentur oppositum efficaciter convincere, videlicet præviam illam alterationem ordinari ad aggregatum accidentium, de quo ibi, neque aliud probat efficaciter objectio ista.

RESOLUTIO III.

xi. **D**ico 3^o. dari generationem substantialem sistendo in solo lumine naturæ efficaciter, probari potest.

xii. Probatum rationibus, quibus disputationibus Resolutione prima citatis probavimus dari materiam primam & formam substantialem.

RESOLUTIO IV.

xiii. **D**ico 4^o. generatio substantialis tripliciter sumitur, primò uteductio; secundò ut mutatio; tertio ut conversio: uteductio est productio formæ substantialis ex subjacente subjecto sustentationis; ut mutatio est transitus de non esse formæ, sive privatione, ad formam substantialem positivam in eodem subjecto sustentationis: de generatione ut corruptione infra. Loquere proportionaliter de generatione accidentali.

RESOLUTIO V.

xiv. **D**ico 5^o. generatio substantialis ut mutatio dupliciter sumitur, primò latè, quomodo comprehendit generationes cælorum & elementorum initio mundi factas, & est transitus de non esse, seu privatione formæ substantialis ad esse in subjecto sustentationis, sive priùs tempore existente, sive non: secundò strictè, & juxta mentem Aristotelis, pro qua, sit

DVBIVM III.

Quid Generatio substantialis ut mutatio juxta mentem Aristotelis.

xv. **D**ante Resolutionem Suppono 1^o. Aristotelem generationem ut mutationem, 8^o. Physic. cap. 7^o. textu 62^o. definire hoc modo, generatio est mutatio de non ente ad ens; cui correspondet alia de generatione cap. 5^o. generatio est mutatio de substantia in potentia ad substantiam in actu. textu verò 23^o. hanc utramque unâ aliâ clariore magis exprimit, generatio est mutatio totius in totum, nullo subjecto sensibili manente, puta ut ante, sive ut alii, ut eodem, id est ut novâ dispositione non alterato, &c. alioqui has ultimas particulas ab Aristotele sine sufficienti fundamento addi, patet; tum ex dictis, quòd duæ formæ substantiales totales possint connaturaliter consistere in eadem materia; unde secundâ superveniente non tantum manet omne subjectum sensibile, sed etiam substantiale; quare nonnulli malè Aristotelem intelligunt de subjecto sensibili sustentationis & denominationis; quia præterquam quòd in ipsorum sententia, remaneat parziale sustentationis & denominationis, in nostra manet totale sustentationis, ut patet ex dictis lib. 1^o. Physic. Disp. 5. quòd accidentia in materia & non in toto composito adæquatè subjacentur.

xvi. Adde tamen illas particulas ab Aristotele non addi ex necessitate definitionis, sed ex conditione experientiæ ordinariæ generationum substantialium.

xvii. Suppono 2^o. in prima definitione Aristotelis ly non ens non esse accipiendum negativè, sed positivè, ut sit idem, ac ens in potentia, non ens actu, &c.

Sec. ly *verò ens* accipiendum antonomasticè pro ente in actu intransitivè, sive pro actu, quia actus est nobilior potentiâ: unde ly *in actu* in secunda definitione sumes etiam intransitivè; ly *verò totius* in tertia, intelliges de toto in actu, id est, secundum actum, quomodo illæ omnes definitiones in unam prout debent conveniunt, pro qua, sit

RESOLUTIO.

XVIII. **D**ico Generatio substantialis juxta mentem Aristotelis est *transitus naturalis à privatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia.*

XIX. Dixi 1^o. *mutatio naturalis*, quia Aristoteles generationes supernaturales & miraculosas; ut generationes vermium sub speciebus Eucharisticis; conversionem uxoris Lot in statuam salis; productionem arborum & elementorum in initio mundi factas; Adami ex limo; Evæ ex costa Adami; Filii Dei ex Virgine Matre; conversionem aquæ in vinum à Christo in Cana Galilææ factam, &c. non agnovit; unde illas, licet veras à definitione Aristotelis excludas.

XX. Dixi 2^o. à *privatione formæ*, quia ly *non ens, substantia in potentia totius in totum*, &c. importat privationem formæ, ad quam est mutatio, ut consideranti patebit.

XXI. Dixi 3^o. in materia, quia, ut lib. 1^o. Physic. diximus, Aristoteles subsistentiam, & multò minùs subsistentiam basim, non agnovit; eo tamen supposito, loco materiæ debet poni subsistentia.

DVBIVM IV.

Quid Generatio substantialis viventium.

Ante Resolutionem
XXII. **A**suppono 1^o. generationem viventium posse dupliciter spectari: primò prout comprehendit solas generationes creatorum: secundò prout has & generationem Verbi increati comprehendit.

XXIII. Suppono 2^o. generationem viventium, prout comprehendit solas generationes viventium creatorum esse optimam, hoc ipsò, quòd præcisè excludit omnes generationes non viventium creatorum: item & generationem viventium prout comprehendit generationes omnes viventium creatorum & Verbi increati esse optimam, hoc ipsò, quòd includit omnes generationes viventium creatorum & Verbi increati, & excludit omnes generationes non viventium creatorum & Spiritus sancti increati processionem. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

XXIV. **D**ico 1^o. Generatio viventium, prout comprehendit solas generationes viventium creatorum, rectè definitur *transitus de privatione formæ substantialis ad formam substantialem animam in materia.*

XXV. Probatur, quia hæc definitio includit omnes generationes viventium creatorum, ut Adami ex limo terræ; Evæ ex costa Adami; vermium, ranarum, murium, &c. ex putri materia; & omnes non viventium excludit, ut consideranti patebit, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

XXVI. **D**ico 2^o. Generatio viventium, prout comprehendit generationes viventium creatorum & Verbi increati, rectè definitur *generatio viventis ex substantia, à principio quo per se, sive ex genere suo, necessario.* Videtur hæc definitio omnino sumi ex D. Thoma in 1^{um} dist. 13^a. q. 1^a. art. 3^o. ubi sic habet: *natura non est principium Spiritus sancti sub ratione voluntatis, à qua procedit amor: unde consequenter, cum 1^a. parte q. 27. art. 2^o. in Corp. post Damasc. lib. 1^o. fidei Orthodoxæ cap. 8^o. & Aristotelem Metaph. 7. cap. 8^o. textu 28. generationem viventium definit origo viventis à vivente tamquam à principio conjuncto, in similitudinem naturæ; hoc sensu intelligi debet, generatio viventis à vivente, &c. agente per modum naturæ, id est necessario, & non per modum voluntatis, id est liberè*

XXVII. Dixi 1^o. *ex substantia*, ut excludas creationes, quæ sunt ex nihilo; ut verò includas omnes generationes viventium creatorum, per ly *ex substantia* intellige vel *ex substantia materiæ*, & ut comprehendas generationes Verbi increati intellige vel *ex substantia Dei absoluta.*

XXVIII. Dixi 2^o. *à principio per se, sive ex genere suo, necessario*, quia licet principium quod & materiale generationis quandoque sit liberum, ut homo respectu filii, Deus respectu Verbi; tamen nullum quo & formale, sive nulla potentia generativa est libera, sed omnis est ex natura sua necessaria, ut per omnes discurrenti patebit: unde per has particulas excludit processionem Spiritus sancti, quæ ut fit per amorem, est ex principio quo per se, sive ex genere suo, libero.

QUESTIVNCVLÆ.

XXIX. **P**etes 1^o. cur non sequamur generationis definitionem viventium ab omnibus Philosophis & Theologis communiter receptam, v. g. *generatio est processio sive origo viventis à vivente ut à principio conjuncto in similitudinem naturæ.*

XXX. Respondeo 1^o. quia non comprehendit omnes generationes viventium, ut genitorum ex putri materia; illæ enim non sunt à vivente, imò nec generationes supra naturam à Deo factas, ut Adam, Evæ, &c. quia non sunt factæ in similitudinem Dei generantis.

XXXI. Respondeo 2^o. quia malè requiritur, ut sit à vivente, & in similitudinem naturæ, ut vel etiam ex dictis generationibus, quæ sunt veræ generationes viventium, patet, & à simili ex generationibus non viventium, quæ nec debent esse à non viventibus, nec in similitudinem naturæ, ergo nec viventium à viventibus, & in similitudinem naturæ esse debent.

XXXII. Resp. 3^o. quia non ita clarè excludit processionem Spiritus sancti à ratione generationis sicuti nostra; nam generatio Spiritus sancti, non minùs est in similitudinem realem naturæ, quam processio Verbi; licet non sit in intentionalem; quia hanc non tangit definitio, sed illam, ut patet.

XXXIII. Resp. 4^o. quia tot sunt diversæ illius interpretationes, quot diversi ferè authores; unde si liceat aliis ad libitum illam interpretari, & suam interpretationem pro definitione tutari; licebit & nobis, ad rationis ductum, nostram definitionem loco interpretationis tueri, cum istis vitis nō scateat.

XXXIV. Petes 2^o. an omne genitum vivens possit dici filius generantis?

xxxv. Respondeo negativè; quia nec homo dicitur filius solis; nec Adamus filius terræ; nec plantæ ex semine productæ plantarum filiæ: unde ex propria significatione videtur filius requirere, ut sit à natura intellectuali, vel saltem cognoscitiva & appetitiva, quia filius est patris & matris filius; videtur autem ad denominationem patris & matris spectare, ut filios cognoscere & amare possint.

xxxvi. Petes 3°. quænam pars animalis primò formetur?

xxxvii. Resp. diversos diversa sentire, Philosophi multi Aristotelem docentem, cor primò formari, sequuntur: Medici Hippocratem volentem jecur 1°. formari: sequere quem vis; quia experientia foetus recens concepti, quam uterque affert, valde dubia est, cum tunc partes vix sint organizatæ & conformatæ: unde dubium est, utrum exploratè videre potuerint, an cor, an jecur 1°. esset formatum: rationes pro utraque parte sunt parvi momenti; ut pro Aristotele, quòd cor sit fons caloris vitalis, sine quò nullum vivens consistit.

xxxviii. Respondetur enim quòd Hepar fit in se calidum & sufficienter foveatur calore vitali matris: Pro Hippocrate autem, quòd cor nutriatur sanguine, qui à jecore conficitur, cui similiter Respondetur in initio sufficienter, aliis & sanguine matris nutrir. Hæc paucis

D V B I V M V.

Quis sit terminus generationis substantialis.

ANte Resolutionem

xxxix. Suppono duplicem ab authoribus assignari terminum generationis, unus est totalis, mediatu & primarius, & dicitur terminus, qui generatur; alius partialis immediatus & secundarius, & dicitur terminus, quo aliquid generatur. Hoc supposito, fit

R E S O L U T I O I.

xl. **D**ico 1°. terminus generationis qui & primarius est totum fundamentaliter.

xli. Probatur: quia illud primariò à generante intenditur, & simpliciter ut quod dicitur generari, ergo, &c.

Confirmatur ex Aristotele 7°. Metaph. textu 26. 27. & 32. & 1. Physic. textu 28. ac tandem 3. Metaphysic. text. 3°. ubi inquit: *aliter quidem materia, aliter verò ratio & forma, quæ aliquod ens ratione separabile est: tertium verò, quod est ex his, cuius solius generatio & corruptio, & separabile simpliciter. Quem locum explicans D. Thom. ibidem lect. 1°. ait: Compositum verò ex his, scilicet materia & forma, dicitur esse substantia, quasi separabile simpliciter, id est, separariim per se existere potens in rerum natura, & ejus solius est generatio, & corruptio: neque enim forma generatur, aut corrumpitur nisi per accidens.*

xlii. Dixi fundamentaliter; quia generatio est actio realis, quæ proinde petit terminum ante intellectum, ante quem non existit totum formaliter, ut patet ex lib. 1°. Physicorum, sed fundamentaliter tantum.

R E S O L U T I O II.

xliii. **D**ico 2°. terminus quo generationis, si ve in composito purè materiali, si ve in composito ex corpore & forma spirituali, est ipsa generatio.

xliv. Probatur, quia ex dictis lib. 1°. Physic. ipsa generatio est unio in composito substantiali; sed illud generatur, cujus unio generatur, ut constat ex omnium sententia in homine, ergo &c.

xlv. Adde tamen 1°. formam, si ve spiritualem, si ve materiale, rectè dici terminum quo per generationem communicatum; quia forma per illam, tanquam unionem, materiæ & composito fundamentaliter tribuitur & communicatur.

xlvi. Adde 2°. in homine, non dari terminum per generationem productum, à generatione realiter distinctum: pro quo vide dicta lib. 1°. Physic. Disp. 6°. dub. 2°. in composito verò purè materiali esse formam, ut habes ibidem.

D V B I V M VI.

An Generatio Substantialis sit Instantanea.

xlvii. **A**Nte Resolutionem

Adverte in Generatione diversas actiones intervenire, prima est alteratio materiæ, ad formam disponens; deinde ipsa unio, quæ in compositis purè materialibus est productio ipsius formæ; in homine verò ipsa generatio sine termino productio realiter à se distincto. Hoc notato, fit

R E S O L U T I O I.

xlviii. **D**ico 1°. si generatio sumatur complexè prout includit præviã alterationem, clarum est esse successivam; quia materia per illam alterationem non nisi successivè ad formam disponitur, prout experientiã patet.

R E S O L U T I O II.

xlix. **D**ico 2°. si generatio sumatur incomplexè, & prout est præcisè unio, est ex parte formæ necessariò instantanea, si forma sit spiritualis, ut in homine; potest autem esse successiva, si materialis, ut in igne, & similibus compositis purè materialibus.

l. Probatur prima pars, quia, ut diximus lib. 1°. Physic. anima rationalis non est intensibilis, ac proinde debet tota simul uniri, ergo, &c.

li. Probatur secunda pars, quia ut constat ex ibidem dictis, forma materialis est intensibilis & remissibilis, ac proinde sicut potest successivè per partes intensiõis produci, ita & successivè secundum illas uniri, ergo, &c.

lii. Objicies: primo instanti, quo producitur forma ignis, forma canis, &c. est tam intensa, ac omni instanti, quo conservatur, ergo tota simul intensivè producitur, & unitur, ac per consequens generatio ut unio formæ materialis est instantanea.

liii. Respondeo negando antecedens; nam tantum continud intenditur forma materialis substantialis, quantum dispositiones præcisè necessariæ ad introductionem primam illius; postea intenduntur, & tantum remittuntur, quantum hæc etiam postea remittuntur. Objectiones alias vide lib. 1°. Physic. Disp. 3°. dub. 2°.

D V B I V M VII.

Quæ sit Causa principalis in Generatione viventium.

ANte Resolutionem

l. **S**uppono causam principalem Generationis viventium non esse Deum solum, aut Deum

Deum simul & animam infusam. Frustra enim ad Deum recurritur, ubi adfunt causa creatæ, deinde si anima infusa talis causa esset, nec pater, nec mater, essent causa generativa pfolis; sed homo ille, qui tali animâ constitueretur, quod nullus dixerit.

RESOLUTIO I.

LVI. Ico 10. contra Okam in 3. q. 3. Gabriëlem in 3. Disp. 4. q. unica, Hurtad. Disp. 2. de Genere sect. 3. num. 4. Arriagam Disp. 1. de Genere sect. 6. num. 58. causa principalis quâ Generationis hominis, sive unionis inter animam & corpus hominis, non est anima sola matris.

LVI. Probatur ex dictis lib. 10. Physic. Disp. 6. dub. 20. Resol. 3a. ferè per totam: sic enim genita proles plus deberet matri, quam patri; quod ibi impugnatum est.

LVII. Confirmatur, eodem modo se habet mater ad vim prolis generativam, sicut terra se habet ad vim generativam plantarum, sicuti gallina ovis incubans ad generationem pullorum, aut furnus, sive furnus tepidus, ad eorundem exclusionem: sed hæc sola non sunt causa principalis generationis plantarum, pullorum, &c. sed subiectum disponunt, calefaciunt, fovent, in ordine ad futuram generationem, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

LVIII. Ico 20. contra D. Fromondum de Anima lib. 10. cap. 20. art. 60. & alios valde communiter. Causa principalis quâ generationis hominis, non est virtus seminibus utriusque sexus à parentibus indita, quæ à parentum actionibus adæquatè distinguatur.

LIX. Probatur, quia illa est causa principalis quâ generationis hominis, quæ est causa principalis quâ conformationis membranificationis, carnificationis, &c. humani foetus: sed dicta virtus non est, ut probavimus lib. 10. Physic. Disp. 6. Dub. 20. Resol. 3a. hæc causa, &c. quis enim mortui subiecti virtuti actiones viventium tam perfectas concederet? certe si aliqua actiones viventis sint vitales, maxime illæ; alioqui nutritio & augmentatio omnium membrorum ac organorum corporis, non essent actio vitalis; aut si hæc talis, etiam prima istorum membrorum ac organorum productio talis esse debet, quod

tamen habere non potest ab ista mortua, sive non vivente virtute; ergo, &c.

LX. Respondet 10. D. Fromondus loco citato art. 70. facultatem illam non esse quidem vitalem; sed imitari vitalem, uti simia hominem.

LXI. Sed contra, vel, illa revera est vitalis, aut potius, vel in femine est actio vitalis; vel nutritio, augmentatio dicta non est propriè vitalis, sed simia vitalis; quod nullus admiserit; ratio tamen sequelæ est; quia eadem sunt & ejusdem naturæ actiones in tali femine, ac in homine: aut det rationem, cur sit propriè vitalis; & non simia vitalis tantum, præter communem consensum, qui omnino extendi debet, ut rationabilis sit, ad actiones feminis.

LXII. Respondet 20. animam nutrire posse membra sui corporis, quia organa & instrumenta jam habet, quibus vitaliter id facere possit; formam vero, quæ prima membrorum lineamenta ducit, sine organis more formarum inorganicatum hoc agere, &c. Sed

LXIII. Contra, Responso ista petit principium, & falsum supponit, videlicet dari formam, quæ prima membrorum lineamenta ducit, præter actiones utriusque parentis. Deinde falsum est ideò animam nutriendo membra sui corporis vitaliter agere, quia mediis organis & instrumentis, quæ jam habet, id facit, licet cooperentur; alioqui ipsa essent anima & vita in actu primo, saltem partialis, quod non dicitur: sed quia ipsa anima, a qua nutritio, est anima & vita in actu primo: denique cum ab illa forma essent prima conformatio, membranificatio, carnificatio & foetus, uti proprii corporis secunda, sive illarum in proprio corpore per nutritionem augmentatio ab anima; haud minus illæ erunt actiones vitales, quam hæ, ac per consequens illa, non minus esset vita in actu 10. quam anima.

RESOLUTIO III.

LXIV. Ico 30. causa principalis quâ generationis hominis; & sic proportionatè de aliis, sunt parentes per suas actiones immediate in suo semine permanentes; hæc conclusio videtur D. Thomæ locis lib. 10. Physic. Disp. 6. dub. 20. Resol. 3. in Corrol. citatis, & clara est ex dictis in ista Resolutione per totam.

DISPUTATIO SECVNDA.

De Conversione.

DVBIVM I.

Quid Conversio, & quomodo differat à generatione

I. Ante Resolutionem
Suppono 10. ad Conversionem duo requiri; primò ut sit inter terminos positivos repugnantes, sive naturaliter incompatibiles; unde nulla est conversio, dum aer ex tenebroso (quia terminus negativus) fit lucidus; nec etiam, cum Petrus ex cognoscente fit amans; quia non sunt termini ex se repugnantes: secundò ut remaneat aliquid commune termino à quo, sive præcedenti, & termino ad quem, sive succedenti; unde, si cum substantia panis Deus annihilaret omnia ejus accidentia, non diceretur in corpus Christi converti, & dicitur converti, quia remanent. Tertium communiter requiritur, nempe,

ut conversio exerceatur in loco ambobus extremis successivè communi; sed superfluum omnino est; si multiplicatio loci ejusdem subiecti non impediat oppositionem formarum, quod supra ultimo libro Physic. probavimus.

II. Suppono 20. Conversionem esse substantialem, materialem, formalem, accidentalem, modalem, &c. totalem, partialem, &c. juxta naturam terminorum conversionis: unde si sit totius substantiæ manente accidente uno vel pluribus, dicitur transsubstantiatio; si verò omnium accidentium manente uno vel pluribus, transfaccidentatio. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

III. Ico 10. Conversio est transitus minus rei in aliam incompatibilem remanente aliquo communi. Hæc conclusio clara est ex præsuppositis.

RESO-

RESOLUTIO II.

iv. **D**ico 2^o. Conversio in eo à generatione distinguitur, quòd illa necessariò sit inter terminos positivos, & inter se repugnantes; non item generatio; hæc conclusio clarè sequitur ex præmissis.

DVBIVM II.

An ad Conversionem requiratur desitio termini à quo, sive ut alii, ut quod convertitur desinat.

Ante Resolutionem
v. **S**uppono de fide esse ex Trid. sess. 13. cap. 4^o. *per consecrationem panis & vini conversionem fieri, totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in sanguinem ejus. Vnde ex hoc loco clarè inferitur, de fide esse substantiam panis & vini non manere sub speciebus Eucharisticis; an autem transferri possint, sic ut adhuc maneat illa conversio? dubium est, quod proponitur hîc resolvendum. Pro quo, sit*

RESOLUTIO.

vi. **D**ico ad Conversionem requiritur desitio conservationis termini à quo, sic ut, nisi duplici actione conservetur, terminus à quo simpliciter desinat, nec possit alibi in rerum natura remanere. est contra Scotum in 4^o. dist. 11. q. 3. art. 2^o. 5^o. quantum, & Card. Lugo Disp. 7^a. de Euchar. num. 131. & plures alios.

vii. Probatur 1^o. ex D. Thoma 3. p. q. 15. art. 2^o. in Corpore, *quod convertitur in aliquid, facta conversione non manet.* Propter quod August. lib. 18. de Civit. Dei cap. 16. & Cyrillus noster in epist. ad Successum, docent divinitatem non converti in creaturam, puta per Incarnationem, quia manet, quia non desinit, &c. sic etiam cæteri Patres contra Eutychen.

viii. Probatur 2^o. quia anima hominis non dicitur converti in formam cadavericam (supposito quod detur) ut ex communi modo loquendi constat, idque quia alibi remanet, & non desinit; tum quia inter Theologos constat in venerabili Eucharistiæ Sacramento, totam panis substantiam absolute desinare, idque vi solius conversionis, ergo, &c.

ix. Dices rectè dicitur homo conversus in cadaver, licet ejus anima non desinat, ergo, &c.

Respondeo negando consequentiam; quia homo non dicitur converti in cadaver, propter conversionem animæ in formam cadavericam, sed propter conversionem unionis inter partes in unionem ad formam cadavericam, supposito quòd detur, unio autem quæ convertitur, desinit, ut patet.

x. Dixi in Resolutione *nisi duplici actione conservetur*; quia, sicut conversio non requirit ut simpliciter incipiat terminus ad quem, sed sufficit ut incipiat per actionem, vi cuius simpliciter esset, si aliunde per aliam non esset, ut constat ex corpore Christi in conversione Eucharistica; ita conversio non requirit ut simpliciter desinat terminus ad quem, sed sufficit si desinat conservatio, vi cuius simpliciter desineret, nec in rerum natura remanere posset, si aliunde per aliam conservationem non esset. Ratio est; quia, ut dubio sequenti dicitur eadem est ratio cedentis, sive termini à quo; quæ succedentis, sive termini ad quem, quia sunt correlativa.

DVBIVM III.

An ad Conversionem requiratur productio termini ad quem.

Ante Resolutionem
xi. **S**uppono non deesse pro utraque parte auctoritates: pro affirmativa quidem citatur Durandus in 4. d. 11. q. 3. Capreol. in 4. d. 11. Scotus in 4. d. 9. q. 2. art. 4. Alan. l. 1. cap. 34. 35. 36. 37. Suarez 3. p. To. 3. d. 50. sect. 5. Coninck 3. p. q. 75. art. 4. dub. 3. Valen. 3. p. d. 6. q. 3. p. 3. Henriq. l. 8. de Euchar. cap. 22. & 25. Marat. 3. p. d. 12. f. 1. n. 2. & d. 16. f. 2. Præpositus 3. p. q. 75. art. 8. d. 2. Tanner. 3. p. d. 5. q. 4. d. 4. n. 53. Hurt. hîc d. 1. f. 4. Arriaga hîc d. 1. f. 3. & alii. Pro negativa verò Scotus in 4. d. 11. q. 1. Okkam. & alii antiqui: Vasquez 3. p. d. 181. ubi hoc fusè probat, licet per relationem rationis rem totam obscuram reddat. Pro eadem sententiâ citat Vasquez S. Thomam 3. p. q. 75. art. 4^o. ad 1. & in 4. d. 11. q. 1. art. 3. S. Bonaventuram in 4. d. 11. p. 1. art. 1. q. 2. Alensium 4. p. q. 10. in 5. a. 3. & 4. Richar. in 4. d. 11. a. 1. q. 5. Ferrar. 4. Cont. Gen. c. 63. tenet Card. Bellarm. l. 3. de Euchar. c. 18. Card. de Lugo d. 7. de Euchar. sect. 1^a. Turrian. Opusc. 14. d. 1. d. 5. Ovied. Cont. 2. de Gen. d. 5. num. 22. & alii. Qui citantur apud Compton,

RESOLUTIO.

xii. **D**ico ad conversionem requiritur productio termini ad quem, sic, ut si aliunde non sit aliâ actione totali productus, per illam simpliciter esse incipiat. Hæc sententia mihi semper visa est opposita longè probabilior, ut potè, quæ umbratiliem pro vera conversione, accidentalem pro substantiali, nobis obtrudat, & Eucharistiæ substantialem conversionem hæreticorum ludibrio exponat, haud secus quàm qui diceret, ibi accidens sive accidentalem conversionem, esse substantiam, sive substantialem.

xiii. Probatur 1^o. ex S. Augustino lib. 17. de Civit. cap. 18. *nec sanè demones naturas creant* (puta ad hoc ut commutationes hominum in lupos & aves, de quibus ibi & cap. 17. sint verè conversiones) *si aliquid tale faciunt, &c. sed species tenus, quæ à vero Deo sunt creata commutant, ut videantur esse quod non sunt: puta conversi, ergo, &c.*

Probatur 2^o. auctoritate D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. *nec natura divina potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis, atqui sicut ly incorruptibilis significat ad conversionem requiri corruptionem quoad esse, ita ly ingenerabilis ex opposito requiri productionem quoad esse, ergo, &c.*

xiv. Dices, S. Thom. 3. p. q. 78. art. 5. in Corp. oppositum docet his verbis, *nec verba faciunt ut Corpus Christi sit Corpus Christi, sed ut contentum sub speciebus sit Corpus Christi*, ergo, &c.

xv. Respondeo 1^o. Retorquendo argumentum, quia verba etiâ non faciunt ut panis & vinum substantialiter desinant; sed ut contentum sub speciebus Panis & vini sit Corpus Christi; illa tamen quoad esse desinunt.

xvi. Respondeo 2^o. S. Thomam tibi loqui de verbis ut veris, non verò de verbis, ut conversivis: de Conversione autem priori loco loquitur.

xvii. Probatur 3^o. ad Conversionem requiritur desitio termini à quo simpliciter, & non sufficit desitio sub his accidentibus, vel in hac materia, ergo à parti

à pari requiritur productio termini ad quem simpliciter, & non sufficit sola productio sub his accidentibus, vel in hac materia, &c. Probatur consequentia, quia contrariorum contraria est ratio; terminus enim à quo est cedens, terminus ad quem succedens; cedens autem & succedens utpote correlativa, opponuntur relativè contrariè, ergo, &c.

xxviii. Probatur 4^o. quia alioqui sequitur nullà conversionem fore substantialem, sed accidentialem tantum, sive transitum in ubi novum termini ad quem, & non in novum terminum ad quem substantialem; sed hoc parum est conformè Trident. sess. 13^a. c. 4^o. & can. 4^o. dicenti *conversionem Eucharisticam apertissime ab Ecclesia Catholica transsubstantiationem appellari* ergo, &c.

xxix. Nec dicas 1^o. appellari transsubstantiationem à termino à quo, videlicet substantià panis & vini; quia transsubstantiatio debet dici per ordinem ad utrumque, terminum scilicet ad quem, & à quo; alioqui non esset ratio, cur potius per ordinem ad substantiam terminum à quo, diceretur transsubstantiatio, quam per ordinem ad accedens terminum ad quem, diceretur transsubstantiatio, saltem partialis; imò simpliciter deberet dici transsubstantiatio; quia *malum ex quolibet defectu*.

xxx. Nec dicas 2^o. appellari transsubstantiationem; quia inter terminos substantiales; nam terminus ad quem per te non erit substantialis, sed ubi substantiæ, ut patet: sicut autem actio dicitur substantialis ab effectu substantiali, & non à principio substantiali; ita conversio dici debet substantialis à termino ad quem substantiali, & non à termino à quo tantum.

xxxi. Nec instes cum P. Oviedo hic post Card. Lugo, terminum quidem conversionis materialiter, & ut productionis, esse ubi substantiæ, non verò conversionis formaliter, & ut conversionis; Quia in primis contendimus conversionem ut conversionem esse productionem termini ad quem, cui per illam responsionem non satisfiit: 2^o. rogo quare potius substantià, quæ est subiectum istius novi ubi, dicatur terminus ad quem conversionis ut conversionis, quam ubi istud, cum ab ubi substantiæ desinente, ad ipsum fiat transitus, & non à substantia desinente ad substantiam, nisi præcisè ratione illius ubi secundum te; illud autem est terminus ad quem conversionis ut conversionis, quo præcisè posito, ponitur conversio ut conversio, & quo præcisè ablato tollitur, quod esse debet ipsum ubi novum secundum te.

xxxii. Dixi in Resolutione, ut, si aliunde non alià actione productus; quia panis & vinum verè in corpus & sanguinem Christi in Eucharistia convertuntur, aliunde tamen alia actione, sunt producta.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

xxxiii. **O**bjicies tamen 1^o. in Eucharistia datur vera conversio: atqui juxta Trident. non datur productio corporis & sanguinis Christi, ergo ad conversionem non requiritur productio termini ad quem simpliciter, & quoad substantiam: Probatur minor, quæ sola eget probatione; quia Concil. Trid. sess. 13^a. c. 4^o. dicit illam conversionem fuisse ab Ecclesia collectam ex veritate verborum formæ Sacramenti Euchar. sed illi possunt esse vera sine productione substantiali Corporis & Sanguinis Christi tanquam termini ad quem; nam hoc ipso quod Christus est sub illis speciebus, licet non pro-

ducatur de novo, erunt vera illa verba, *hoc est Corpus meum, hic est Calix sanguinis mei, &c.* ergo, &c.

xxiv. Resp. 1^o. retorquendo argumentum, licet panis & vinum aliò transferantur, & non simpliciter desinant, etiam sunt vera illa verba, ergo non requiritur ad conversionem definitio simpliciter termini à quo: contrarium patet ex dictis, & P. Oviedo de Generatione cont. 2^o. parte 5. merito ait, *dicere autem substantiam panis absolute non desinere esse, nefas est*.

xxv. Resp. 2^o. negando minorem; ad ejus probationem, distingo. Trident. dicit illam conversionem fuisse ab Ecclesia collectam ex veritate verborum, quâcunque, sive quâ verborum præcisè, nego, proportionatâ naturæ conversionis, sive quâ verborum convertivorum, concedo: nisi enim vidissent Ecclesiæ Patres illa verba esse vera veritate, quam exigit conversio, procul dubio non definivissent, *per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in sanguinem ejus*. Vt ibidem definierunt.

xxvi. Objicies 2^o. ex P. Oviedo loco. cit. per reproductionem ut sic non potest intelligi corpus Christi existens sub speciebus modo speciali, quo sub illis existit, ergo præter illam reproductionem requiritur productio alterius, saltem modi, videlicet ubi, quæ productio dici potest sufficere absque reproductione.

xxvii. Resp. concessio antecedente & consequentia pro prima parte, negando consequentiam pro secunda; solam enim productionem istius modi, sive ubi, non sufficere ad conversionem substantialem, satis patet ex dictis: unde dicè necessariò utramque requiri; productionem quidè substantiæ formaliter; ubi verò concomitanter, eo modo quo ad productionem substantialem requiritur productio substantiæ formaliter, & ipsius ubi & durationis concomitanter.

xxviii. Objicies 3^o. si corpus Christi per conversionem sacramentalem, desinente, pane substantialiter & realiter producitur, desinentibus post conversionem accidentibus panis, desinet substantialiter & realiter, ut v.g. cum corrumpentur species & sub illarum nonnullis ponentur flegma, excrementa, mus, caro, lana, &c. sed hoc est absurdum, ergo, &c. major videtur legitima; probatur minor, quia sic corpus Christi converteretur in flegma, excrementa, carnem, lanam, &c. quod videtur blasphemum, ergo, &c.

xxix. Resp. concessio majore, negando minorem, ad ejus probationem quidquid dixerit Suar. disp. 54. sect. 32. id pias aures offendere, concedo antecedens; nec id magis pias aures offendit, quàm quod docet Suarez, & communis ac vera sententia, Verbum potuisse in hypostasim divinam assumere flegma, vilia alia, naturam muris, &c. imò id non nisi aures pias idiotarum idiotaliter offendere potest, si attendatur, Corpus Christi converti in flegma nihil aliud esse, quàm Corpus Christi desinere ob productionem flegmatis, & aliquid ex accidentibus sub quibus ante fuit, conservari in flegmate, quod fieri posse, solus idiota negabit.

xxx. Objicies 4^o. negativa sententia vitat multiplicationem entium sine necessitate, nempe infinitarum productionum substantiarum Corporis Christi, ad Consecrationes, quæ Indies fiunt, ergo, &c.

Confir-

xxxI. Confirmatur: quia posita solâ adductione novâ, per quam Corpus Christi v.g. sic ponitur sub speciebus ut vi adductionis istius, saltem divinitus, desinat substantia panis & vini, & sub illius accidentibus ponatur, satis salvatur ratio conversionis.

xxxII. Respondeo 1^o. etiam sententiam negantem desinare substantiam panis & vini, & affirmantem aliò transferri, vitare multiplicationem corruptionum sine necessitate; hoc tamen non obstante, improbat sententia ista.

xxxIII. Respondeo 2^o. supponi falsum videlicet ad conversionem, non esse istorum entium necessitatem, quod prius probandum est; oppositum enim convincunt probationes à nobis supra factæ.

Ad Confirmationem
xxxIV. Respondeo negando assumptum, quia Confirmatio ista petit principium.

xxxv. Objicies 5^o. ad essentiam conversionis præcisè requiritur *transitus unius rei in aliam*; sed il-

le habetur desinente termino à quo, & termino ad quem de novo adducto, sive de novo unito accidentibus termini à quo, ergo, &c.

xxxvi. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem; sed supposito, quòd ad conversionem requiratur desitio termini à quo, ille habetur, &c. nego minorem, absolūtè transeat; quæro autem cur potius ad conversionem requiras desitionem; & tibi non sufficiat eductio, si ad illam non requiras productionem, & tibi omnino sufficiat adductio? hic enim cardo difficultatis vertitur: quia autem non est ratio unius, potius quàm alterius, & primum requiritur, secundum ex consequenti requirimus. Neque est quod P. Comptonus hic dicat, *transitum unius rei in aliam* dicere essentialiter desitionem termini à quo; cur hoc? si enim rectè dicatur conversio transitus unius rei in aliam quâ adductam, rectè dicetur transitus unius rei quâ eductæ in aliam quâ adductam, à pari.

DISPUTATIO TERTIA.

De Corruptione.

DVBIVM I.

Quid corruptio Substantialis & quomplex.

RESOLUTIO I.

I. **D**ico 1^o. Corruptio substantialis est desitio formæ substantialis remanente materiâ: Perly *remanente materiâ*, excludit annihilationem, in qua subjectum sive materia, non remanet.

RESOLUTIO II.

II. **D**ico 2^o. Corruptio rectè dividitur in directam & indirectam: directa fit per subtractionem concursus conservativi: indirecta per introductionem formæ incompatibilis cum priori, uti lib. 2^o. Physic. insinuavimus.

DVBIVM II.

An detur Corruptio Substantialis.

RESOLUTIO.

III. **D**ico, de Corruptione Substantiali proportionaliter dictis Disp. 1^a. Dub. 2^o. de ipsâ generatione Substantiali, philosophandum.

DVBIVM III.

An Corruptio per se intendatur ab agente naturali.

IV. **A**Nte Resolutionem
Suppono intentionem hic dupliciter accipi posse, 1^o. pro actu, quo voluntas in finem tendit: 2^o. pro inclinatione, seu tendentia, naturæ ipsius agentis in effectum: hæc est propria agentium necessariorum, illa liberorum. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

V. **D**ico corruptio potest directè & per se intendi ab agente libero; à necessario non nisi indirectè & concomitanter; imò interdum, nec directè & per se, nec indirectè & concomitanter.

VI. Probatur prima pars, quia corruptionem per se & directè intendi ab agente libero, agenti

libero liberum est; nam ei liberum est velle rem per se destruere, nihil aliud intendendo, vel propter aliud, & in alium finem collimando; sed id est corruptionem directè & per se ab agente libero intendi, ergo, &c.

VII. Probatur secunda pars, quia omne agens necessarium agendo, solum intendit producere sibi simile, quod cum frequenter non possit nisi destruendo formam incompatibilem, ut patet cum ignis agit in stupam, indirectè & concomitanter illius destructionem intendit, ergo, &c.

VIII. Probatur tertia pars, quia agens necessarium potest interdum producere sibi simile, non destruendo formam præviè existentem in materia, ut si hæc simul cum illa sit compaibilis; possunt enim duæ formæ totales substantiales naturaliter esse simul in eadem materia; ut constat ex dictis lib. 1^o. Physic. Disp. 3^a. ergo interdum nec directè & per se, nec indirectè & concomitanter, potest intendere corruptionem.

IX. Colliges 1^o. Corruptionem esse saltem latè naturalem, in quantum, saltem frequenter, indirectè & concomitanter exigitur ab agente naturali.

X. Colliges 2^o. hoc Axioma, *Corruptio unius est generatio alterius*, sensu formali nunquam esse verum; quia corruptio est opposita generationi; in sensu verò concomitativo interdum esse verum, ut si causa corrumpens, sit præsens & potens introducere formam suæ similem; interdum falsum, ut si non adfit, pro quibus vide dicta loco citato, & paulo infra dub. 5^o.

DVBIVM IV.

An in corruptione Substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam.

XI. **A**Nte Resolutionem
Suppono primo dubii hunc esse sensum, an composito fundamentali corrupto maneat nuda materia sine ullis profus accidentibus, & sic nuda, composito novo communicetur, ut v.g. an quando corrumpitur homo, nulla

nulla accidentia hominis remaneant in cadavere (si detur,) sed in ipsa separatione animæ pereant omnia, & omnino nova producantur in conjunctione formæ ignis ad nudam materiam ejus, aut ligni. Paulò aliter Thomistæ sensum dubii exponunt, videlicet, an generatio substantialis subiectetur immediatè in materia prima ab omnibus accidentibus nuda.

xii. Suppono 2º, accidentia non recipi in toto composito, ita lib. 1º. Phys. Disp. 6. Dub. 7. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

xiii. **D**ico in Corruptione substantiali non fit Resolutio usque ad materiam primam, five generatio substantialis non subiectatur immediatè in materia prima ab omnibus accidentibus nuda. Ita Averroës in lib. de substantia orbis & i. Physic. cõment. 66. Simplicius lib. 1º. Physic. textu 69. Philoponus lib. 1. de Generat. textu 33. & 40º. Ammonius in Prædicamento quantitatis, Gregorius in 2º. dist. 12. quæst. 2. art. 1. Aureolus apud Capreolum dist. 13. q. 1. in argumento contra 3. conclusionem, Marsilius 1º. de Generat. quæst. 7. Venetus in summa de Generat. cap. 54. Egidius 7º. Metaph. q. 4. Nymphus 8. Metaph. Disp. 4. Zimara Theorem. 46. Suarez Disp. 14. suæ Metaph. sect. 3. & plures Juniores Societatis, qui etiam referunt Toletum in præsentis q. 7. Perer. lib. 5. Physic. cap. 18. Conimbric. lib. 1º. de Generat. cap. 4. q. 4. art. 1. concl. 4. contra Albertum in summa de homine, quæstione, an nutritio fiat ex simili, art. 1. Flandriam 7. Met. q. 17. art. 10. & 11. Durandum in 1. dist. 8. 2. p. q. 4. Capreolum in 2. dist. 13. q. 1. concl. 2. & 3. ac dist. 18. q. 1. concl. 6. Hervæum quodlib. 2. q. 10. Cajetanum de ente & essentia cap. 7. q. 16. Ferraram 4. contra gentes cap. 81. Iabellum 8. Met. q. 2. Soncin. quæst. 7. 15. & 18. Soro. 1. Physic. quæst. 7. Bannez in præsentis cap. 4. quæst. 9. & 10. ubi satis fusè plura huc spectantia optimè colligit. Fonseca 5. Met. cap. 28. quæst. 20. sect. 2. Zanardum 8. Metaph. quæst. 7. Rubionem in præsentis cap. 4. Tract. 3. quæst. 7. & alios plures tam ex discipulis D. Thomæ quàm ex aliis, quos habes citatos apud nostros Complur.

xiv. Probatur 1º, contra Thomistas plerosque, ex S. Thomæ 3ª. parte q. 9. art. 3º. ad 2. *Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, quæ tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet, quasi quidam effectus talis formæ, ergo, &c.*

xv. Respondent Thomistæ Divum Thomam solum velle remanere eundem specie calorem, non numero eundem. Sed

xvi. Contra est quòd velit remanere calorem per quem disponitur materia; disponitur autem per hunc calorem in individuo, & non per calorem in specie, ergo vult remanere hunc calorem in individuo, ac per consequens eundem numero.

xvii. Probatur 2º, ex Aristotele hic lib. 2º. cap. 4º. ubi docet elementa symbola, id est, in aliqua qualitate convenientia, facilius in invicem mutari, quàm assymbola, id est, quàm in nulla qualitate convenientia; Ratio autem est, quia facilius est in unam, quàm in plures qualitates mutari; item quia facilius est unam, quàm plures qualitates ex eodem subiecto expellere: ergo censet aliquas qualitates corrupti manere in genito; aliàs non esset dicta mutatio facilior, ut patet: Adde Aristotelem hic lib.

R. P. Francisci Bonæ Spei Physic.

10. textu 34º. dicere, *Manere eandem perspicuitatem & frigus quæ ante, quando ex aère fit aqua.*

xviii. Probatur 3º, quia si non maneat eadem numero accidentia in genito, quæ fuere in corrupto, non erit assignabilis, 1º, dum ex ligno generabitur ignis, causa destructiva caloris in ligno producti, maximè si supponatur ignis, à quo productus est, remanere intimè præsens: 2º nec causa productiva densitatis manentis in igne factò ex pice: 3º, caloris in homine in gelidissima aqua recens submerso: item nec mali temperamenti ex herbis noxiis, cicatricum, caloris, coloris, situs, &c. in corpore statim interfecti; quis enim posset adeo sensus corrigere (ut docent adversarii hic corrigendos) ut rationabiliter apprehendat, ista accidentia esse alia numero in genito, quàm fuerunt in corrupto? id mihi saltem valde molestum foret, ergo, &c.

xix. Nec dicas 1º, calorem in ligno productum non destrui per alterationem causæ efficientis, aut per defectum causæ conservantis; sed defectu subiecti, quod erat totum compositum & perit, nec accidens naturaliter migrat de subiecto in subiectum. Quia quamquam hæc solutio non ita facilè; ab aliis rejiciatur, ut constat ex supposito secundo, facilè tamen à nobis ibidem præclusa est.

xx. Nec dicas 2º, cum nonnullis densitatem in igne ex pice, malum temperamentum, cicatrices, calorem, colorem, &c. produci à forma substantiali succedente; non quidem per se, sed ex inadæquatâ determinatione materiæ; quia scilicet, materia in corrupto erat inadæquatè affecta & radicata prioribus accidentibus: nam sic forma ignis produceret densitatem, cum tamen exigat raritatem; aqua gelidissima calorem, cum sit per se destructiva caloris, & per se productiva frigoris contrarii, quæ omnino gratis finguntur; maximè si attendatur determinationem materiæ per accidentia, quæ fuerunt, & nec secundum se, nec secundum suam actionem perseverant, non magis augere, vel mutare activitatem agentium naturalium, quàm si nunquam fuissent. Hinc

xxi. Probatur 4º, si pereant omnia accidentia, quæ præfuerunt in corrupto; materia in instanti generationis, non magis erit disposita & determinata ad receptionem hujus, quàm illius formæ; ac proinde non magis hæc, quàm illa sequetur; sed hoc est contra experientiam, ergo, &c.

xxii. Respondent varii distinguendo sequelam; non magis erit disposita & determinata, &c. per accidens aliquod actuale, quod fuerit in corrupto, concedunt sequelam; per virtutem præcedentium dispositionum, quæ materiam sigillaverunt, & præparatam reliquerunt, negant sequelam; volunt autem illam virtutem esse quid medium inter accidens actuale & nihil, ac proinde tantum modum quemdam se habendi materiæ à materia realiter indistinctum, utpote ipsamet materiam ad hanc potius, quàm ad aliam formam sigillatam & præparatam. Sed

xxiii. Contra est quòd illud medium inter ens actuale & nihil realiter, sit prorsus inintelligibile, ut probabitur in Metaph. contra esse diminutum P. Poncii; deinde, si illa virtus nihil sit aliud realiter, quàm ipsa materia, ubicumque erit illa materia, erit illa virtus; a proinde materia semper erit ad omnes, ad quas successivè disponi potest, sigillata

lata & proportionata, unde nunquam una magis, quam alia sequetur, quod est contra experientiam, & valde absurdum in sententia plerorumque adversariorum, negantium nequidem divinitus materiam posse duas formas totales simul recipere, cum simul recipere possit omnes formas, ad quas potest simul esse disposita, sigillata & præparata, ut verbis ipsorum utar.

xxiv. Objicies tamen 10, ex Aristotele lib. 1^o. de Generatione cap. 4^o. *Generatio est mutatio totius in totum nullo manente subjecto sensibili*; sed si maneat eadem accidentia, remanet aliquod subjectum sensibile contra Aristotelem, ergo, &c.

xxv. Respondent alii communiter Aristotelem ibi non loqui de subjecto inhætionis, sed denominationis; illud autem manere, hoc non; quia est compositum. Sed contra, compositum non est subjectum denominationis, nisi ratione suarum partium; nam ejus pars remanet; ergo remanet id ratione cujus est subjectum denominationis, ac per consequens remanet subjectum denominationis, saltem partiale, ergo sic non satisfacit Aristoteli. Quare aliter

xxvi. Respondeo distinguendo assumptum, *Generatio est mutatio totius in totum nullo subjecto sensibili manente individuo, & conjuncto formæ*, concedo assumptum; nullo subjecto sensibili manente diviso & separato à formæ, nego assumptum; manet enim materia, quæ est subjectum sensibile; non quidem conjuncta formæ, quia corruptio, quam Aristoteles supponit præcedere, est conjunctionis, sive unionis separatio; sed disjuncta & separata: & hinc etiam patet 1^o quomodo secundum Philosophum 1^o de Generatione Textu 24^o in alteratione maneat idem subjectum sensibile, scilicet individuum & conjunctum formæ priori; non verò in generatione; quia (saltem ordinariè) non manet individuum & conjunctum formæ priori; nam hæc ordinariè cedit succedenti: item quomodo secundum eundem 5^o. *Physic. Generatio fiat de non subjecto in subjectum*, id est, de non subjecto formæ conjuncto, in subjectum formæ conjunctum; unde proportionaliter ibidem dicit, *Subjectum generationis esse materiam nudam*, puta conjunctione cum forma substantiali, idque concomitanter & ordinariè tantum; *Alterationis verò ens completum*, id est, materiam completam per conjunctionem cum forma, idque ex mente ipsius & secundum nos ordinariè tantum; quæ omnia alii difficulter conciliant. Quod verò nonnulli objiciunt ex eodem in prædicamentis cap. 6^o. *Ablatis primis substantiis cæterorum nihil remanere*, non urget; quia per primas substantias non intelligit substantias totales ut totales, sed substantias secundum quaslibet sui partes; certum autem est in omnium sententia ablatis quibuslibet substantiæ partibus, nulla accidentia remanere posse.

xxvii. Pro Solutione Objectionum à ratione, attende semper materiam solam esse subjectum inhætionis accidentium, &c. quæ pereunte, necessariò naturaliter pereant accidentia illa; quia migrare non possunt de subjecto in subjectum inhætionis: compositum verò esse tantum subjectum totale denominationis, quò pereunte, non pereunt; quia de subjecto in subjectum totale denominationis transire possunt, non secus ac ipsa materia: si verò dicatur accidens advenire enti completo, non est sensus, quòd necessariò adveniat materiæ, jam informatæ

formâ substantiali, sive materiæ completæ per formam substantialem, ut patet ex dictis 1^o. *Physic. Disputat. 2^a. quòd materia recipiat formas substantiales per potentiam accidentalem realiter à se distinctam*. Sed quòd non sit de conceptu & constitutione essentiali (puta quoad præcipuas partes) entis substantialiter completi, vel absolute, entis essentialiter secundum essentiam sibi proportionatam completi.

xxviii. Nec dicas 10, cum P. Poncio *Physic. lib. 1^o. Disputat. 6^a. quæst. 4^a. concl. 3^a. quòd si materia sola sit subjectum inhætionis accidentium, fore, ut nulla detur alteratio violenta, eò quòd à nulla prorsus qualitate materia prima abhorreat; nam hinc solum sequitur nullam alterationem fore violentam materiæ secundum se, bene autem composito, sive materiæ ut tali formæ unitæ, cui tantum alteratio potest esse violenta.*

xxix. Nec dicas 2^o, cum eodem loco citato, prius materia recipit formam substantialem, quam quantitatem; ac proinde quantitatem mediante formâ; ergo subjectum inhætionis accidentium non est sola materia; probabis antecedens, quia materia prius respicit actum per se & primû, qualis est forma substantialis, quam per accidens & secundum.

xxx. Respondeo enim negando antecedens pro utraque parte, & contrarium patet; tum in dicta potentia accidentali materiæ, per quam formas substantiales recipit; tum in eo, quòd introductio formæ substantialis supponit materiam esse actu dispositam, & ad ipsam præparatam: ad probationem verò antecedentis distinguo, materia prius respicit actum per se & primum ordine intentionis, concedo assumptum; ordine executionis, sive productionis, nego assumptum; unde forma substantialis non est quidem hoc sensu primus actus, quòd primò introducatur & informet materiam, sed hoc, quòd sit præcipuus, quia radix & actus principaliter à natura intentus.

D V B I V M V L T I M V M.

Quo sensu verum est Generatio unius est corruptio alterius; ubi, an detur forma cadaveris.

R E S O L U T I O I.

xxx. **D**ico 10, Axioma istud, *Generatio unius est corruptio alterius*, & è contra, quod ex Aristotele sumitur, est verum in sensu identico, & non aliter.

xxxi. Probatur prima Pars, quia sensus identicus hujus Axiomatis *Generatio unius est corruptio alterius* est hic, *Generatio unius est negatio negationis, sive corruptio negationis*, qui æquivaleret, *Afirmatio est afirmatio*; quia generatio quædam afirmatio est; & negatio negationis similiter, quia duplex negatio facit affirmationem, ergo, &c.

xxxii. Probatur secunda Pars, quia vel Axioma illud intelligitur de accidentibus, vel de substantiis; sed, sive de illis, sive de his, intelligatur, non est alio sensu verum, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte; quia generatio potentie instrumentalis materiæ, non est alterius corruptio; quia non habet contrarium: deinde generatio lucis non est corruptio alterius præterquam nostro sensu, & sic de generatione cujusvis ex disparatis: Probatur pro secunda parte; quia sicut dantur generationes accidens-

tium,

tium, quæ non sint alterius corruptiones, quidni & substantiarum etiam dari possent? si enim dentur accidentia quædam disparata, quidni & quædam formæ substantiales disparatæ dari possent? an autem de facto tales non dentur; experientia non docet, ut vidimus lib. 1^o. Phyc. Disp. 3^a. Dub. 1^o. ergo, &c.

xxxv. Confirmatur 1^o, quia ut probatum est lib. 1^o. Phyc. Disputat. 2^a. Dub. 8^o. materia non ita pendet, à forma substantiali, quin naturaliter existere possit sine omni forma substantiali: deinde uti etiam ibidem Disp. 3^a. Dub. 3^o. duæ formæ totales non subordinatæ possunt naturaliter simul existere in eadem materia; atqui hinc evidenter sequitur intentum, ergo, &c.

xxxv. Confirmatur 2^o, si Axioma istud esset alio sensu verum; aut verum esset in sensu formali, aut in sensu concomitante, aut in sensu causali, sed nullo ex his verum est, ergo, &c.

xxxvi. Probatur minor pro prima parte, quia sensus formalis præsupponit identicum, neque generatio de corruptione affirmari potest sensu alio præterquam à nobis allato; alioqui sequeretur veram esse hanc prædicationem *ens est non ens*, ut consideranti patebit, ergo, &c.

xxxvii. Probatur minor pro secunda parte; quia, vel quælibet forma substantialis exigit corruptionem alterius existentis in isto subiecto, vel non? non primum, quia de forma substantiali experientia nihil docet, ut patet ex lib. 1^o. Phyc. Disp. 3^a. Dub. 10. ratio autem suadet non magis omnes formas substantiales cujuscumque alterius formæ substantialis in eodem subiecto existentis corruptionem exigere, quam omnes accidentales alterius accidentalis in eodem subiecto existentis; non enim debemus similem exigentiam contra rationem, sine experientia, fingere, ergo, &c.

xxxviii. Probatur tertia Pars; quia sensus causalis istius axiomatis est hic, *Ideo corrumpitur forma verus, quia nova introducitur*; qui omnino falsus est, ut statim diximus, & maxime ex primis mundi, terræ, Cælorum, &c. generationibus, ut vidimus lib. 1^o. Phyc. Disp. 3^a. Dub. 5^o. ergo, &c.

xxxix. Confirmatur 3^o, duæ formæ substantiales possunt in ordine ad idem subiectum naturaliter esse sibi invicem subordinatæ, ergo & duæ aliæ possunt esse in eodem subiecto compatibles: à pari.

xl. Objicies 1^o, Aristoteles lib. 1^o. de generatione cap. 4^o. ut notat D. Fromondus de Anima lib. 1^o. cap. 5^o. dicit *in omni generatione corporis naturalis totum mutari in totum, ut aer in aquam, vel aqua in aerem*. Ergo juxta Aristotelem Axioma illud alium sensum habet, quam identicum allatum.

xli. Respondeo Aristotelem ibi loqui de generatione contrariorum, ut patet ex exemplis, quæ adfert; duplex enim est generatio, una oppositi prout opponitur privativo, quomodo, dum generatur album, corrumpitur non album, & hoc sensu semper & absolute verum est *generatio unius est corruptio alterius*, & è contra; alia oppositi prout opponitur contrario; quomodo, dum generatur album, corrumpitur nigrum, & hoc sensu generatio unius non semper est corruptio alterius; unde ad rem nostram optime D. Thom. q. 28. de veritate art. 6. ubi, ut ad hanc objectionem: *secundum Philosophum generatio unius est corruptio alterius*, respondeat, in corpore art. ait, *est autem oppositorum quantum ad hoc at-*

tendenda quædam differentia: nam quædam opposita sunt, quorum utrumque ponit naturam aliquam, ut album & nigrum; & in talibus oppositis negatio utriusque est negatio realis, id est, alicujus rei; & ideo cum affirmatio non sit negatio; quia esse album non est idem, quod non esse nigrum, sed realiter differunt, ideo corruptio nigri, cuius terminus est esse album, sunt realiter diverse mutationes, quamvis sit unus motus, ut supra dictum est. Quædam vero opposita sunt, quorum alterum tantum est natura quædam, reliquum vero non est nisi remotio, vel negatio ipsius, sicut patet in oppositis secundum affirmationem & negationem, vel secundum privationem & habitum. Et in talibus negatio oppositi, quod ponit naturam aliquam, est realis, quia est alicujus rei; negatio vero alterius oppositi non est realis, quia non est alicujus rei; est enim negatio negationis, quæ est negatio alterius oppositi. Et ideo hæc negatio negationis nihil differt secundum rem à positione alterius; unde secundum rem idem est generatio albi, & corruptio albi.

xlii. Objicies 2^o, non datur casus, in quo detur corruptio substantialis, & non detur generatio contrariè oppositi: ergo nec è contra ullo casu datur generatio substantialis, in quo non detur corruptio substantialis: Probatur assumptum, quia si quispiam talis daretur, maxime esset casus in quo homini corperigeretur, caput abscinderetur, aut subito inoreretur: atqui illo casu non datur corruptio sine generatione, quia statim generatur forma cadaveris, ergo, &c.

xliii. Respondeo negando assumptum, ad ejus Probationem, Respondeo verè in illis casibus dari corruptionem sine generatione; quia vel dicendum formam cadaveris nihil esse præter privationem formæ viventis in corpore organico; vel, si positiva sit, necessariò admittendum formam cadaveris esse formam totalem substantialem positivam formæ viventis non subordinatam; ac proinde simul esse duas formas totales substantiales in eadem materia, uti probavimus locis supra citatis: ex quo adhuc stat, quòd detur corruptio sine nova generatione substantiali, ut contendimus; primum tamen mihi videtur verius; quia quidquid D. Fromondus lib. 1^o. de Anim. cap. 5. art. 5^o. non apparet à quo, & quomodo, tam subito disponi possit materia ad formam cadaveris: si dicat 1^o dispositiones ad illam præfuisse; infero, ergo & ipsa, quod negant omnes communissimè: si dicat 2^o, formam cadaveris alias dispositiones non petere, quam absentiam formæ viventis à corpore cadaverico: dispositio est privativa, quam puto debere ordinari ad formam privativam sibi proportionatam, neque sufficere ad formam positivæ dispositionem necessariam. Si dicat 3^o Deum, sive causam universalem, communiter quidem determinari à causa secunda ad formam substantialem in materia introducendam, ubi tamen deest, uti in dictis casibus, supplere causæ secundæ defectum: dicam ex talis causæ secundæ defectu, melius adstrui effectus proportionaliter defectum quam effectum, cujus alioqui nulla necessitas à Deo, supplente vices causæ secundæ, produci: quia in purè Phycis & naturalibus ad Deum recurrere, nec Phycicum, nec naturale est; vel si semel id liceat, dicam causas secundas nihil profus naturalium agere.

xliiii. Instabis, non est cur forma cadaveris non dicatur forma universalis ex naturâ suâ ordinata ad supplendum defectum formæ viventis; hoc ipsò quòd definit, ita P. Comptonus Disp. 2^a. de

Generatione Sect. 4^a. quia inquit, semper & æqualiter sequitur ad formas omnium animalium, ut illarum materias informet quocumque ferè modo pereant, ergo, &c.

XLV. Respondeo hoc argumentum potius convincere non dari formam cadaveris positivam, quàm oppositum; quia reverà quantum ratio &

experientia docent, præcisè positâ ablatione formæ viventis, dicitur esse; ablatio autem est pura privatio, privatio verò præcisè non est forma positiva. Vnde P. Comptonus supponit falsum, videlicet id quod sequitur semper & æqualiter ad defectum formæ viventis, esse formam cadaveris positivam, cum sit pura privatio formæ viventis.

DISPUTATIO QUARTA.

De Nutritione & Alimento.

I. **N**utritio dupliciter sumi potest: 1^o latè pro quavis conversione alimenti in substantiam aliti, & sic lampas dicitur nutrirî oleo, focus ligno; quia lampas ardens oleum, focus lignum in se convertit: 2^o strictè prout solis viventibus convenit. Pro qua, fit

D V B I V M I.

Quid Nutritio viventium, & quomodo fiat.

R E S O L U T I O I.

II. **D**ico 1^o, Nutritio viventium est conversio alimenti in substantiam aliti, facta ab anima virtute caloris naturalis, ut fiat restauratio ejus, quod absumi cœperat: hæc definitio clara est.

R E S O L U T I O II.

III. **D**ico 2^o, Nutritio viventium hoc modo fit: 1^o cibus triginta duobus dentibus (quos ordinariè in ætate competenti os continet) comminuitur, & salivâ (quæ est humiditas è cerebro fluens, & recepta in glandibus gutturi conjunctis (cui Galenus virtutem magnam attribuit, ad excitandos sapores & facilius deglutiendos cibos) alteratur: 2^o cibus hoc modo comminutus & alteratus, partim agitatione linguæ, partim attractione gulæ (quæ est foramen ad quod transeunt cibi & potus) per stomachum (qui est canalus totus nervosus) in ventriculum (qui est sacculus oblongus, pro cibi & potus quantitate magis minusve se dilatans) trajicitur: 3^o ibi concoquitur & transmutatur, partibus vicinis, ut corde, jecore, liene, &c. ventriculi calorem coadjuvantibus in cremorem album, similem cremori lacteo, quem medici Chylum vocant; & hæc est prima cibi & potus concoctio. 4^o Chylus per pylorum (qui est alterum ventriculi orificium) à ventriculo propellitur in intestina (quæ sunt corpuscula quædam per varios flexus & ambages convoluta, ad ulnas fere quadraginta extensibilia) & quod subtilius est per venas mesaraicas, id est, mesarai sive reitæ adipoli, cui secundùm aliquam sui partem adherent) attrahitur ad jecur (quod est officina sanguinis) ibique excoquitur, donec virtute caloris naturalis & spirituum animalium transformetur in Chylum (& hæc est secunda cibi potusque concoctio) qui est massâ quatuor humoribus constans, quorum atra bilis, seu melancholia descendit ad lienem, flava bilis, seu cholera, secedit ad folliculum fellis, pituita verò & sanguinis, quæ ordinariè sese concomitantur, major pars tendit in venam cavam, (quæ est canalus crassior, in quo sanguis in jecore formatus recipitur.) 5^o ex vena cava per varios ramos & ali-

quot millia venularum, quas habent, per totum corpus diffunditur, ut per potentiam nutritivam in substantiam viventis convertatur; altera verò pituita & sanguinis purioris pars, fluit ad cor, ubi depuratur & subtilizatur in spiritus vitales, qui per arterias & poros totum corpus pervadunt, (si verò copiosiores, quàm ut à poris capiantur; illos & partes circumstantes coextendunt, unde vilvens accrescit;) sed maximè in cerebrum ascendunt, ubi rursus excoquantur; & hæc est tertia cibi & potus concoctio; ita verò excocti transeunt in spiritus animales & ad sensationes eliciendas mediantibus nervis in omnia sensuum organa diffunduntur, sed de his plura differere spectat ad medicos. Solum, fit

D V B I V M II.

In qua actione præcisè consistat Nutritio, quæ & quanta ejus necessitas.

R E S O L U T I O I.

IV. **D**ico 1^o, Nutritio præcisè consistit in educatione partiali animæ materialis ex materia alimenti, vel generatione ut partiali unionem animæ rationalis ad eandem, & continuationem, tum hujus materiæ cum materia viventis, tum hujus partialis animæ (si materialis) cum anima ejusdem viventis.

V. Probatur, quia generatio est conversio alimenti in substantiam aliti: atqui hæc non potest intelligi sine dicta partiali educatione aut generatione unitiva, & continuatione, &c. ut consideranti patebit, ergo, &c.

VI. Confirmatur, quia nutritio est partialis quædam generatio, sive aggeneratio ad substantiam aliti, ergo ut aggeneratio includit primam actionem, ut aggeneratio ad substantiam aliti, continuationem, &c. ut consideranti patebit.

R E S O L U T I O II.

VII. **D**ico 2^o, necessitas nutritionis ex variis causis oritur. 1^o ex eo quòd calor naturalis humidum radicale depascit & exurat, non secus ac flamma lampadis oleum; unde requiritur humidum cibale, sive alimentum, quod radicale restaurat & humidificet: est autem humidum radicale pinguis quidam & oleaginosus humor, quo pascitur & temperatur calor naturalis, ne corpus exsiccet & adurat. 2^o ex transpiratione, seu evaporatione, spirituum vitalium, 1^o per operationes immoderatas & vehementes; unde qui diu-

tius dormiunt minus fament: 2^o ab aere corpus circumstante & cibo ac potu ipso; nam dum potentia nutritiva in ipsum (ut convertat) agit; reagit, nocetque suis superfluitatibus & excrementiis humoribus ex Chylo & Chymo secretis. Ex his

VIII. Colliges aliam, atque aliam esse spirituum transpirationem, seu evaporationem, pro alia, atque alia constitutione hominis operantis, vel quiescentis, vigilantis, vel dormientis; quia corporis agitatione plures spiritus evaporantur, quam quiete & dormitione, ut experientia patet; item & pro diversis anni tempestatibus calidis, aut frigidis, &c. nam sicut calor naturalis in hieme, ob circumstantis frigus, est intensior; ita plus absorbit & copiosioris humidum cibalis restaurativi indiget.

RESOLUTIO III.

IX. Dico 3^o, necessitas nutritionis est per totum tempus vite continua.

X. Probatur, quia, cum calor naturalis sit agens necessarium, semper aliquid humidum radicalis absorbit, & exurit; unde continua restauracione indiget, ne alioqui nimum tabescat vivens, & moriatur, ergo, &c.

XI. Objicies tamen, quaedam animalia sine nutritione valde diu vivunt; 1^o glires tota hieme non comedunt. 2^o ursi, imò & homines, interdum quadraginta diebus cibo abstinent, ut varie narrant historici, ergo, &c.

XII. Respondeo 1^o, de hominibus dubium esse, an illud verum sit; an naturaliter factum, si verum: 2^o nonnulla animalia esse talis temperamentum, ut vel aërem facile in vapores, quibus nutriantur, convertant; vel sibi conservare multos humores indigestos, quos postea bene, ob debilitatem sui nativi caloris & frigiditatem pituitæ, concoquunt, ita ut illis nutriantur, ac interdum impinguescant; quia verò interdum non valet calor naturalis illos in carnem convertere, in adipem seu sanguinem coagulatum immediate convertit.

DUBIVM III.

Quid famés, sitis, & unde oriuntur.

RESOLUTIO I.

XIII. Dico 1^o, famés per causam finalem ab Aristotele 2^o de Anima cap. 3^o. definitur, *Appetitus calidi & sicci*; per causam formalem verò, est *dolor, sive sensus convulsions ventriculi, defectu alimentati*; ob hunc enim dolorem repellendum appetitur calidum & siccum; unde patet dictum appetitum esse tantum causam finalem famis formaliter sumptæ.

RESOLUTIO II.

XIV. Dico 2^o, sitis per causam finalem ab Aristotele loco citato definitur, *Appetitus humidum & frigidum*; per causam formalem verò est *dolor, sive sensus convulsions ventriculi, defectu potus*; ob hunc enim dolorem repellendum appetitur humidum & frigidum; unde etiam patet dictum appetitum esse tantum causam finalem sitis formaliter sumptæ.

RESOLUTIO III.

XV. Dico 3^o, famés oritur ex eo, quod membrum debito alimento privata, quidquid est in ventriculo, illum corrugando & mordendo, exsugant: sitis verò ex variis aliis etiam causis oritur, ut calore jecoris, vel alio calore adventitio, vel falsedine ventriculo inhaerente, vel ex ardore febris, quæ omnia cum dictos dolores causent, causant consequenter dictos appetitus.

XVI. Adde definitionem, quæ Aristoteles famem definit, *appetiturum calidi & sicci*, omnino dici debere esse per causam finalem, & non per effectum, ut vari.

XVII. Probatur prima Pars 1^o, à definitione causæ finalis, *causa finalis est id, propter quod aliud fit*; atqui famés in quantum ab eodem formaliter definitur *dolor*, revera fit, ut sit in vivente appetitus calidi & sicci, ergo, &c. 2^o ex modo causandi causæ finalis, *causa finalis causat ut fit, & non quia est*; atqui appetitus calidi & sicci non causat famem ut dolorem, quia est realiter; nam prius est dolorem esse realiter, quam appetitum, &c. sed ut sit realiter; quia dolor ille excitat animam, ut illum realiter ponat, ergo, &c.

XVIII. Probatur secunda Pars; quia si appetitus calidi & sicci, esset effectus famis, ut doloris, &c. esset effectus illius ut causæ finalis, vel ut causæ efficientis; sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte, quia dolor ille non est causa finalis istius appetitus: 1^o, quia hic non fit realiter ut sit dolor ille, sed è contra: 2^o, quia non causat istum appetitum ut sit realiter per ipsum, sed quia est realiter, & ut per ipsius objectum cesset esse realiter: Probatur item pro secunda parte; quia licet appetitus ille excitetur in anima ad præsentiam doloris, non potest tamen dici dolor ille causa efficiens illius, sed anima; & ille dolor ut summum causa objectiva illius, ad eum ferè modum, quo cognitio diceretur effectus parietis; quod quoniam non nisi improprie, & absolute non dicitur, ita absolute dici non potest allatam ab Aristotele famis definitionem tradi per effectum. Hæc applica definitioni, quæ sitis definitur *appetiturum frigidum & humidum*.

RESOLUTIO IV.

XIX. Dico 4^o, alimentum debet esse partim simile, partim dissimile viventi; dissimile quidem actu, simile verò potentia.

XX. Probatur, quia si esset omnino simile, non deberet concoqui, eo quod non detur naturaliter (ut infra probabitur) actio similis in omnino simile: si autem non esset potentia simile, frustra in illud ageret virtus viventi; quia non posset illud in suam substantiam convertere, & hinc est quod ferrum, lapis, purum elementum, &c. non possint esse alimentum hominis, ergo, &c.

XXI. Dices tamen quaedam animalia venenatis vescuntur, ut gallina araneis, ciconia serpentibus, imò & ipse homo, uti de Mithridate canit Poeta:

Proscit poro Mithridates sæpe veneno

Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Item strutio ferro, salamandra igne, talpæ terræ, Chameleon aëre, pisces & herbæ quaedam aqua; sed hæc alimenta non videntur esse potentia similia alito, ergo, &c.

XXII. Respondeo negando minorem; quia alimentum

menta quæ respectu nostri non sunt potentiâ similia, respectu istorum animalium possunt esse similia, & habere temperamentum valde proportionatum, per hoc, quod paulatim affueverint similibus uti, ut de Mithridate constat; verisimilius tamen est, ut nonnulli experti sunt, strutionem ferro non nutrirî, sed illo confortari tantum, non secus ac homo, odore, & postmodum illud exspuere, vel saltem indigestum semper servare: salamandra verò in igne quidem propter suam summam frigiditatem aliquamdiu suis indigestis humoribus vivit, non tamen igne vivit; quia tandem igne consumitur; talpæ autem terrâ eodè modo variis substantiis mixtâ vivunt, sed non terrâ solâ; item nec Cameleon aère solo, sed ex variis vaporibus mixto & muscarum aucupio; nec pisces, nec herbæ, purâ aquâ vivunt; sed limosâ terrâ fundi; horum ratio est, quia purum elementum habet aliquam qualitatem in summo, non ita vivens, sed in gradu remisso tantum, unde tentans illud in se convertere, succumbit.

QVÆSTIVNCVLA I.

xxiii. **P**etes an vivens nutrirî possit 1^o odore, 2^o potu.

xxiv. Respondeo vivens aliquo potu nutrirî posse, ut vino & cerevisiâ; quia, cum hæc sint substantiæ mixtæ liquidæ, facîle in sanguinem convertuntur; unde sæpe contingit potitatores magis pinguescere & nutrirî, quàm qui delicatis cibus plus indulgent; potu tamen & cibo moderato uti, semper est bonum; sed quid de odore? puro odore accidere nullus nutrirî potest, licet cerebrum confortare possit; quia alimentum in substantiam aliti converti debet, & restaurare substantiam aliti depastam; unde speciebus sacramentalibus nullus, nisi miraculosè, nutrirî potest.

xxv. Dixi puro odore, &c. quia odoriferis exha-

lationibus panis pistores, afforum coci, non rarò nutrirîntur; quia ut rectè D. Fromondus de Anima lib. 2^o. art. 1^o. si spiritus odorati non liberè vagentur, sed solidiori alimento compediti sint & impliciti, possunt cum cætero alimento tantum crassamentum à facultate nutritiva accipere, ut in partem viventis solidiorem, aut in humidum ejus radicale, valeant constipari & facessere.

QVÆSTIVNCVLA II.

xxvi. **P**etes 2^o, an elementum, ut aqua aliis mixta, ut pani, terræ, &c. nutriat.

xxvii. Respondeo affirmativè, quia licet sit corpus simplex, & Aristoteles cap. 6^o. de sensu dicat, *cibum oportet esse compositum; quia, quæ nutrirîntur, non sunt simplicia*: contrarium tamen verius; nam, ut colligitur ex Scriptura, lignum, quod transplantatur super aquas, ad humorem mittit radices suas, Jeremiæ 17. *Plantavit pinum, quam pluvia nutrivit*: igitur aqua nutrit, & certè, ut rectè notat D. Fromondus de Anima lib. 2^o. cap. 2^o. art. 1^o. miseri essent Anachoretæ, si aqua solidiori cibo & pani commixta non nutrirret, unde Aristoteles lib. 8. Metaph. cap. 5^o. docet *omne animans humido nutrirî*. Et S. Thomas in 4^{um}. dist. 8. q. art. 4^o. *quamvis aqua (id est, se solâ) non nutriat, (quia scilicet defectu pinguedinis non adhæret, sed continuò fluit) tamen commixta nutrit, & quidem tam celeriter (addit idem Fromondus) ut si post siccitatem, pluvia superveniat, herbæ antea flaccidæ subito erigant caput, & sic crescere festinent, ut lineæ fortè in vindario superextensa paucillo tempore penetrent, si fila non satis compressè texta sint.*

xxviii. Adde quòd cicada rorè: Cameleon aère: pyramista igne; serpentes & arbores terrâ saltem mixtis vivant, ut referunt naturalistæ.

DISPUTATIO QUINTA.

De Accretione & Decretione.

i. **A**cretio, & idem dicte Decretione, dupliciter sumitur: 1^o latè sive improprie, & est quævis augmentatio; sive fiat per externam tantum juxta-positionem materiæ novæ ad priorem, ut in igne, lapidibus, &c. sive per rarefactionem, ut in lacte bulliente: 2^o strictè & proprie; Pro qua, fit

DVBIVM I.

Quid proprie dicta Accretio, & quomodo fiat.

RESOLUTIO I.

ii. **D**ico 1^o, accretio proprie dicta, sive viventis, Est motus ab anima factus, per quem vivens secundum partes, saltem aliquas notabiliores, certâ proportionem majorem acquirit quantitatem.

iii. Dixi 1^o ab anima factus, ut excludas accretionem improprie dictam, & non viventium, quæ etiam excluditur per ly *secundum partes*.

iv. Dixi 2^o, secundum omnes partes; quia partes sunt poris contiguæ, qui introsumunt alimentum & dilatantur.

v. Dixi 3^o. certâ proportionem, id est, ita ut majores

magis, minores minùs crescant; magis in longum, quàm in latum, &c. quod per i debet ex virtute formatrice & organizativa, quæ remanet in singulis membris, & determinata est ad hanc potius, quàm illam extensionem; ut constat ex prima generatione, formatione, organizatione, &c.

vi. Dixi 4^o, majorem acquirit quantitatem; puta quantitativam & substantialem; non verò formalem & accidentalem, uti acquiritur per rarefactionem, quam per has particulas excludas.

RESOLUTIO II.

vii. **D**ico 2^o, Accretio proprie dicta, sive viventis, fit hoc modo: alimentum è venis & à partibus corporis per poros, id est, tenuissima foramina, seu meatus, introsumitur; quòd si sit major parte substantiæ per calorem naturalem depastâ & absumptâ, augetur & accrescit vivens; attende tamen totam accretionem maxime ad partes solidas, ut ossa v.g. pertinere; unde quadragenarii, & similes, qui adultâ ætate pinguescunt, non dicuntur simpliciter crescere, sed secundum quid, sive secundum carnem; è contra verò pueri, qui secundum carnem

carnem gracilefcunt, & crefcunt fecundum offa, dicuntur fimpliciter crefcere.

D V B I V M I I.

Quis fit terminus Accretionis ftrictè fumptæ, feu viventis.

ANte Resolutionem
 VIII. Adverte in communi fententia omnium docentium modum continuationis realiter diftingui à partibus continui, adferri pro termino ad quem accretionis, in composito purè materiali, partialem formam, unionem ejus cum materia alimenti, illius formæ continuationem cum priori, & continuationem materiæ alimenti cum materia aliti: fed, fi fortè adderent ipfam partialem quantitatem, à materia fecundum ipfos realiter diftinctam, eife terminum ad quem accretionis viventium: præterquam quòd talem quantitatem non agnofcamus, certum eft accretionem non terminari immediatè ad quantitatem, fed folùm ad materiam, cui eft còæva, & hoc fufficit, cum hæc materiam neceffariò concomitetur; deinde etiam fi ad illam immediatè terminaretur, ifta præfuppoſitivè in nutritione admittere deberent, propter quod eft graviffima difficultas, quam fic aperio: materia prima, utpote continua, conftat partibus in infinitum divifibilibus, unde aliqua continuatio fuarum partium eft ipfi eſſentialis; hoc fuppoſito, peto, an hæc continuatio generetur, an creetur? fi generetur, generabitur ipfa materia; quia, ut patet, in homine, ideo tantum dicitur homo generari, quia unio inter ipſius partes eſſentiales generatur; hoc autem (quia negant ſubſiſtentiam eife baſim) reputant omnino impoſſibile, faltem naturaliter: fi verò creetur, jam nutritio in illa ſententia & accretio erunt naturaliter impoſſibiles; quia creatio reſpectu cauſarum ſecundarum jam exiſtentium eſt naturaliter impoſſibilis.

IX. Similis eſt difficultas in ſententia communi Thomiſtarum admittentium puncta continuantia & terminantia, quam fic expono.

X. In nutritione & accretione materia alimenti continuatur cum materia aliti: unde 1º, vel illa còtinuatio generatur, vel creatur? &c. ut ante: 2º puncta terminantia materiam alimenti & materiam aliti, vel pereunt in ipſa continuatione, vel remanent? non remanent; quia jam in continuo eſſent duo puncta ſibi invicem immediata, ſcilicet punctum terminans, & punctum continuans, ac per confequens daretur continuum ex puris indiviſibilibus, quod agentes de continuo ſupra rejecimus: non etiam pereunt; quia deberent perire per annihilationem, cum ſint partes materiæ quæ creatur; annihilatione verò reſpectu cauſarum ſecundarum, jam exiſtentium eſt naturaliter impoſſibilis, non fecus ac ipſa creatio; unde accretio, ſive nutritio, non poſſet fieri naturaliter, quod eſt planè contra experientiam, quæ videmus infantes grandefcere, & in viros magnos ac pingues evadere.

XI. Nec dicas Deum hæc puncta terminantia annihilare; item continuationem utriuſque materiæ creare; juxta exigentiam cauſæ ſecundæ; quia id repugnat expreſſè definitioni nutritionis & accretionis, quæ ſunt motus ab anima facti naturaliter, ut patet, & non ſupernaturaliter à Deo: deinde fruſtra ad Deum recurritur, cum aliter nutritio & accretio explicari poſſint, ut ſtatim patebit; ita-

que pro alia Resolutione,

XII. Suppono 1º, continuationem nihil aliud eſſe, præter indiftantiam partium ſub certa proportionem & diſpoſitionum temperietali, ſub qua communiter miſcibilia & fluxa inter ſe, hoc ipſo quòd cum tenacitate ſunt indiftantia, dicuntur eſſe continua. Prout ſupra Diſput. de Continuo Dub. 8. monſtratum eſt.

XIII. Suppono 2º, continuum & Phyſicè unitum multum diſtingui: nam continuum non niſi dicit indiftantiam extremorum, &c. Phyſicè verò unitum dicit indiftantiam extremorum diverſæ rationis & unionem Phyſicam mediam inter illa, ob rationes lib. 1º. Phyſic. Diſp. 6. Dub. 1º. allatas, quæ hic non militant; unde continuatio non eſt unio Phyſica, ſed moralis tantum, eo quòd illa communiter dicuntur continua, quæ ſunt indiftantia, &c. His præmiſſis & ſuppoſitis, fit

R E S O L U T I O I.

XIV. **D**Ico 1º, in vivente purè materiali, ut eſt canis, Leo, &c. terminus formalis à quo accretionis eſt privatio: 1º formæ viventis in materia alimenti: 2º privatio accèſſus, ſive præſentiæ materiæ alimenti ad materiam aliti, & formæ novæ introductæ in materiam alimenti ad formam in materia aliti priùs exiſtentem: terminus verò formalis ad quem eſt forma viventis producta in materia alimenti, & accèſſus, ſive indiftantia hujus formæ, & hujus materiæ ad materiam & formam viventis priùs exiſtentis.

XV. Probatur ſecunda Pars, ex qua clarè prima colligetur; quia oppoſitorum oppoſita eſt ratio: nutritio & accretio viventis purè materialis ſunt realiter eadem actio, & ſolo connotato diſtinguuntur, quòd ſcilicet accretio connotet plus ſubſtantia acquiri, quàm ſit abſumptum; nutritio verò ut ſic, id non connotet; ſed tantum plus, aut minus, indifferenter; quod eſt Ariſtotelis hic cap. 5º. dicentis *nutritionem & accretionem idem eſſe*, (puta realiter) licet habeant rationem diverſam, id eſt, diverſas definitiones; atqui terminus formalis ad quem nutritionis, utpote ad generationis, eſt forma viventis producta in materia alimenti, & accèſſus, ſive indiftantia, &c. ſinè continuatione Phyſica materiarum aliti & alimenti, ac formarum aliti & alimenti; quia illa, præter abſurda allata ſupra, quæ ex ipſa ſequuntur, eſt omnino ſuperflua; ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

XVI. **D**Ico 2º, in composito partim ſpiritali, partim materiali, ut eſt homo, terminus à quo accretionis eſt privatio; 1º unionis animæ rationalis ad materiam alimenti, id eſt, nutritionis ut unionis; 2º accèſſus ſive præſentiæ materiæ aliti ad materiam alimenti; terminus verò formalis ad quem eſt unio animæ rationalis ad materiam alimenti, & accèſſus, ſive præſentiæ, materiæ aliti ad materiam alimenti.

XVII. Probatur ſecunda Pars, ex qua etiam prima clarè colligetur; nutritio & accretio hominis ſunt realiter eadem actio, &c. atqui terminus formalis ad quem nutritionis hominis eſt unio, ſive nutritio, ut unio animæ rationalis ad materiam alimenti, & accèſſus, ſive indiftantia, &c. ut ante, ergo, &c.

XVIII. Dices terminus ad quem nutritionis debet realiter distingui à nutritione, ergo terminus ad quem nutritionis non est nutritio ut unio.

XIX. Respondeo distinguendo antecedens; terminus ad quem nutritionis in compositis purè materialibus debet distingui realiter à nutritione, concedo antecedens: in homine, nego antecedens; Ratio disparitatis sumitur ex dictis lib. 1^o. *Physic.* Disput. 6^a. Dub. 3^o, ubi ostendimus generationem hominis non habere terminum substantialem productum realiter à se distinctum, & idem dicendum de nutritione hominis; quæ est adgeneratio hominis; generationem verò compositorum purè materialium habere terminum substantialem productum realiter à se distinctum, v.g. formam, & idem dicendum de nutritione eorum, quia etiam est aggeneratio eorum.

D V B I V M I I I.

Quid sit Decretio propriè dicta.

R E S O L U T I O.

XX. **D**ico decretio propriè dicta, sive viventis, Est motus ab anima factus per quem vivens

secundum partes, saltem aliquas notabiliores cum certa proportione majorem acquirit quantitatem, illa, quæ est per calorem naturalem assumpta. Hæc definitio patet ex opposito definitionis accretionis.

XXI. Adde tamen dictum motum esse duplicem; unum privativum, ut dum calor naturalis aliquid hominis absimit secundum aliquas saltem ipsius partes certâ cum proportione: alterum positivum, ut cum beneficio nutritionis non tantum substantiæ restituitur, quantum calore naturali absumptum est.

D V B I V M I V.

An accretio, & per consequens nutritio, fiat continuè, successivè.

XXII. **R**esolutionem hujus dubii quamquam hic dari solitam, commodius dabimus Disputatione sequenti de Alteratione, quia à Resolutione alia, an alteratio fiat continuè successivè, multum pendet, & de utraque videtur eodem modo Philosophandum. Quare, sit

DISPUTATIO SEXTA

De Alteratione.

D V B I V M I.

Unde dicatur alteratio, & quotupliciter sumatur.

R E S O L U T I O I.

I. **D**ico 1^o, alteratio juxta, nominis etymologiam, ab alterando dicitur; sive ab eo, quod per ipsam res fiat altera, vel, ut vertit Boëtius, *alterata*; sicut enim juxta Porphyrium *Isagog.* cap. 4^o, differentia essentialis faciunt aliud, ita accidentales faciunt alterum sive alteratum.

R E S O L U T I O I I.

II. **D**ico 2^o, alteratio variè sumitur, 1^o latissimè pro mutatione subjecti per quodvis accidens, 2^o strictius pro mutatione subjecti per quamcumque qualitatem, sive materialem, sive spiritualem, sive habeat contrarium, sive non. 3^o strictissimè (quomodo communiter accipitur) pro motu ad qualitatem corruptivam in ordine ad generationem, puta ex intentione alterantis, & entitate sua materiali, sive non accepta præcisè ut alterativa; per qualitatem corruptivam, id est, habentem contrarium, exclude perfectivas, id est, non habentes contrarium, ut lumen; item generationem substantialem, nutritionem & accretionem; include verò contrarias, ut calorem & frigus; & medias, ut calorem & humiditatem: per *ly in ordine* ad generationem (quod additur ex mente Aristotelis) exclude qualitates corruptivas internas, ut amorem & odium, assensum & dissensum; quia generationi non subferuntur, ut patet. Ex his

III. Collige terminum à quo & ad quem alterationis strictissimè sumptæ debere esse positivum,

fecus in generatione, in qua posse esse privativum constat ex dictis supra *Disp.* 1^a.

D V B I V M I I.

An si generatio esset impossibilis, etiam impossibilis esset alteratio.

R E S O L U T I O.

IV. **D**ico si generatio esset impossibilis, alteratio esset naturaliter impossibilis ex parte causæ alterantis; non verò ex conceptu formalis alterationis; ac proinde foret uno sensu naturaliter impossibilis; alio verò naturaliter possibilis.

V. Probant plures Recentiores primam partem; quia alteratio, (de qua hic,) est inter qualitates contrarias corruptivas; ac proinde naturaliter tendentes ad corruptionem, & consequenter ad generationem. Verum

VI. Respondeo negando secundam consequentiam; nam si impossibiles essent generationes substantiales, non minùs calor, v.g. tenderet ad corruptionem ipsius formæ aquæ concomitanter, quàm jam, quia per hoc non mutaret naturam suam, eò quòd ex conceptu formali alterationis non dicat esse dispositionem ad generationem formæ ignis; licet ex entitate suâ naturali talis sit. Quare alter

VII. Probatur prima Pars; quia ideo agens naturale agit alterando, ut producat effectum suæ activitati proportionatum; sed si generatio esset impossibilis, non posset illum producere; ac proinde cessaret finis propter quem naturaliter operatur; ergo non ageret alterando naturaliter; ac proinde alteratio ex illo capite esset naturaliter impossibilis.

VIII. Addunt nonnulli, quòd ex entitate sua fit apta, disponere ad generationem, quæ aptitudo est illi

illi identificata, & tunc cessaret, ac proinde & ipsa: verum, ratio ista non placet, quia aptitudo non cessat ex parte ipsius & quæ ipsi identificata; sed ex parte termini & quæ ad ipsum terminata, ut patet.

ix. Probatur secunda Pars, quia conceptus formalis alterationis maximè consistit in motu ad qualitatem corruptivam, qui adhuc, impossibili generatione, dari possit, ut patet; & alteratio, non nisi ex intentione alterantis, & entitate suâ materiali, si ve non accepta ut alterativa (de qua hic) debet dicere ordinem ad generationem; ergo, &c.

D V B I V M I I I.

An Alteratio, ac per consequens nutritio & accretio, sit motus continuus & successivus?

Ante Resolutionem

x. Suppono 1^o, duplicem à Philosophis assignari alterationem; prima est intensiva, de qua dubio sequenti, & est quæ subjectum perficitur secundum eandem sui partem: secunda extensiva, & est quæ subjectum perficitur secundum diversas sui partes, illa facit majus intensivè, hæc extensivè, & de hac dubium procedit.

xi. Suppono 2^o, dubium procedere de continuitate ex parte temporis, non verò ex parte subjecti, aut partium motus alterativi in se; quia satis constat illius subjectum esse continuum, uti & motum in se, ex hypothesi, quòd continuum non constet ex partibus indivisibilibus; ac proinde motum alterativum similiter esse continuum ex parte subjecti & suarum partium.

xii. Suppono 3^o, pro alteratione duas adferri posse sententias: prima est Ægidii 1^o. de Genes. q. 16. Averrois lib. 3^o. Phisic. comment. 8. Alberti Magni lib. 8. Textu 23. Scoti in 4. dist. 44. q. 5. Pomponacii lib. de Nutrit. & fermentatione cap. 19. & 8. Metaph. Disp. 7. cap. 4^o. Toleti in præfenti q. 11. qui pro se citat Thæmisium & Simplificum. Item Capreoli, Soncinatis, Iavelli, quos sequuntur Hurtadus & Arriaga hic Disp. 2^a. Alterationem esse motum successivum cum morulis interpositis: secunda Gregor. in 1. dist. 17. q. 2. art. 1^o. Soti lib. 10^o. Phisic. q. 4. art. 3^o. Marfilii q. 14. Alberti de Saxonia q. 13. Veneti, nostrorum Complutensium, Ioannis à S. Thoma, & aliorum ferè omnium Thomistarum, Coninck, Poncii, Oviedi, Murcia, Comptoni, & recentiorum communiter, esse successivam: Pro nutritione verò & accretione etiam duæ referri possunt sententiæ: prima est Toleti hic q. 11^a. & multorum Thomistarum, quos sequitur Hurtadus & Arriaga esse successivas, cum morulis interpositis, sic scilicet, ut aliquo tempore disponatur materia alimenti, in quam (positâ ultimâ dispositione) forma viventis introducat in instanti; deinde disponatur alia pars, in quam iterum introducat in instanti forma viventis, & sic consequenter: Secunda est Gregorii & aliorum Nominalium, item Soti, Conimbr. Complut. Poncii & aliorum. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

xiii. Dico 1^o, alteratio tam quoad extensionem, quàm quoad intensiorem fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam.

xiv. Probatur: quia, præterquam quòd alteratio non fit essentialiter successiva, sed permanens, uti ipsius terminus, (unde cuilibet parti temporis indivisibiliter sumptæ non debet necessariò correspondere secundum solas partes divisibiles indivisibiliter sumptas) sequeretur non posse fieri instantaneè, nisi secundum partem divisibilem indivisibiliter sumptam; sed hoc dici non potest, ergo, &c. Probatur minor; quia inde sequeretur id dari realiter in continuo partem proportionalem non aliquotam, si ve partem divisibilem realiter indivisibilem, in quo est contradictio terminorum: 2^o ignem magnum non posse extensioem & intensioem calorem producere, quàm possit parvus per integram horam, quæ simul agerent, quòd est contra manifestam experientiam; ergo, &c. Probatur hæc sequela; quia ignis parvus non potest minùs unâ parte temporis divisibili indivisibiliter sumptâ producere, quàm unam partem caloris, tam quoad extensionem, quàm quoad intensiorem divisibilem indivisibiliter sumptam; nec plus poterit magnus, ergo, &c. Hinc

xv. Collige 1^o, difficulter ad hanc experientiam Respondere illos, qui docent alterationem esse motum essentialiter continuum & successivum, uti est ipsum tempus reale; hoc enim dato debent proportionaliter docere alterationem semper instantaneè fieri secundum partes divisibiles indivisibiliter sumptas, sicuti existit ipsum tempus instantaneè.

xvi. Collige 2^o alterationem, tam quoad intensiorem, quàm quoad extensionem, non sequi approximationem partis passî proportionalis non aliquotæ, si ve divisibilis indivisibiliter sumptæ: quia agentia alterantia agunt uniformiter difformiter per partes aliquotas, & divisibiles divisibiliter sumptas, ut clarè patet ex hac conclusione.

R E S O L U T I O I I.

xvii. Dico 2^o, alteratio, tam quoad extensionem, quàm quoad intensiorem non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis, quoad partes plures determinatas divisibiles divisibiliter sumptas.

xviii. Probat Arriaga de Generat. Disp. 11^a. Sect. 3^a. sonus producit species, & simul totam intensiorem in instanti ad certum spatium, id (inquit) experientia patet; nam qui est juxta findentem ligna, tam citò audit sonum, quàm ictum videat; ergo omnia fiunt in instanti; illæ tamen species non statim in instanti effundunt se ipsas, ut patet, inquit, evidenter experientia; quia qui aliquantulum distantior est, prius videt ictum, quàm audiat sonum, ergo illæ species in diffusionem & operationem sua per morulas interrumpuntur. Sed

xix. Contra 1^o, verisimilius est sonum ad auditum non deferri per species; sed per esse reale suum; quia vel species illæ remanerent jam corrupto sono? & hoc non; quia alioqui naturaliter audiretur sonus non existens; ex quo (præterquam quòd, ut rectè notat D. Fromondus de Anima lib. 111^o. cap. 4^o. art. 8^o. potius sit negotium imaginationis, aut intellectus, quàm sensus externi, acumen suum & cognitionem ad rem non existentem naturaliter extendere) inferrem, etiam naturaliter videri posse colorem non existentem, quòd omnes negant; vel non remanerent nisi remanente sono, & hoc etiam non, quia essent superflue species, ubi objectum

objectum potest per se immediatè movere potentiam, uti potest ad illam distantiam, ad quam ob collisionem corporum aëris tremor propagatur, eo ferè modo, quo aqua per gyros ad injectum lapidem movetur.

xx. Contra 2^o, si species soni non statim in instanti effundant se ipsas, effundent se postquam defuit sonus, ac proinde per illas post effusas percipiuntur naturaliter sonus, realiter non existens, quod jam rejectum est; dum verò D. Fromondus loco paulò ante citato difficultatem hanc evadere putat, dicendo, non sonum non existentem, sed speciem soni existentem audiri *ut quod*; majorem invadit: 1^o quia (præterquam quòd id videatur contra mentem D. Thomæ de verit. q. 8. art. 5^o. *sensus externus simpliciter cognoscit id est ut quod, illud cuius speciem recipit, & nil (nota) aliud.*) si species soni audiat *ut quod* melius dicitur sonus, quàm species soni audiri, unde multiplicat entia sine necessitate: 2^o quia dare debet rationem, cur sonus existens per speciem existentem audiat, *ut quod*, non verò non existens, quandoquidem existens, non per se, sed per speciem audiri debeat. 3^o etiam contra militat contrariatio sequens: 4^o si Deus destructo pariete speciem existentem antea parietis in oculo meo conservaret, viderem parietem non existentem supernaturaliter, eo modo quo ante eum videbam naturaliter, ac proinde *ut quod*; igitur si species soni non existentis naturaliter conservetur, illum audiam naturaliter *ut quod*, quod ante rejectum est.

xxi. Contra 3^o, omnes species soni sunt ejusdem speciei & activitatis, uti lux; quare igitur se non diffundunt in instanti, uti lux, ad totum spatium? P. Arriaga id refert in diversam earum activitatem & naturam experientia notam; verum nec experientia docet eas dari, ut vidimus, nec si dentur, docet id provenire ex natura istarum specierum, & non ex aliis agentibus, ex quibus provenire, quòd sonus priùs à proximioribus ligna findenti, posterius à remotioribus audiat, statim docebimus.

xxii. Probat 2^o, lapis gravis super asserem gravitans non statim frangit asserem; sed post multos dies, vel certè annos, ergo non egit à primo instanti continenter in asserem, aliàs à primo instanti incepisset illum frangere. Sed

xxiii. Contra, lapis à primo instanti continenter egit in asserem, non tamen ab initio illum fregit, quia continuatio Physica partium asseris, præteritum viridis, est valde tenax, & fortiter resistit discontinuationi; quòd verò asser tandem frangatur, ideo est, quia successu temporis tenacitas istius continuationis minuitur per deperditionem alicujus partialis viscositatis partium asseris, majorem excitationem earumdem, &c. si enim asser ex parte sua semper esset ejusdem in partium continuatione tenacitatis, non magis in fine anni frangeretur, quàm initio, prout si lapis ex parte sua semper esset æquè durus, gurta cadendo, numquam cavaret lapidem.

xxiv. Probatur aliter Resolutio, 1^o, exemplo soni (quo utitur P. Arriaga) quod omnino aliter exponemus; sonus in instanti, sive in parte temporis divisibili indivisibiliter sumpta, producit quoad intensiorem & extensionem ad certum spatium, & ad spatium ulterius non nisi interruptè, & cum mora; quia, ut patet per experientiam ab Arriaga aliam: si aliquis ligna findat, qui prope est, tam cito audit sonum, quàm videt ictum; si remotè, priùs

videt ictum, quàm sonum audiat; imò, ut rectè notat D. Fromondus de Anima loco paulò ante citato, *Adeo ut avis, que arbori insidebat, glande icta, à spectatore longinquo decidisse citius conspiciatur, quàm sonitum exaudierit.* Idque, quia species visuales statim per totum spatium in instanti diffunduntur; sonus verò non nisi per moras & interruptè.

xxv. Respondebis ex P. Oviedo de generatione controv. 5. puncto 4^o. n. 15^o. sonum non produci interruptè, & cum mora, ad spatium ulterius; sed primo instanti produci ad certam spheram (licet minore spherà lucis; ex quo fit, quòd priùs videatur ictus, quàm audiat sonus) ultra quam audiri non potest, nisi per motum aëris istius spheræ ulterius, quò successivè ulterius motò, auditur.

xxvi. Contra tamen est 1^o, quòd si ad motum aëris successivum moveretur sonus, deberet idem sonus pluribus instantibus permanere, imò & quamdiu maneret ille aër, cum non habeat contrarium, & non conservetur per novas & novas actiones agentium, à quibus productus est, sed, vel à solo Deo (ad quem hinc recurrere debet P. Oviedo sine necessitate) vel à permanente actione, per quam primò productus est, quæ si petat tribus instantibus durare, quidni quatuor, & pluribus? sequela autem est contra experientiam manifestam.

xxvii. Contra est 2^o, quòd idem sonus deberet ab eadem persona in eodem loco, tertio, vel quarto & amplius audiri; nam, cum aër ad collisionem corporum edentium sonum spherice moveatur per gyros, uti aqua superficialiter ad injectionem lapidis; & aër primi, secundi, tertii & quarti gyri, successivè succedat in locum aëris quinti gyri, ut patet, deberet successivè quinies iste idem sonus audiri, quòd est contra experientiam. Sed

xxviii. Petes cur potius sonus interruptè, & cum mora in medio, quàm species visuales producantur?

xxix. Respondet D. Fromondus loco supra citato art. 4^o. vix aliam rationem reddi posse, quàm quia talis est natura soni, ut sic agat, & speciem sui cum aëris undatione promoveat; sed per hoc nil solvit; quia, vel per omnes undationes species soni speciem sola producit; vel aliud agens? si 1^{um}, aër undans non magis impedit activitatem speciei soni ad speciem sibi similem instantaneè producendam, quàm planè motus activitatem speciei coloris ad speciem sibi similem instantaneè producendam impediatur: si 2^{um}, illud aliud agens quaeritur, & tacet. Quare aliter

xxx. Respondeo rationem esse, quòd visibiles species ad totum spatium se continuè producant independentè à coefficientia aliorum agentium circumstantium; sonus verò ad totum spatium in quo auditur, non nisi dependenter à coefficientia corporum circumstantium se allidentium: cum v. g. ferrum & metallum se allidunt, instantaneè producit qualitas sonora, taliter vel taliter, prout talia vel talia fuerint copora sonora & sonus usque ad finem gyri in aëre per illam collisionem excitatum ibi interruptitur donec aër illius gyri resistantiam aëris propinquè superet, & per collisionem cum illo, mediante qualitate illà sonora, novum sonum edat, & gyrum novum faciat, & sic successivè interruptè de toto reliquo spatio; nec apparet quomodo commodius explicari possit dicta experientia, quin incurrantur dicta contra P. Arriagam incommoda, Hinc

xxx. Dic totius quidem primi gyri sonum edi ex collisione corporum & pugna, sine ictu, aëris; sed 2ⁱ gyri sonum ex qualitate illa sonora & pugna aëris 1ⁱ & 2ⁱ gyri, & sic successivè: qualitas autem illa sonora, uti species visuales per totum medium diffunditur, licet non sonet nisi accedente novo ictu sive pugna aëris 1ⁱ gyri cum aëre 2ⁱ gyri, & sic successive, ut experientia convincere videtur: Si autem quæras, cur qualitas illa sonora expectet novum ictum, sive pugnam aëris 1ⁱ gyri cum aëre 2ⁱ gyri, ut sonum edat? Quæro ego, cur qualitas illa & sonus præsupponant 1^{um} ictum aëris, ut producantur? Si Respondeas talem esse horum effectuum naturam, idem dic de sono effectui istius sonoræ qualitatibus per medium diffusæ: varii enim sunt effectus, quos pendere à diversis agentibus concurrentibus, experientia docet in calore piperis non producto nisi concurrente calefactione oris, v.g. aut ventris.

xxxii. Probatur 2^o, quia alioqui calor structo igne in medio campi deberet notabiliter, imò infinitè in ictu oculi intendi & remitti: sed hoc est contra manifestam experientiam, ergo, &c. Probatur major, quia (ut patet ex Resolutione prima) singulis instantibus, id est, partibus temporis divisibilibus indivisibiliter sumptis, quæ sunt in ictu oculi infinitæ, non extenditur & intenditur secundum partes proportionales minores & minores, sed secundum partes determinatas & divisibiles indivisibiliter sumptas, ergo, &c.

xxxiii. Confirmatur ex Aristotele 8^o Physicorum cap. 1^o. Textu 23^o. *Quare dicere continuè alterari, valde manifestis, est adversari, in contrarium enim alteratio est*, ubi intelliges Aristotelem de alteratione per totum spatium, in quo fit alteratio, prout de illa in hac Resolutione agimus; non verò de alteratione ad certam partem spatii; quomodo de illa in 4^a Resolutione egimus, & agit Aristoteles 5^o Physic. Textu 39^o, ubi dicit *omnem motum propriè dictum esse continuum*; cum verò 6^o Physic. ait *motum non fieri in instanti*, intelligendus est de motu locali, vel de motu alterationis in toto spatio, in quo solet successive fieri, ut paulò ante dictum est.

xxxiv. Objicies, ex hac conclusione sequitur, quòd agens naturale debitè applicatum passo aliquo tempore nihil in ipso producat; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur sequela, quia in tempore illo, quo fieret interruptio, nihil produceret, & tamen, tam esset tunc sufficienter passo applicatum, quàm ante, vel post, ergo, &c.

xxxv. Respondet P. Arriaga negando minorem, dicitque id refundendum in naturam agentium per alterationem nobis experientià notam; verùm ratio ista rudis nimium & perfunctoria est, etenim per hoc non satisfacit, quia hanc interruptionis experientiam adversarii negant, & ideo illius rationem, quam non dari Arriaga fatetur, quærunt. Vnde alter

xxxvi. Respondeo distinguendo minorem; sed hoc est absurdum, si agens naturale adhuc habeat vires ad agendum in passum cui debitè est applicatum, concedo minorem; si non habeat. nego minorem; postquam verò agens, primo instanti ad certum spatium produxit suam qualitatem, non habet vires sufficientes, ut sequenti instanti in illud agat; quia agens primo instanti ita agit uniformiter difformiter, ut nec isto instanti in extremam partem passi, in quod agit isto instanti, possit, etiam

qualitatibus intermediis coadjuvantibus, intensiorem qualitatem producere, nec ultra illam extensorem; secundo verò instanti, nec intendit, nec extendit illam qualitatem; quia secundo instanti contra majorem intensiorem resistit hoc passum, & contra majorem extensionem passum ulterius, non potest autem eodem instanti passum resistere & superari; quia alioqui deberet simul habere duas qualitates sibi contrarias ut contrarias & simul pugnantibus, quarum una eodem instanti in eodem subiecto resisteret, altera vinceret, quod non bene intelligitur: unde secundo instanti, ne intendat, aut extendat illam qualitatem, impeditur resistentià passi, quod tertio instanti superatur, & ideo non resistit; ac proinde intenditur & extenditur illa qualitas, & sic de aliis successive.

xxxvii. Fundamentum Solutionis explico, supposito quòd contraria invicem resistentià formali, id est suà præsentia impediunt quominus contrarium ut contrarium in eodem subiecto, in quo sunt, producat: primo instanti v.g. quo ignis est applicatus aquæ ut illam calefaciat, nec ignis aquam calefacit, nec aqua frige facit ignem; quia illo instanti aqua per suum frigus igni (ut experientià patet) & ignis per suum calorem aquæ resistentià formali resistit, quæ resistentià formalis cum importet existentiam utriusque resistentium in gradu contrario ut contrario, impedit ne isto instanti ignis aquam calefaciat, aut aqua ignem frige faciat; ne alioqui contraria in gradu contrario ut contrario naturaliter in eodem subiecto, consistere debeant: unde secundo dumtaxat instanti causa, quæ fuerit fortior, effectum sibi proportionatum, & intensum ac extensum, secundum majorem virtutem suam in subiecto producit; tertio verò instanti eadem est pugna, seu resistentià formalis ad ulteriorem intentionem & extensionem, quo proinde instanti non fit, sed quarto dumtaxat, & sic de aliis; hæc enim explicatio videtur claram continere rationem experientiæ, per quam diximus nobis manifestari naturam agentium per alterationem.

xxxviii. Nec dicas 1^o, ex P. Oviedo Physic. controvers. 6^a, puncto 4^o, n. 23^o. resistentiam formalem non importare coexistentiam formarum contrariarum; sed hoc solum, nempe quòd in priori, quàm Deus concurrat ad productionem unius contrariorum, & destructionem alterius, attendit utrum fortius esset, & secundum exigentiam fortioris concurreret in posteriori ad productionem, vel conservationem, non productionem, vel destructionem contrarii.

xxxix. Contra enim est 1^o, quòd per hanc explicationem non satisfaciat probationi conclusionis; 2^o quòd ad Deum recurratur sine ulla necessitate, in his, quæ ad causas naturales spectant: 3^o quòd non sit ratio dicendi contrarium 1^o agere per suam substantiam existentem, & non 1^o resistere per suam substantiam existentem; resistentia enim est rei sistentia, & resistere est rem sistere; nam sicut res non existens rem existentem movere non potest, ita, nec sistere, quod fieret, quia resistentia formalis secundum ipsum in eo consistit, quòd Deus prius attendisset ad contrariorum majorem virtutem, & posterius ad illud, quod est majoris virtutis, producendum concurrisset, in quo non requiritur coexistentia contrariorum, & hoc dato non apparet, cur, in ictu oculi, ignis non

non summè suum intendat & extendat calorem, ut dictum est.

XL. Nec dicas 2^o, in tertio instanti non esse diminutam virtutem causæ intendentis & extendentis; sed auctam per accidentia, quæ, adaugendo intensionem & extensionem, secundo instanti, secundum nos, produxit, & per quæ diminuta est virtus causæ contrariæ; unde (inquies) si secundo instanti possit hanc superare, & accidentia sua intendere & extendere, poterit & tertio.

XLI. Contra enim est: 1^o, quod si poterit tertio, poterit & secundo, quia causa & effectus possunt esse eodem instanti, & virtus, per quam causa alterat subjectum tertio instanti, existit 2^o, ut patet; unde tota intensio & extensio fieri deberet in instanti, contra manifestissimam experientiam, & Aristotelem supra: 2^o, ex eo quod dicta virtus non fit imminuta, sed aucta; sequitur quidem facilius superaturam contrariam quoad reliquos gradus; non tamen in instanti immediate sequenti; quia in instanti immediate sequenti est resistentia formalis quoad reliquos gradus; in eo verò instanti, quo est resistentia formalis, contraria non introducunt contrarias qualitates, sed suâ præsentia impediunt ne introducantur: quare in alteratione servatur hic procedendi modus; Primo instanti fit resistentia formalis, sinè victoriâ seu productione contrarii: Secundo fit victoriâ secundum gradus determinatos sinè resistentia; Tertio verò fit resistentia, & sic de cæteris.

XLII. Nec istes dicendo nos experiri calorem continuò serpere per manum igni approximatum, licet successivè; contrarium enim ratio, & experientia docet, ut patet ex Resolutione; nam experimur quidem calorem per manum serpere, sed non continuè; quia interruptio, ubi in passo, v. g. manu tantillum frigidâ, non est multum contrariæ qualitatis, fit brevissimo tempore, quod sensus discernere non potest pro singulis interruptionibus distributivè sumptis; bene pro omnibus collectivè sumptis, ut tum ex prima, tum ex secunda Probatione Resolutionis patet.

RESOLUTIO III.

XLIII. **D**ico 3^o, Accretio & nutritio fit instantaneè quoad partem divisibilem, divisibiliter sumptam.

XLIV. Probatur 1^o, Alteratio fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam, ut patet ex Resolut. 1^a. ergo & accretio ac nutritio; Probatur consequentia, quia alteratio ex natura sua ordinatur ad accretionem & nutritionem, ergo, &c.

XLV. Probatur 2^o, accretio & nutritio, utpotè productio formæ viventis ex materia alimenti, proportionatur corruptioni formæ alimenti; sed hæc quoad partem formæ divisibilem divisibiliter sumptam fit instantaneè, ergo, &c. major admittitur ab omnibus; Probatur minor, quia corruptio sequitur alterationem ex qualitate contraria, quæ fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam (ut constat ex Resolut. 1^a.) & sicut 1^o producitur instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam, proportionaliter ad primam productionem dispositionum instantaneam quoad partem divisibiliter sumptam; ita corruppi-

tur proportionaliter ad corruptionem suarum dispositionum instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam.

XLVI. Objicies 1^o, vivens fortius & citius agit in partem materiæ alimenti proximam, quam in remotiores, ergo prius eam ultimò disponit ad novam formam, & hanc prius educit ex parte materiæ proximæ, quam disponat remotiores; & ex his novam formam educat; ergo, tum alteratio, tum accretio & nutritio fit successivè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam.

XLVII. Respondeo distinguendo antecedens, fortius & citius agit in partem materiæ alimenti proximam, id est, primam divisibilem indivisibiliter sumptam; nego antecedens; in primam divisibilem ex quatuor aut quinque v. g. divisibilibus indivisibiliter sumptis constat, ultra quam incipiat tardius & debilius agere, concedo antecedens; sed hinc nihil contra hanc aut primam Resolutionem.

XLVIII. Instabis, citius & fortius agit in partem alimenti primam divisibilem indivisibiliter sumptam, ergo solutio nulla; Probatur antecedens, quia est agens naturale; agentia autem naturalia agunt uniformiter difformiter; quod non fiet, ergo, &c.

XLIX. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo antecedens, agentia naturalia agunt uniformiter difformiter, id est, citius & intensius in parte proximiori, quam in remotiori, si illa pars sumatur divisibiliter sensu statim dato, concedo antecedens; si sumatur indivisibiliter, nego antecedens: etiam hoc modo potest distingui antecedens, agunt uniformiter difformiter, si fiat respectus ad totam materiam, in quam successivè suos effectus producunt, concedo antecedens; nam postquam eos in quatuor partes materiæ v. g. introduxerunt æqualiter, id est, æquè citò, & æquè intensè; in 4^a, 5^a, & 6^a. inæqualiter, id est, minùs citò & minùs intensè, eos introducunt, & iterum minùs citò & minùs intensè in 7^a, 8^a, 9^a, & c. & sic consequenter; si fiat respectus ad singulas partes divisibiles indivisibiliter sumptas, nego antecedens; nam, ut statim dictum, & supra probatum est, agentia naturalia agunt per aliquot partes, plures vel pauciores prout fuerit natura agentium, uniformiter & æqualiter. Hinc

I. Confirmari potest 1^o, quia incredibile videtur ignem suum calorem, & vociferantem suam vocem ad singula materiæ, sive loci, divisibilia indivisibiliter sumpta minuere; sic enim, cum in materia, aut spatio semidigitali, sint infinita divisibilia indivisibiliter sumpta, ante finem materiæ, aut spatii semidigitalis, deberet calor, & vox esse imminuta ad infinita divisibilia indivisibiliter sumpta; nec ultra calor sentiri, aut vox audiri, posset; quod est contra manifestam experientiam: Ratio hujus est, quia ultra, vel divisibile indivisibiliter sumptum tantum posset? quo casu ageret uniformiter ad plura divisibilia indivisibiliter sumpta, quod negant; vel nihil? hoc est contra experientiam, quæ docet calorem & vocem ultra percipi.

II. Confirmari potest 2^o, forma viventis non potest 1^o introduci, nisi in materiam certæ magnitudinis; atque adeo talem, ut in minore introduci non possit; quo posito sic argumentor: vel illa materia fuit tota simul ultimò disposita, vel non?

non? si non, ergo prius fuit una pars ultimò ad illam disposita, quàm alia; ac proinde finè omni forma substantiali: non enim habet tunc veterem, quia ultimò disposita ad novam; nec etiam habet novam, quia hæc pars materia est minor, quàm sit illa materia certæ magnitudinis, quàm exigit ad primam sui introductionem, ita ut in minorem introduci non possit; hanc autem sequelam contra nos lib. 1^o. Physic. admitti posse negant: si fuit tota simul disposita, ergo agentia naturalia agunt uniformiter & æqualiter per aliquot partes materie divisibiles indivisibiliter sumptas, & non necessariò fortius ac citius in prima divisibili indivisibiliter sumpta, quàm in secunda, ut contendimus.

III. Objicies 2^o. motus localis non fit in instanti, id est, in parte temporis divisibili indivisibiliter sumpta; ergo nec accretio & nutritio: Probatur consequentia, non potest esse acquisitio majoris qualitatis, quin simul sit acquisitio majoris loci, ergo, &c.

III. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem distingo; non potest esse acquisitio majoris qualitatis, quin simul sit acquisitio majoris loci ipsius totius, ratione partium de novo acquiratarum, concedo; quin simul sit acquisitio majoris loci partium præcedentium, ratione sui, nego; quia illæ in rigore non acquirunt majorem locum, sed ipsum totum, ut ex his & superadditis partibus conflatum est.

RESOLUTIO IV.

LIV. Dico 4^o. accretio & nutritio quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas, non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis ita præter supra citatos D. Fromondus lib. 2^o. de Anima cap. 5^o. art. 3^o. ubi sic scribit: *Breviter Aristoteli & S. Thome assentimur nutritionem, nempe & accretionem multis in-*

tervallis interrumpi solere, &c.
 LV. Probatur 1^o, quòd quoad dictas partes fiat interruptè: alteratio quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas non fit continuè successivè, sed interruptè, & cum morulis, (ut patet ex Resolut. 2^a); ergo & accretio ac nutritio. Probatur consequentia, quia hæc alteratio ordinatur ex natura sua ad hanc accretionem & nutritionem.

LVI. Confirmatur, quia producta tota dispositione ad formam in parte sufficienti materie, introducit in eam forma, & non in alias partes; quia non sunt ad eam ultimò dispositæ, ergo necessariò fit interruptio productionis formæ, ut interim cæteræ partes disponantur, ac proinde accretio quoad dictas partes fit interruptè.

LVII. Probatur 2^o quòd quoad dictas partes fiat successivè, & cum morulis, quòd solum restat probandum: agentia naturalia agunt uniformiter difformiter, citius & intensius in parte proximiori, sensu dato, quàm in remotiori, & ordinariè loquendo, in materia alimenti sunt plures partes, quàm ut vivens possit per omnes uniformiter tantum & æqualiter agere, ergo, &c.

LVIII. Confirmatur ex Aristotele 3^o Physic. cap. 1^o. textu 1^o, ubi cum dixisset, *motum Physicum esse de genere successivorum*, textu 6^o enumerat expressè *accretionem*, sumptam scilicet quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas, & potius ut totalem, quàm partialem, ergo, &c.

LIX. Adde 1^o. in homine & simili composito, partim spiritali, & partim materiali, idem dicendum de productione unionis, sive generationis, ut unionis, quòd hic & Resol. præced. de forma viventis, diximus.

LX. Adde 2^o. continuationem formæ novæ ad formam veterem, & materie alimenti ad materiam aliti sequi naturam ipsius accretionis, ut patet.

DISPUTATIO SEPTIMA

De Maximo & Minimo.

I. Hæc Disputatio communis est, tam minimo substantiæ, quàm qualitatis; sed priusquam ad dubia descendamus.

II. Adverte 2^o. à Philosophis duos rei terminos distinguere; unum intrinsecum, quem etiam *maximum* vel *minimum* quòd sic appellant, & extrinsecum, quem etiam *maximum* vel *minimum* quòd non appellant.

III. Intrinsecus est, ad quem res, sive in magnitudine, sive in parvitate pertingere potest, sed non ultra; sic quinque pedes (posito quòd homo naturaliter, ultra ascendere non possit) sunt terminus intrinsecus naturalis magnitudinis hominis; semipes verò (supposito quòd homo infra descendere non possit) est terminus intrinsecus naturalis parvitatatis hominis.

IV. Extrinsecus est, ad quem res non potest quoad magnitudinem ascendere, & quoad parvitatem descendere.

V. Adverte 2^o. allatas definitiones maximè esse

R. P. Francisci Bone Spei Physicæ

terminorum substantiæ; non verò qualitatis, quorum intrinsecus est qui oritur ex natura qualitatis illum exigentis; extrinsecus, qui à causis extrinsecis.

DUBIUM I.

An dari possit maximum & minimum substantiæ.

VI. Ante Resolutionem
 A Adverte 1^o. dubium etiam intelligi de quantitate, quia realiter est substantia secundum nos; secundum alios, quos in Logica refutavimus, substantiæ coæva proprietatis.

VII. Adverte 2^o. dubium tam procedere de non viventibus, quàm de viventibus.

VIII. Adverte 3^o. statum communem rerum, qui passim connaturalis dicitur, non tam considerari ex rebus ipsis secundum suas naturas, quàm secundum suum ordinem, quem habent ad concursum

D d Dei

Dei ordinarium, & modum operandi causarum naturalium, quæ pro illo tempore sunt; nam quoddam homo jam vivat naturaliter ultra centesimum aut centesimum decimum annum, id non habet ex natura sua; alioqui Adam, Abraham, & alii multi olim contra & supra naturam, ferè mille annis vixissent, quod non est dicendum.

ix. Advèrte 4^o. dubium procedere de rebus juxta statum communem & connaturalem: nam non est cur secundum Dei omnipotentiam & concursum ejus extraordinarium ulla substantia, vel qualitas, dicatur habere terminos magnitudinis, aut parvitatibus, ultra quos, nec crescere, nec decre- scere possit. His præmissis, sit

R E S O L U T I O I.

x. **D**ico 1^o. viventia secundum statum rerum communem & præsentem habent terminos intrinsecos & extrinsecos magnitudinis & parvitatibus in accretione & decre- tione.

xi. Probatur prima pars 1^o ex Aristotele 1^o Physic. cap. 4. text. 16^o. & 2^o. de Anima cap. 4. text. 41^o. ubi eam expressè docet.

xii. Probatur 2^o, quia alioqui corpus posset tandem fieri infinitæ magnitudinis, & consequenter capite ferè infinitè distans à stomacho; quo casu homo non posset nutrirè; quia requireretur ferè infinitum tempus ad trajectionem alimenti ore ad stomachum, ergo, &c.

xiii. Probatur 3^o experientia: primi parentes, qui ferè ad mille annos vitam protraxerunt, non fuerunt, secundum quod legitur, majores nobis, ac proinde non semper accreverunt in magnitudine, nec nos, quantum experimur, ultra vigesimum quintum annum in magnitudine crescimus, & si impingescamus, sæpe contingit nos nimia pinguedine suffocari, ergo, &c.

xiv. Confirmatur, viventia accrescunt per nutritionem; sed in illis potentia nutritiva est finita, & ejus instrumenta v. g. calor naturalis, &c. paulatim minuuntur & debilitantur, ergo & ipsum vivens.

xv. Probatur secunda pars; quia formæ vitales requirunt corpus organicum, quod debet esse certæ magnitudinis, & tale, in quo anima operationes sibi proprias commodè exercere possit; sed eas exercere non potest in qualibet parvitate corporis; unde experimur plantas, animalia, &c. non nisi generari in certa magnitudine seminis, embryonis, &c. ergo, &c.

xvi. Objicies tamen, inventi sunt gigantes magnitudinis super communem hominum statum; ergo, vel species humana non habet terminum magnitudinis, vel aliqui hominum eam excedere possunt, quod est absurdum, ergo, &c.

xvii. Respondeo distinguendo consequens quoad primam partem, ergo species humana non habet terminum accretionis consistentem in indivisibili & omnibus communem, concedo consequentiam; diversum pro diversitate causarum concurrentium, tam internarum, ut sunt calor naturalis, temperamentum, eujusq; &c. quam externarum, ut sunt cibi, Cælum, parentes, &c. nego consequentiam; in gigantibus autem aliæ & fortiores sunt causæ internæ & externæ.

R E S O L U T I O II.

xviii. **D**ico 2^o, non viventia, inter quæ comprehendens vinum, adipem, oleum, tam ex olivis, quam cætis, anguillis, &c. pro statu separationis à vivente totali; non videntur connaturaliter habere ex parte sua, aut causæ accrementum dantis, terminos intrinsecos & extrinsecos magnitudinis, præter mundum, ultra quos naturaliter exerescere non possint. Ita Scotus in 2^{um} distinct. 2. quæst. 9. quem, præter suos, sequuntur Recentiores, exceptis Thomistis plerisque, & nominatim Patribus nostris Complutensibus Physic. Disp. 27. Cajet. Ianduno, Nazario, &c.

xix. Probatur, non apparet, cur alter Oceanus, si daretur, non posset naturaliter cum hoc continuari, aut ignis per subministrationem novi & novi ligni in infinitum, naturaliter augeri; imò alioqui non posset maximus ignis stupam naturaliter comburere, quod est absurdum, ergo, &c.

xx. Nec dicas primò potentiam combustivam ignis per continuam actionem minui & debilitari, non secus ac minuitur & debilitatur potentia nutritiva in homine per continuam nutritionem; nam disparitas est, quod scilicet casu dato, cum augmentum ignis augetur continuò potentia combustiva; in homine verò, sicut non continuò augetur, ita nec ejus potentia nutritiva.

xxi. Nec dicas 2^o ex Patribus nostris Complutensibus, ignem illum majorem maximo non futurum in statu debitæ dispositionis, vel conservationis, sed in statu corruptionis, & viæ ad interitum, de quo procedit resolutio. Contra enim est, quod sicut multiplicatio individuum facit ad conservationem speciei, & non ad destructionem; ita augmentatio hujus ignis v. g. facit ad conservationem, & non ad destructionem hujus individui; & certè augmentatio illa, non tollit qualitates ignis conservativas, sed auget.

xxii. Nec dicas 3^o cum Patribus nostris Complutensibus ex Cajetan. & Nazario. item cum Patre Arriaga, stupam quidem ab igne maximo comburendam, non tamen continuandam, cum altero igne, eò quod hic non possit crescere; nam cum stupa ante combustionem supponatur ab altero igne indistans, & alterum ignem stupam per suam combustionem reddere ejusdem secum temperiei, hoc ipsò quod combusta est, continuatur cum altero igne; quia, ut supra diximus, continuatio alicui & alimenti nihil aliud est, quam ipsum alitum & alimentum, ut connotantia indistantiam ab invicem, & similem dispositionum temperiem.

xxiii. Adde tamen illa non viventia impediri ne infinitè crescant, vel defectu materiæ aptæ ad introductionem suæ formæ, vel defectu loci; nam ultra mundum exerescere non possunt, qui tamen finitus est, ac proinde ex parte illorum habent terminum magnitudinis determinatum secundum præsentem statum.

RESOLUTIO III.

xxiv. **D**ico 3^o. non viventia habent terminos connaturaliter & secundum præsentem statum. ita PP. nostrum Complutenses contra Scotum & alios Resol. 2^a citatos. Probatur, quia continuum, in infinitum à nobis dividi non potest, & ignis valde parvus citò extinguitur, ergo non viventia habent terminos extrinsecos & intrinsecos parvitatatis connaturaliter & secundum præsentem statum; si ve id proveniat ex natura ipsorum sive ab agentibus contrariis.

xxv. Dices, quando producitur non vivens nihil potest ejus assignari, tam parvum, quin aliquid minus antea fuerit productum, scilicet indivisibile aliquod in fluxu; ergo in non viventibus, non datur terminus parvitatatis connaturaliter.

xxvi. Respondeo negando antecedens, nam licet non viventia sic à Deo producti possint, ut in fluxu sint indivisibilia naturalia, id est, semper præsupponant partes prius & prius productas; ab agentibus tamen naturalibus non possunt; quia hæc non agunt, nisi in certa magnitudine; nec certè satis intelligi potest, quid sint illa indivisibilia in fluxu, & cur fluxum interrumpendo non possint esse in actu indivisibilia, & naturaliter talia existere, quæ admitti non debent; & si admitterentur citò perirent, ob agentium circumstantium contrarietatem.

D V B I V M II.

an detur maximum & minimum qualitatis.

RESOLUTIO I.

xxvii. **D**ico 1^o. non datur per se juxta præsentem statum terminus intrinsecus & extrinsecus, præter mundum, magnitudinis qualitatis in extensione.

xxviii. Probatur, non datur talis terminus substantiæ non viventis, ergo nec qualitatum in illa existentium; consequentia tenet à pari; antecedens patet ex Dubio 1^o.

RESOLUTIO II.

xxix. **D**ico 2^o. juxta præsentem rerum statum datur terminus parvitatatis qualitatis in extensione, extrinsecus, & intrinsecus.

xxx. Probatur prima pars, quia agentia naturalia non agunt, nisi ad certam magnitudinem (unde communiter supponitur dari minima Physica, quod patet ex Disp. præced.) sed ab agentibus naturalibus sumitur terminus extrinsecus effectus, ac proinde qualitatis, ergo, &c.

xxxi. Probatur secunda pars, si non daretur terminus intrinsecus parvitatatis qualitatis in extensione, nec etiam daretur terminus extrinsecus sphaeræ activitatis agentium naturalium; nam quolibet minimo qualitatis dato, illud posset agere in passum propinquum, imò etiam ejus pars & hujus partis pars, & sic in infinitum, quod non admittitur, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xxxii. **D**ico 3^o. juxta præsentem statum datur terminus magnitudinis qualitatis in intentione, extrinsecus, non verò intrinsecus.

xxxiii. Probatur prima pars; quia ejus causa naturalis habet determinatam virtutem ad tantam intensiorem, & non ad majorem, ut patet in igne, aqua, &c. sed à causa petitur terminus extrinsecus, ergo, &c.

xxxiv. Probatur secunda pars; quia non est, cur ex natura sua qualitas quælibet non possit magis, ac magis intendi; licet naturaliter, defectu causæ naturalis nunquam plus intendatur, ergo, &c.

xxxv. Objicies ex Patre Oviedo de Generat. Cont. 4. puncto 3^o. qualitas, ut sit dispositio ad formam, debet esse in tanta intensiōe & non in majori; sed sunt qualitates, quæ sunt ex natura sua dispositiones ad formam, ergo, &c.

xxxvi. Respondeo distinguendo minorem; sed sunt qualitates, quæ naturam suam sunt dispositiones aptitudinales ad formam, concedo minorem; actuales, nego minorem; calor enim v. g. ex natura sua, aptus quidem est esse dispositio ad formam ignis, & sic de aliis; nihil tamen fit contra naturam ipsius, si conservetur extra ignem, & non sit dispositio actualis ad formam ignis, eo autem casu non habet terminum intrinsecum magnitudinis; quia (ut paulò infra fatetur Pater Oviedus) qualitates, quæ non sunt dispositiones ad formam, ut v. g. lux, talem terminum non habent.

RESOLUTIO IV.

xxxvii. **D**ico 4^o. juxta præsentem rei statum datur terminus parvitatatis qualitatis in intensiōe, extrinsecus & intrinsecus.

xxxviii. Probatur prima & secunda pars, quia datur in extensione, ergo & in intensiōe; consequentia tenet à pari ob eandem utriusque rationem.

xxxix. Probant nonnulli alii, esse est propter operari, sed qualitas non potest operari in qualibet parvitate, ergo, &c. Verum hoc nihil probat, quia nec esse est propter operari seorsim ab aliis coagentibus, sed simul cum illis; nam potentia viviva habet esse sine speciebus, & sic de aliis; sine illis tamen operari non potest; bene cum illis: unde sufficet, quòd minima pars, cum aliis conjunctim, operari possit, licet seorsim non posset: deinde materia est propter formam, essentia propter proprietates ut octo intensas, &c. potest tamen materia sine forma, essentia sine proprietatibus ut octo intensis existere naturaliter: denique, si esse sit propter operari seorsim ab aliis partibus, assignare non poterunt terminum sphaeræ activitatis qualitatum; nam ille maximè esset ultima pars, tam parva ut naturaliter agere non posset, quam non agnoscent.

xl. Objicies cum P. Arriaga (quod est etiam fere fundamentum P. Oviedi hic) Disput. 3^a. de Generat. num. 88. dum materia paulatim ad ignem disponitur, antequam producatur ultimum indivisibile caloris, datur jam in illo passo primum indivisibile frigoris; ergo frigus potest existere in

D d 2 indi

indivisibili qualitatis, & idem à contrario de calore dicendum.

XLI. Respondeo ex dictis supra, non dari ultimum indivisibile caloris; sed id caloris, quod in passum ultimò introducitur, esse partem formaliter divisibilem in multa minima (quæ à nobis determinari non possunt) caloris naturaliter indivisibilia, ut clarè sequitur ex Disputat. præced. Dub. 3^o. Resolut. primà, ad cujus præsentiam cedit etiam pars frigoris naturaliter simili modo

divisibilis; nam sicut agentia extensivè talem partem producent instantaneè, sive totam simul, ita & intensivè, ut constat ex dictis loco citato. Ex his

XLI. Collige omnia liquida & homogenea non viventia in statu separationis à viventibus, si illis aliquando conjuncta fuerint (idem est de qualitatibus homogeneis) secundùm statum præsentem non habere terminum intrinsecum magnitudinis.

DISPUTATIO OCTAVA

De Intensione & Remissione Qualitatis.

D V B I V M I.

Quid sit, & quomodo fiat Intensio & Remissio.

R E S O L U T I O I.

I. Dico 1^o. Intensio est additio gradus; ad gradum ejusdem qualitatis in eadem parte subjecti. Remissio verò est subtractio gradus à gradu ejusdem qualitatis in eadem parte subjecti, differunt ab extensione majori & minori, quòd hæc fiant in diversis partibus subjecti, illæ in eadem.

II. Dari hanc intensiorem & remissionem, sensuum experientià comprobatur; nam igni adjacentes sentimus calorem augeri, absentes minui, in eadem parte manus: item in meridie in eadem parte aeris majorem lucem, quàm sub vesperam: unde præsens difficultas non est, an detur; sed de modo, quo fiat: Pro quo fit

R E S O L U T I O II.

Rejiciuntur sententia minus probabiles, prima Agidii Romani Quodlibeto Secundo question. 14^a.

III. Dico 2^o, qualitates non solum intenduntur quasi per accidens, per majorem expulsiorem, vel remotionem contrarii à subjecto.

IV. Probatur 1^o, quia nullæ qualitates, quæ carent contrario intenduntur, ut lux, sonus, &c. item gratia & charitas quatenus in justis; alioqui sequeretur omnes justos esse æqualiter gratos, habere æqualem charitatem, &c. quia omnes æquè carent peccato mortali contrario; id autem non admittitur.

V. Probatur 2^o. Gratia habitualis, quantumvis remissa, peccatum totum contrarium expellit, ac removet, & postmodum intenditur absque eo, quòd magis expellatur peccatum; nisi velit magis posse expelli, quàm totaliter, & in rebus, quæ desierunt totaliter, admittere magis & minus, quod est ridiculum.

VI. Probatur 3^o. Potest esse major expulsio & remotio contrarii, & non esse intensio, ut, si Deus frigus in aqua remittit, & calorem introduci, non sinat, ergo, &c.

VII. Probatur 4^o. Potest esse intensio & ma-

nere totum contrarium; ut si ad præsentiam contrarii, Deus aliud contrarium supernaturaliter conservet, ergo, &c.

VIII. Probatur 5^o. In majori remotione & expulsionem contrarii à subjecto, adjicitur gradus ad gradum contrariæ formæ succedentis, ergo & dejicitur gradus à gradu formæ recedentis, ergo, &c.

IX. Probatur 6^o. Quando in aqua producitur remissus calor, perit totum frigus aquæ simul, vel pars illius tantùm? si primum, ergo remissus calor est summè intensus; quia contrarium tunc est totaliter expulsus & remotus: si secundum, ergo intenditur per partes, sicut frigus perit per partes; ergo qualitates, non solum intenduntur quasi per accidens per majorem expulsionem, &c.

X. Objicies, Aristoteles 5^o. Physic. textu 29^o docet majorem & minorem intensiorem & remissionem fieri per majorem & minorem admixtionem contrarii, ergo, &c.

XI. Respondeo Aristotelem solum velle, illam fieri per majorem & minorem admixtionem contrarii ex dejectione gradus à gradu formæ antiquæ, & adjectione gradus ad gradum formæ novæ, ut docebitur infra: unde nego consequentiam, quia id vult per suam sententiam vitare impugnatus Author.

secunda Avicenna, Durandi, Godofredi.

Quos citat Suarez in Metaphysica Disputat. 5^a sect. 2^a.

XII. Dico 3^o, qualitates non ita intenduntur, ut prior remissa tota corrumpatur; & tota nova perfectior producat.

XIII. Probat P. Arriaga 10; quia vel illa qualitas perfectior esset ejusdem speciei cum præcedente, vel non? si non; ergo per eam non fieret intensio: si sit ejusdem speciei, ergo tam calidum erit subjectum per unam qualitatem, quàm per aliam; quod tamen apertè falsum est.

XIV. Verùm hæc ultima consequentia optimè ab adversariis negari potest, dicendo illam qualitatem perfectiorem reddere subjectum calidius; quia eminenter plures gradus solo numero distinctos in se continet; sicut enim qualitas formaliter intensa ex quatuor gradibus solo numero distinctis, est ejusdem speciei cum qualitate formaliter intensa ex tribus gradibus solo numero distinctis; ita qualitas eminenter intensa, ex quatuor gradibus solo

solo numero distinctis, est ejusdem speciei cum qualitate eminenter intensa ex tribus gradibus solo numero distinctis.

xv. Probat 2^o P. Oviædus efficacissimè, ut loquitur: si intensio fieret per adventum qualitatis perfectioris, destructa remissa; remissio fieret per productionem remissioris, intensa corrupta, quod fieri non posse facile probatur, inquit, cum aqua agenti frigido circumdata in pristinam frigiditatem restituitur, calor successivè remittitur (ut experientia ostendit) sed non est à quo producatur calor remissus, ergo, &c. hocque argumentum etiam asserit Pater Arriaga tamquam meliorem suæ conclusionis probationem. Verùm hæc probatio fortis quidem est in nostra sententia, in qua docemus calorem seipsum conservare; minimè verò in sententia Oviædi, Arriagæ, & aliorum; quia illis respondebit Durandus calorem illum remissum produci ab eo, à quo intensior conservabatur; si enim potuerit intensiorem conservare, potuit remissiorum loco ejus producere; idem dicendum etiam erit, ubi habitus vitii per actus virtutis remittetur, quidquid dixerit Arriaga habere majorem vim in habitu vitioso. Opponit se P. Comptonus, Deus non producit quidquam ut author naturæ, nisi ad exigentiam causarum secundarum, quæ hîc non est: Sed frustra opponit se; quia dicent ad hominem, sicut Deus per te res conservat ut author naturæ præter exigentiam causarum secundarum, uti lib. 2^o. Physic. disputat. 6. Dub. 3^o. vidimus, ita hîc qualitatem illam producit.

xvi. Probat 1^o, habitus supernaturales, & ex consequenti etiam naturales (si positivi dentur) intenduntur per suos actus, ergo remanent, qui prius fuerunt, utpote causæ illorum actuum quando intenduntur: ergo, &c.

xvii. Probat 2^o, omnis qualitas vel corrumpitur per se, id est, à contrario? vel per accidens? id est, defectu subjecti, vel defectu causæ conservantis? sed in intensione nullo ex dictis modis qualitas remissior corrumpitur, ergo, &c.

xviii. Probat minor pro prima parte, quia vel qualitas intensa non habet contrarium, vel licet habeat, causa intendens est ejusdem rationis cum qualitate remissiori; unde ejus conservationi potius, quam ejus corruptioni inservit: Probat secundam partem, quia manet subjectum idem, quod sicut servit productioni perfectioris, ita servit conservationi remissioris, potius quam illius corruptioni.

xix. Probat pro tertia parte, quia causa conservans plerumque est illa ipsa, quæ perfectiorem producit; unde, si hanc producat, non est cur illam corrumpat.

xx. Nec dicas cum Arriaga, illam per accidens corrumpere, sicut potentia generativa destruit formam embryonis, quam conservabat, ut perfectiorem producat; est enim disparitas, quod calor remissior & intensior sint ejusdem speciei, ac proinde compatibles; forma verò embryonis (si detur animarum successio, de quo in Libris de Anima) & perfectior succedens sunt diversæ speciei, ac proinde incompatibiles; Adde tamen verisimilius esse non dari istarum animarum successionem in vivente, de quo in Libris de Anima, ut dixi.

xxi. Confirmatur, non est verisimile ad productionem caloris ut unum in aqua perire octo gradus frigoris, quod fieret, ut patet, ergo, &c. Probat major; quia alioqui non est cur produceretur calor ut unum tantum, & non ut octo, quandoquidem frigus ut octo recederet, sed non producitur ut octo (ut experimur.) ergo, &c.

xxii. Objicies tamen, in omni motu non potest acquiri terminus ad quem, nisi pereat terminus à quo; sed terminus à quo morus, quo fit intensio, est qualitas remissa, & terminus ad quem, intensa de novo producta; ergo destruitur prior remissa ad productionem perfectioris intense.

xxiii. Respondeo, transeat major, (quia tantum vera est, ubi terminus ad quem importat recessum à termino à quo; non verò accessum & additionem uti hîc) distinguendo minorem; sed terminus à quo, &c. est qualitas remissa quatenus est tot gradus præcisè secundum se, nego minorem; quatenus est tot gradus non uniti superaddendis, concedo minorem: unde similiter distinguo consequens, ergo destruitur prior remissa, quatenus est tot gradus præcisè secundum se, nego consequentiam; quatenus est tot gradus non uniti superaddendis, concedo consequentiam; nam de non unitis fiunt uniti, & qualitas, quæ quatenus secundum tot gradus non unitos superaddendis est remissa, ut unita superadditis fit intensa.

Tertia Thomistarum omnium residuorum; Cajetani, Capreoli, Henrici, nostrorum Complur. Joannis à S. Thoma, & plurimorum aliorum ab eis citatorum.

xxiv. Dico 4^o qualitates non intenduntur per hoc, quod eadem indivisibiles in se permanentes in eodem subjecto magis radicentur, perfectius educantur, inhæreant, uniantur, &c. licet re ipsa nihil omnino qualitatis producat de novo.

xxv. Probat, quia non nisi per modos obscurissimos & inintelligibiles explicant suam majorem radicationem, perfectiorem educationem, &c. nosclare intensionem nostram explicamus, ut infra patebit, ergo, &c.

xxvi. Probat antecedens pro prima parte, illa major radicatio, perfectior educatio, unio, &c. terminatur ad eandem indivisibilem qualitatem secundum eandem entitatem realem spectatam; vel secundum diversas formalitates & potentialitates virtualiter objective ab ea distinctas, vel secundum modum aliquem ab ea realiter distinctum, & illi realiter superadditum? sed nihil horum dici potest, ergo, &c. Probat major, quia intentio ac per consequens major illa radicatio, debet esse motus positivus; qui necessariò ad aliquid positivum terminari debet, ergo, &c.

xxvii. Probat minor pro 1^a parte: frustra ad illam qualitatem indivisibilem spectatam secundum eandem entitatem realem terminaretur; nam ita superfluum, putant, idem produci per duas actiones totales, ac per consequens idem radicari, educi, uniri, &c. per duas radicationes, educationes, uniones, &c. totales, ut nequidem divinitus, id fieri posse asserant; deinde terminetur ad illam; non tamen faciet propterea qualitatem intensio-

rem, sed magis unitam, magis radicatum, &c. quia qualitatem esse intensiorem sensu experimur; radicationem verò, eductionem, &c. nullus sensu experitur, aut discernit à creatione supernaturali extra omne subiectum: unde tantum gratiæ erit in puero recens baptizato, quantum in Sanctorum hominum sanctissimo, sed minus unionis, radicationis, &c. dumtaxat, quod non velim asserere, cum augmentum veræ gratiæ & gloriæ, supra primam, Trident. sess. 6. Can. 32. agnoscat, & non tantum augmentum unionis. Denique, cum novæ radicationes, eductiones, uniones, &c. quæ faciunt formam intensiorem, sint ejusdem rationis cum prima, utpote ex eodem subiecto & ad eandem indivisibilem formam, debent necessariò esse in eodem subiecto, in quo est prima; sed ne admittant in eodem subiecto plures formas ejusdem rationis ad hanc intensiorem explicationem refugiant; ergo, &c.

xxviii. Probatur minor pro secunda parte; quia, præterquam quòd illud fundetur in sententia admittente præcisiones objectivas, & proinde omnes hujus difficultates involvat, terminus radicationis, eductionis, unionis, &c. debet esse ens realiter existens ante animam; illæ autem virtualitates & potentialitates, non nisi ut idem realiter cum prima qualitate, existunt ante animam: unde minor pro hac parte rejicitur, uti pro prima. Deinde si qualitas posset secundum diversas sui virtualitates & potentialitates, terminare diversas radicationes, eductiones, uniones, &c. posset & materia secundum diversas sui virtualitates & potentialitates recipere diversas formas substantiales totales, quod similiter negant; ergo, &c.

xxix. Probatur minor pro tertia parte: quia, sicut qualitas non est qualitas per modum superadditum, ita nec est intensa qualitas per modum superadditum; vel enim in intensiōne albedinis, modus ille, qui superadditur est albedo, vel non? si primum, ergo albedo intenditur per partes & gradus, & in intensiōne non permanet eadem indivisibilis, quæ ante, ut volunt: si non, sicut præcisus ab albedine non facit subiectum album; ita nec illi superadditus facit subiectum magis album, quàm ante: deinde, cum superintenditur albedo, vel novus modus ejusdem secum rationis superadditur, vel hic perit, & perfectior producit? non hoc, quia id sufficienter contra Avicennam & Durandum statim rejectum est: neque etiam illud, quia id refugiant, ut statim vidimus, in eoque nobiscum convenirent, quòd ille modus intenderetur additione partis ad partem, & idem dicendum foret de ipsa qualitate, ergo, &c.

xxx. Adde multò minus intensiōnem fieri per mutationem existentie, qualitate integrâ permanente; quia, præterquam quòd existentia non distinguatur realiter ab essentia actuali, contra hanc existentiam fieri possunt omnia argumenta, quæ contra radicationem, eductionem, unionem, &c. fieri possunt, ergo, &c.

xxxi. Confirmantur primò hæc omnia: si uno ex prædictis modis fieret intensiō, non est ratio cur quælibet forma substantialis, imò & anima rationalis intendi non posset, sed negant, etiam divinitus, id fieri posse, ergo, &c.

xxxii. Confirmantur secundò, qualitas intensa

est activior remissâ; sed sicut non est activa per unum ex illis modis, sed per suam entitatem; ita nec est activior, ac per consequens intensa, uno ex illis modis.

xxxiii. De mente Divi Thomæ non satis constat, ut fatetur Cajetanus, favet enim nobis 2. 2. quæst. 24. art. 4. ad 3^{um} docens eos propriam vocem ignorare, qui dicunt qualitatem intendi per majorem radicationem, & non secundum essentiam; si verò alibi aliter loquatur, ex diverso fundamento procedit, scilicet individuationis & distinctionis formæ à subiecto, quod falsum putamus, & non ex propria Divi Thomæ sententia dictum, ut ostendimus in *Metaphysica*.

RESOLUTIO V.

Stabilitur nostra Sententia.

xxxiv. **D**ico 5^o post sanctum Bonaventuram, Gabrielem, Gregorium, Okamum, Scotum, Vasquez, Suarez, & alios de Societate communissimè, &c. qualitates intenduntur per additionem gradus ad gradum præexistentem in eadem parte subiecti; remittuntur verò è contra, per detractionem gradus à gradu remanente in eadem parte subiecti. Sed ante probationem,

xxxv. Nota in entitate intensiva qualitatis varias esse partes; aliæ enim sunt graduales; aliæ gradus; gradus numerantur ordinariè octo à Philosophis, ut sic commodius intensiōnis natura explicetur, graduales sunt istorum graduum partes; &c. si proportionales, in quolibet gradu sunt infinitæ. Hoc notato,

xxxvi. Prob. Resol. 1^o, refutationibus aliarum sententiarum, & objectionum contra hanc solutionem.

xxxvii. Probatur 2^o, intensiō est verum augmentum, sed augmentum qualitatis intelligi non potest sine additione novæ partis qualitatis; aliàs non esset qualitatis, sed alterius augmentum, ut patet: ergo, &c. Probatur major; quia extensiō est verum augmentum quoad aliam partem subiecti: ergo intensiō est etiam verum augmentum quoad eandem partem subiecti, consequentia tenet à simili.

xxxviii. Probatur 3^o, in intensiōne augetur virtus intrinseca qualitatis; ac proinde fit magis activa, ergo illi additur aliquid activum ejus, cuius est activa; sed id non potest esse nova radicatione, nova eductio, nova unio, &c. quia hæc non sunt alterius qualitatis similis activæ, ergo, &c.

xxxix. Probatur quartò, ab aurora usque ad meridiem videmus lumen aëris semper intendi, sed nihil videmus aliud, quàm lumen, ergo lumen intenditur, per partes plures & plures in eadem parte subiecti additas.

xl. Objicies ex Aristotele 4^o *Physic.* textu 84^o. *ex calido fit magis calidum, nullo facto de novo calido*; ergo non producitur novus gradus caloris, quando fit intensiō caloris.

xli. Respondeo Aristotelem solum velle, magis calidum fieri nullo facto de novo extensivè calido; ac proinde, quando fit intensiō, novum gradum caloris in alia parte subiecti non produci; non vult autem magis calidum fieri nullo intensivè

tenfirè factò de novo calido; ac proinde, quando fit intensio, novum gradum caloris in eadem parte subjecti produci, quod docemus.

D V B I V M II.

an gradus qualitatis intense sint homogenei, an heterogenei.

XLII. Ante Resolutionem

Suppono gradus homogeneos dici illos, qui sunt omnino similes, seu ejusdem rationis; heterogeneos verò illos, qui dissimiles seu diversæ rationis: Mendoza, & Murcia putant esse heterogeneos & diversæ rationis specificæ: Suarez verò esse quidem ejusdem speciei, differre tamen differentia entitativâ, ita scilicet, ut primus gradus sit imperfectissimus; secundus paulò perfectior, & ita usque ad octavum, iis tamen manentibus semper intra eandem differentiam specificam: Scotus verò & plures alii (quos sequemur) omnes esse homogeneos probabilius censent. Pro quo fit

R E S O L U T I O.

XLIII. Dico, omnes gradus qualitatis intense sunt homogenei.

XLIV. Probant nonnulli primò, & nominatim Pater Poncius, Arriaga, &c. quia si gradus qualitatis intense essent heterogenei, primus esset superfluous præsentè secundo, & secundus præsentè tertio; quia primi in secundo; secundi in tertio, tota perfectio contineretur, & aliquid amplius. Sed

XLV. Contra Responderi potest 1º, primum gradum esse necessariam dispositionem ad secundum ex natura rei; 2º illum tam esse de essentia qualitatis intense ut duo, quàm secundum gradum; 3º juvare ad celeriorè & intensiorè actionem secundi: 4º sicut calor adhuc est utilis in præsentia ignis, licet tota ipsius perfectio in igne contineatur: ita & primus gradus, licet, &c.

XLVI. Probant secundo, quia sequitur ex opposita sententia, justum plus mereri actu uno remisso; quàm alio charitatis intensissimo; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur major, justus per actum charitatis intensissimum sit meritis v. g. sex gradus gratiæ, per secundum valde remissum sit meritis unum tantum, sed septimum; plus fuerit meritis actu remisso, quàm intensissimo; quia septimus gradus est perfectior sex aliis.

XLVII. Contra tamen Responderi potest meritum non solum attendi per ordinem ad opus; sed etiam per ordinem ad gratiam, à qua procedit opus: unde, cum à gratia valde intense, possit procedere actus charitatis valde remissus Physicè, & è contra, à gratia valde remissa actus charitatis Physicè intensissimus (nam gratia non est principium Physicum operis, sed moraliter tantum significans) mirum non est, si quandoque contingat justum per actum charitatis remissum plus mereri, quàm per intensissimum, idque etiam nos admittere debemus.

XLVIII. Respondet P. Ovidius dici posse septimum gradum gratiæ esse quidem perfectiorè Physicè, non tamen moraliter in ratione meriti:

item septimum gradum visionis beatificæ esse quidem perfectiorè Physicè; non tamen moraliter in ratione beatitudinis; quia omnes sunt æquales, & eadem ratione objectum attingentes, æquali quæ claritate; sed hæc Responsio videtur mihi difficilis; quia non apparet quomodo gratia aliter, quàm secundum esse Physicum sit principium meriti, ac proinde etiam non apparet, quomodo gratia perfectior Physicè, non sit moraliter perfectior in ratione meriti; idem est de visione beatifica; illa enim secundum esse Physicum est beatitudo nostra, ergo quò Physicè perfectior, eò est moraliter perfectior in ratione beatitudinis.

XLIX. Probant 3º, uti & P. Poncius, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas multiplicandi gradus heterogeneos, ergo, &c. Sed

L. Contra, qualitas intendi potest per gradus homogeneos & heterogeneos, sive similes, & dissimiles, æquales & inæquales; neque est ulla omnino necessitas asserendi potius intendi per homogeneos, quàm heterogeneos: ergo, &c. Vbi vides in ipsos aperte probationem retorqueri. Quare aliter

LI. Probatur Resolutio, plures primi gradus qualitatis intense in diversis subjectis sunt homogenei, ut fateri debent adversarii; sed si ponerentur divinitus in eadem parte subjecti, facerent qualitatem intensam, ergo gradus qualitatis intense sunt homogenei: Probatur minor, in qua tantum est difficultas; quia ad intensionem qualitatis solum requiritur, ut plures gradus ejusdem qualitatis, sive similes, sive dissimiles ponantur in eadem parte subjecti, ergo, &c.

LII. Confirmatur, eo modo agit sol, & eandem lucem producit in passo lucido ut unum, ac in non lucido; sed si agat in passum non lucidum producet lucem ut unum, homogeneam cum luce, quæ præxisteret ut unum, & si agat in passum lucidum ut unum illam intendit, ergo omnes gradus qualitatis intense sunt homogenei. Probatur major; quia seipso determinatus est ad producendum gradum lucis similem illi, qui præxisteret ut unum; nisi à subjecto determinetur ad dissimilem producendum; sed à subjecto ad id non determinatur: ergo, &c. Probatur minor; quia subjectum est indifferens ad recipiendos gradus homogeneos, vel heterogeneos, ergo, &c.

LIII. Objicies primò, si gradus essent homogenei, non posset reddi ratio, cur qualitas intensa sit activior remissa; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur major; quia, vel illa major activitas proveniret à gradibus superadditis, vel ab unione non primum, quia gradus superadditi sunt omnino similes; neque secundum, quia unio non est principium agendi, ergo, &c.

LIV. Respondeo negando majorem, ad ejus probationem Respondeo distinguendo, vel illa major activitas proveniret à gradibus superadditis distributivè, & seorsim sumptis; nego antecedens; à gradibus collectivè sumptis, & ut unitis, concedo antecedens: vis enim unita fortior est seipsa dispersa, ut patet in duobus ignibus, qui fortius agunt conjuncti, quàm separati.

LV. Adde tamen majorem activitatem non provenire à qualitate intensa ut intensa formaliter, sive in eadem parte subjecti; nam centum gra-

us caloris, positi in centum subjectis penetratis, non sunt calor intensus ut centum; habent tamen effectum eundem, cum calore intenso ut centum; quia activitas augetur ratione intimæ præsentia & coexistentia agentium, quæ tunc eadem esset inter illos gradus, ac si essent in eodem subjecto, ut patet: sed provenit ab intensa virtualiter, id est, habente virtutem intensam; sive eandem inter suos gradus intimam præsentiam & coexistentiam, ut patet in speciebus Eucharisticis, quæ sunt sine subjecto (nam quantitatem ibi non agnoscimus) habent tamen aliæ aliis majorem activitatem.

LVI. Objicies 2^o, si gradus sint homogenei non poterit salvari contrarietas qualitatum; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur major, in sententia opposita illa contrarietas salvatur in expulsiōne & oppositione octavi gradus unius cum primo alterius, septimi cum secundo alterius, & sic deinceps: sed in hac sententiâ, cum gradus sint omnino similes, nullus est propriè octavus, primus, septimus, secundus, &c. nec est ratio, cur hic potius, quàm ille expellatur, ergo, &c.

LVII. Respondeo negando majorem; ad ejus probationem, nego minorem pro prima parte; nam ille, qui ex una parte octavo loco producit, est octavus; & ille, qui ex alia parte primo producit, dicitur primus: Ad minorem verò pro secunda parte, Respondeo rationem esse, cur potius expellatur octavus, quàm primus, quia est terminus capacitatis subjecti, quò verò gradus intensiōnis magis accedunt ad terminum capacitatis subjecti, minus fortiter in subjecto radicantur & subjacentur; quia semper magis & magis accedunt ad incapacitatem similitudinum graduum recipiendorum, cum (ut omnes supponunt) non possit, nisi octo gradus ejusdem qualitatis recipere; unde fit, quòd magis accedentes ad octavum, prius; magis recedentes, posterius, expellantur; & sint tamen ejusdem rationis; quia id non exigunt, sed provenit ex natura subjecti: & hæc est clarissima & bona ad hoc argumentum solutio, pro qua omnes, quos scio nostræ sententiæ Authores ad Deum recurrunt, ut determinatorem gradus præ cæteris expellendi; verùm mihi semper visum est absurdum, & parum Philosophicum in naturalibus ad Deum recurrere; maluisseque contrariam

sententiam amplecti, quàm id facere.

LVIII. Objicies 3^o, si gradus sint homogenei, simile poterit agere in simile, imò remissius poterit intendere intensius, sed hoc dici non potest, ergo, &c. Probatur major, quia si gradus sint omnino similes, tam perfectus erit primus, quàm secundus, adeoque poterit primus secundum, secundus tertium producere, postea quartum, postea quintum & sic consequenter, ergo, &c.

LIX. Respondeo primò ad hoc argumentum, quòd est fortissimum opposita sententiæ, illud esse ab adversariis solvendum, quòd ideo in ipsos retorqueo: si gradus sint heterogenei simile poterit agere in simile; imò remissius poterit intendere intensius; sed hoc dici non potest, ergo, &c. Probatur major; quia si gradus sint heterogenei, octavus erit perfectior septimo; adeoque poterit octavus alterum septimum producere, septimus alterum sextum, &c. imò duo septimi tertium septimum, duo sexti tertium sextum, &c. quidni tres septimi quartum septimum, & sic consequenter? quomodo duo possunt unum ejusdem rationis secum, ergo, &c.

LX. Respondebis negando majorem, ad ejus probationem negabis, quòd octavus secundum septimum produceret & sic de aliis; & probatione dabis, quòd frustra illum produceret, cum in eodem subjecto sufficiat unus septimus, & sic de aliis. Verùm similiter

LXI. Respondeo secundò negando majorem, ad ejus probationem nego quòd primus secundum produceret, quia inde sequeretur primum gradum caloris posse se intendere usque ad octo gradus contra experientiam; quæ intensio, contra experientiam non minus naturaliter vitari debet quàm frustranea contra te allata graduum septimorum, sextorum, &c. productio: si autem petas rationem à priori hujus experientia, tibi similiter incumbit eam dare; & quam dabis, nobis inserviet; constat tamen non omnis experientia posse dari rationem à priori. Ex præmissis igitur liquet non minus in nostra sententiâ reddi rationem, cur simile non agat in simile, quàm in sententiâ adversariorum; ac proinde, quidquid Pater Comptonus, nos non magis debemus Axio-ma hoc simile non agit in simile negare, ne quid ultra faceret negotii, quàm ipsi.

DISPUTATIO NONA.

De Rarefactione & Condensatione.

D V B I V M I.

quid rarum & densum, & quotuplex rarefactio & Condensatio.

R E S O L U T I O I.

LXII. **D**ico 1^o, rarum est quod sub magnis dimensionibus parum habet materiae, ut lac bulliens: densum è contra quod sub parvis dimensionibus multum ha-

bet materiae, ut aqua congelata, ita Aristoteles 4^o Physic. cap. 9^o.

LXIII. Per dimensiones hinc intellige species omnes quantitatis continuæ, scilicet, longitudinem, latitudinem & profunditatem: actio autem quæ corpus fit rarum, dicitur rarefactio & id ratione cujus exigit rarefactionem, raritas; actio verò quæ corpus fit densum dicitur condensatio, & id ratione cujus exigit condensationem, densitas.

RESOLUTIO IV.

LXVIII. **D**ico 2^o, rarefactio & condensatio est duplex, una late & improprie dicta, altera strictè & proprie dicta.

LXIX. Rarefactio improprie dicta, est, quâ corpus majorem locum occupat per recessum partium ab invicem & intromissionem corporum extraneorum inter illas, ut aeris, aquæ, &c. talis est rarefactio, quâ panis majorem locum occupat, dum partes illius vi fermenti à se invicem recedunt, & inter illas intromittitur aer; item quâ spongia majorem locum occupat, dum partes illius post compressionem vi naturali spongiæ à se invicem recedunt, & inter illas intromittitur aqua, vel aer.

LXX. Rarefactio proprie dicta, est, quâ corpus majorem locum occupat sine recessu partium ab invicem ob expulsionem corporum extraneorum inter illas; de quâ Dub. seq.

LXXI. Condensatio improprie dicta est quâ corpus minorem locum occupat per accessionem partium ad invicem & expulsionem corporum extraneorum inter illas; talis est condensatio, quâ uva passa bullita minorem locum occupat, dum partes illius vi compressionis & expulsæ aque ad se invicem accedunt, idem est dum spongia plena aquâ vel aëre comprimitur.

LXXII. Condensatio proprie dicta est, dum corpus minorem locum occupat per accessionem partium ad invicem sine expulsionem corporum extraneorum inter illas; de qua etiam Dub. seq.

LXXIII. Adde me uvam ex his rarefactionibus & condensationibus proprie dictam vocasse, aliam improprie dictam; quia secundum definitiones rari & densi ex Aristotele communiter receptas, rarum proprie dictum debet esse illud, quod sub magnis dimensionibus propriis, parum habet materie, & consequenter rarefactio proprie dicta debet esse actio, quâ corpus secundum proprias partes & dimensiones majorem locum occupat; densum vero proprie dictum, quod sub parvis dimensionibus propriis multum habet materie, & consequenter condensatio proprie dicta, actio, quâ corpus secundum proprias partes & dimensiones minorem locum occupat: in rarefactione vero improprie dicta, non magis corpus secundum proprias partes & dimensiones majorem locum occupat, quam occuparet corpus hominis, si ejus caput Gandavi, pectus Brugis, & pedes Ostendæ ponerentur; quia non occuparet majorem locum, nisi ratione aliorum corporum interjacentium inter partes suas, quod etiam in tali dimensione corporis hominis haberetur: quod enim in spongia post compressionem, in uva passa bullita, &c. non agnoscant Philosophi veram rarefactionem, ideo est; quia fit per intromissionem corporum extraneorum; sive sensibilem, sive insensibilem, parum refert; quia tam hæc, quam illa impediunt quò minus corpus secundum proprias partes & dimensiones majorem locum occupet; idem dic proportionaliter de condensatione.

DVBIVM II.

Quomodo fiat rarefactio & condensatio proprie dicta.

LXXIV. **A**Nte Resolutionem Suppono 1^o. dari rarefactionem

& condensationem proprie dictam varias experientias convincere, ut olei, aquæ, lactis bullientis, &c. nam hæc igni applicata & calefacta proprie rarefunt; ab igne & calore remota proprie condensantur; item castanæ & ova proprie rarefunt, dum igni apposita magno impetu rumpuntur, eò quòd aer intrinsicus existens calore rarefactus non valeat tantillo loco comprehendi; sed de modo, quò fiat rarefactio & condensatio proprie dicta, uti est dicta difficillimum, ita & sunt Philosophorum sententiæ diversissimæ.

LXXV. Suppono 2^o rarefactionem completam corporis rari varios motus includere: ut primò productionem caloris & aliorum prius in corpore raro non existentium, & ad rarefactionem ejus requisitorum: secundò, & maximè, ubicationum novarum corporis rari productiones; quia sine illis intelligi non potest corpus rarum occupare majorem locum, quàm ante: loquere eodem modo proportionaliter de condensatione completâ corporis densi. His suppositis, fit

RESOLUTIO I.

Rejicitur 1^a sententia minus probabilis, Democriti apud Aristotelem 4. Physic. cap. 9^o.

LXXVI. **D**ico 1^o. rarefactio non fit recessu partium ab invicem & admissione vacui inter illas discontinuatas; condensatio vero accessu partium ad invicem, & repletionem vacui inter illas.

LXXVII. Probatur 1^o, quia vacuum (ut constat ex dictis in lib. Physic.) naturaliter est impossibile, ergo, &c.

LXXVIII. Probatur 2^o, nam terra in aquam conversa decuplo plus spatii occupat, quàm prius: in aërem vero, centuplo, ut Aristoteles & varii Philosophi volunt, ergo factâ conversione unius pedis terræ in aquam essent novem pedes vacui inter partes materiæ; quia hæc eadem utriusque; item unius in aërem, nonaginta novem; quod si verum esset, interdum experiremur: deinde experientiâ constat decem pedes aëris posse ad unum pedem condensari & proportionaliter centum ad decem, ergo decem pedes aëris habent novem pedes vacui, & centum nonaginta; quod similiter, si verum esset, experiremur, & procul dubio impediret cælestium corporum influentias; præsertim si attendas illas debere immitti lineâ rectâ, & non per gyros, quibus circumdantur vacuitates; quia sol immittit lumen lineâ rectâ, ut patet, ergo, &c.

LXXIX. Probatur 3^o. si condensatio fieret per repletionem vacui, corpora deberent multò facilius condensari, quàm rarefieri; sed contrarium experimur in pluribus corporibus, ut v. g. pulvere tormentario, qui per accensionem in instanti summè rarefit, & non apparet quando condensatur: probatur major, quia natura, ut experientia docet, tendit ad plenum, & suarum partium unionem, fugitque vacuum, & suarum partium discontinuationem; tamquam suæ conservationis hostes.

LXXX. Confirmatur, quia illa, ut summum, potest esse improprie dicta rarefactio & condensatio, ut manifestè sequitur ex dictis Dub. 1^o. & revera, corpus quod rarefit aut condensatur, ratione vacuitatis

cuitatem maiorum aut minorum non plus, aut minus spatii secundum proprias partes occupat, ut consideranti patebit, id autem est de essentia rarefactionis & condensationis propriè dictæ, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

Rejicitur 2^a Okami & Nominalium, valesii, Arriaga, Oviedi, Tellez, Poncii, &c.

LXXXI. **D**ico 2^o rarefactio non fit recessu partium ab invicem, sic tamen ut inter illas discontinuas non relinquatur vacuum; sed in cavitates relictas introducantur alia corpuscula, ut aëris, exhalationum, aut similia; condensatio verò per accessum earundem partium ad invicem, sic tamen, ut foras expellantur ejusmodi corpuscula.

LXXXII. Probatur 1^o, quia non apparet quid partes continui dissolvat; non enim calor ut vult P. Arriaga; quia, ut ex luto soli exposito, & viridi ligno combusto, discimus, calor potius constringit, consumens & expellens aquam & humiditatem in luto, vel viridi ligno, existentem.

LXXXIII. Probatur 2^o, quia factâ conversione unius pedis terræ in aquam; essent novem pedes istorum corpusculorum inter partes materiæ, quia hæc est eadem utriusque; & unius in aërem, nonaginta novem, quod non experimur. Vide dicta probatione secundâ contra primam sententiam.

LXXXIV. Probatur 3^o, sæpe contingit corpora rarefieri, ubi non apparet quomodo corpuscula ista subingrediantur; item sæpe contingit ea condensari, ubi non apparet quomodo corpuscula egrediantur, ergo, &c.

LXXXV. Probatur prima pars 1^o, dum Chirurgus applicat vitreas cucurbitulas vulgò ventosas, dorso infirmi, accensâ stupâ rarefcit aër, & majorem locum occupat, extinctâ verò condensatur & minorem locum occupat, & partes carnis, quibus orificia cucurbitularum applicata sunt, elevantur, & ex illis sanguis abundè fluit, ut repleat locum relictum ab aëre; ergo in rarefactione non subintrarunt corpuscula, alioqui in condensatione potius remanissent, ut repleant locum relictum ab aëre, quàm fuissent contra naturæ imperium, caro & sanguis sursum elevata.

LXXXVI. Respondet Arriaga Disputat. 16. num. 224. & ex ipso Oviedus hic, carnem elevari & rarefcere; quia per calorem aperti sunt pori carnis & per illos introsumptus est aër, & alia corpuscula paulatim; unde caro ascendit & sanguis fluit ad replendum locum relictum ab aëre, & illis corpusculis.

LXXXVII. Addit Arriaga, iterum, *miror ab his, qui hæc experientia contra nos utuntur, nunquam eam rationem fuisse consideratam*; sed & ego miror ipsummet Arriagam suam rationem non bene considerasse; si enim tunc in cucurbitulis caro rarefcit; quia per calorem aperti sunt pori carnis, &c. cur primò non rarefcit, dum adhuc stupæ ardent, & major est calor; sed demum illis extinctis dum est minor? tum enim videntur pori illi constringi, & aër ille condensari, ac proinde potius debere in cucurbitula manere, quàm carnem ingredi: & idem est de sanguine & venis ex-

eunte: cur secundò pedes nostri, imò & totum corpus vehementer hyeme aut æstate, calefacti, non intumescent, aut rarefcunt? deinde, si caro elevetur & rarefcit; quia per calorem aperti sunt pori carnis, quid juvant cucurbitulæ ad tumorem carnis? sine illis enim potest caro calefieri, & ipsius pori aperiri, imò plus nocent, quàm profint, nam impediunt abundantiam aëris & corporum subingredibilem; denique (dicunt alii) propter eandem rationem tunc elevatur caro, propter quam in Eoli pilis (id est pomis æneis quibus inest tantum foramen acus) candentibus in aquam immerlis, statim fluit aqua & eas replet; quod fit (inquiunt) propter periculum vacui, & non, quia aperiuntur aquæ pori, & introsumptus est in aquam aër & ipsius corpuscula; quia, cum eadem celeritate, quâ ingreditur aqua, deberet aër & corpuscula illa egredi per parvum illud foramen unde & deberent se mutuò impedire ab ingressu & egressu contra experientiam.

LXXXVIII. Verum hæc ratio mihi non placet; sic enim sanguis non fluere in cucurbitula, quia tandem condensato in cucurbitula aëre rarefceret; sed propter periculum vacui; quo dato saltem inter partes sanguinis jam majorem locum occupantis (quod in aqua ista non fit) deberet esse quædam vacuitas, aut pura, aut corporibus interjectis plena, quæ mihi non probantur, quia primum Resolutione 1^a rejectum est; secundum verò jam impugnatur: unde elevatur caro, & effluit sanguis; quia successive rarefcit sanguis, & interea aër in cucurbitula condensatur: rarefactionem autem & condensationem statim sine corpusculis istis, explicabimus.

LXXXIX. Probatur prima pars secundò, dum exploditur tormentum bellicum, pulvis tormentarius intra tormentum inflammatione plurimum rarefcit; sed non apparet, quæ sint, & quæ viâ ingrediantur corpuscula; non imprimis ea quæ sunt prope, quia non apparet, quæ corpuscula propinqua, (maximè in hyeme) possint esse (prout deberent) subtiliora, vel saltem aque subtilia, ac pulvis tormentarius inflammatus, quem dicit Suellius apud Fromondum esse summè rarum, ac proinde subtilissimum: non etiam quæ viâ ingrediantur; quia, vel ingrederentur per orificium tormenti, vel per omnes ejus poros? non primum, quia alioqui, cum eadem violentiâ, quâ pulvis inflammatus egreditur & globum expellit, ingredi deberent, globum repellerent & intra tormentum retinerent, contra experientiam; non per poros, quia nequidem spiritus ignei pulveris tormentarii inflammati (qui tamen sunt subtilissimi secundum omnes) per illos egrediuntur: deinde, quis credat tot corpuscula per poros tormenti bellici, tam densa (quos ideo negamus) tantâ celeritate, & copiâ intrare posse, ut replere possint ferè infinitas discontinuationes (si rarefactio per illas explicetur) in rarefactione pulveris istius receptas?

LXXXX. Probatur secunda pars, in cucurbitula dicta extinctâ stupâ, & in dictis Eoli pilis candentibus immisissis in aquam, condensatur aër; sed non apparet, quæ corpuscula emittantur & quæ viâ, ergo, &c.

LXXXXI. Probatur conclusio 4^o: hæc rarefactio, sive detur, sive non, est tantum impropiè dicta ut constat ex Dub. 1^o, vel admitti debet aquam aquæ

terra, & terram calce mixtam, per mixtionem rareferi, & per extractionem condensari, quod infallibiliter non fit per proprie dictam rarefactionem & condensationem. vide dicta Dubio 1^o & Confirmationem Resolutionis primæ hujus dubii, ex præmissis.

LXXXII. Colliges omnino falsam esse hujus sententiæ probationem primam Patris Ovidi, scilicet, *Probatur sufficienter; quia potest intelligi sine ulla proripus difficultate, quomodo rarefactio fiat per receptionem corpusculorum, &c.* Ad Confirmationem vero hujus, scilicet, *dum aqua rarefcit, apparet ad sensum interponi aërem*, nescio quo sensu discernat, dum rarefcit aqua, potius interponi aërem, quam bullas partibus aquæ subtilissimis & exhalationibus valde rarefactis repleri: idem etiam est de butyro bulliente.

LXXXIII. Sententiam istam paulò aliter impugnat P. Comptonus: vas testaceum, æneum, stanneum, &c. dum aqua congelatur, rumpitur periculo vacui, & non per egressum corpusculorum; alioqui, inquit, corpuscula illa vacuum ex aqua congelata relictum replerent, & sic nulla ruptio fieret. Verùm non puto ego vas frangi ob periculum vacui; alioqui cum minimum vacuum natura non ferat, omnino in principio aquæ congelationis vas frangeretur, quod est contra experientiam; deinde periculum illud per se non est impetuofum; vas autem non frangitur sine impetu; unde fortè verisimilius est glaciem ita secundum profunditatem constipari & condensari, ut tamen secundum latitudinem extendatur, id facientibus calidis aquæ exhalationibus, quæ supra ascendunt, in glacie obice reperto. Vnde fit, quòd agendo in vas, ne extendatur, obstant, illum rumpat, ad eum ferè modum, quo succus, aut aër, castaneæ in ignem injectæ rarefactus agendo in illius corticem, ne extendatur, obstantem, illum rumpit.

RESOLUTIO III.

Rejicitur 3^a Godefridi Maslii & aliorum quoad mutationem totius quantitatis. item 4^a Scoti, Cajetani, & aliorum quoad mutationem partialis quantitatis.

LXXXIV. **D**ico 3^o rarefactio non est mutatio totius prioris quantitatis & productio majoris novæ totalis, imò nec partialis novæ additæ veteri: item condensatio non est mutatio totius prioris quantitatis, & productio minoris novæ totalis; imò nec perditio partialis antiquæ.

LXXXV. Probatur 1^o, quia quantitas non distinguitur realiter à materia, sed materia (si basis, ut supponunt illi authores) est naturaliter incorruptibilis, tam secundum partem, quam secundum totum, ergo, &c.

LXXXVI. Adde idem esse de quantitate à materia realiter distincta dicendum: quia non habet contrarium sui expulsum; nec (ut patet) perire potest defectu subjecti, quia illud est materia, quæ non deficit; aut defectu causæ conservantis, quia est eadem materia, ergo, &c.

LXXXVII. Probatur 2^o. specialiter quoad mutationem quantitatis totalis: in sententia admittente quantitatem realiter à materia distinctam

valde probabile est cætera accidentia subjectari in quantitate, ergo illa pereunte totaliter per rarefactionem, etiam ipsa pereunt, quod est contra experientiam lactis; nam videmus in lacte rarefcere manere eandem albedinem.

LXXXVIII. Nec dicas quantitatem ejusdem speciei produci; contra enim est quòd sensui apparet eadem numero; nec dici debet sensum falli, nisi id evidenti ratione convincatur: 2^o non apparet, à quò secunda quantitas ejusdem speciei producatur; dicitur autem gratis, quòd lac fit ad hoc determinatum ex suppositione novæ quantitatis; quia nec ratio, nec experientia, magis docet lac, destructâ primâ albedine, posse producere secundam; quam corpus, eruto oculo primo, posse alium producere.

LXXXIX. Probatur 3^o specialiter quoad mutationem quantitatis partialis; quantitas, quæ acquiritur recipitur in veteri materia, vel in nova? non in nova; quia nulla nova materia de novo producit, cum rarefactio sit motus quidam alterationis ad accidens, & non importet creationem, uti est productio materiæ; non etiam in veteri, quia vel reciperetur in materia informata alia quantitate, vel non? non primum, quia sequeretur dari naturaliter penetrationem dimensionum, quam naturaliter dari posse negant: neque etiam reciperetur in non informata alia quantitate; quia illa non datur magis quam essentia naturaliter sine sua proprietate.

c. Probatur 4^o. species Eucharisticæ possunt rareferi, aut condensari remanente sanguine Christi sub illis; sed si in rarefactione acquireretur nova quantitas, etiam partialis, & in condensatione perderetur, non possent, ergo, &c. Probatur minor; quia in rarefactione, aut condensatione illarum corrumpetur quantitas, saltem partialis, & per consequens omnia accidentia, saltem illi parti correspondentia; sed juxta Theologos manet solum sanguis sub speciebus vini, quamdiu non corrumpuntur vini species seu accidentia, ergo, &c.

RESOLUTIO IV.

Rejicitur 5^a Recentiorum admittentium puncta inflata in continuo.

CI. **D**ico 4^o rarefactio non fit per inflationem minimorum Physicorum, nec condensatio per eorum compressionem.

CI. Probatur 1^o, quia nihil suadet dari talia minima, ergo, &c. antecedens patet ex dictis de continuo.

CII. Probatur 2^o, quia vel illa minima inflantur per vacuitates, vel per disjunctionem partium, vel per propriam substantiam indivisibilem, ex natura sua modò majori, modò minori spatio divisibili correspondentem, uti respondet Angelus; non primum nec secundum ut patet ex prima & secunda sententia supra rejectis: non etiam tertium; quia talem esse naturam rei materialis contra rationem & experientiam fingitur, ergo, &c.

RESO-

RESOLUTIO V.

*Rejicitur 6^a Durandi, suarez, Conimb. Com-
plut, nostrorum, Rubii, Hurtadi, Comptoni,
& aliorum communis.*

civ. Dico 5^o rarefactio non fit per duos motus, quorum unus fit ad raritatem, quam dicunt esse quantitatem determinantem materiam ad magnam extensionem localem per recessum partium ab invicem, sine vacuitatibus, sine introductione corpusculorum in concavitates, sine productione novæ quantitatis, vel totalis, vel partialis, & sine expenetratione dimensionum; alter verò ad majorem locum, sive extensionem localem.

cv. Item condensatio non fit per duos motus, quorum unus fit ad densitatem, quam dicunt esse qualitatem determinantem materiam ad parvam extensionem localem per accessum partium ad invicem, sine expulsionem ullius corpusculi, sine corruptione, vel penetratione partis ullius qualitativæ: alter verò ad minorem locum, seu extensionem localem majorem.

cvi. Probatur 1^o, major locus terminans unum motuum rarefactionis, præsupponit (utpote formam pendens à quantitate tamquam subjecto) majorem quantitatem, ergo rarefactio non fit per recessum partium ab invicem sine productione novæ quantitatis, saltem partialis, aut expenetratione ejusdem: consequentia patet; Probatur antecedens à pari in albedine: extra rarefactionem albedo bipedalis supponit subjectum bipedale, & albedo major bipedali, v. g. tripedali, præsupponit majus subjectum v. g. tripedale; alioqui cum pendeat à subjecto, deberet secundum aliquas sui partes existere sine subjecto; sed ubi majus, sive locus major, etiam secundum quod major est, quam ante erat, non pendet minus à subjecto in rarefactione, quam albedo extra rarefactionem, ergo, &c.

cvi. Respondebis etiam albedinem in rarefactione non supponere majus subjectum quantitativè, ut præsupponit extra rarefactionem; sed tantum subjectum majus localiter, ad quod etiam determinatur per raritatem, ad quam terminatur rarefactio. Sed

cvi. Contra, quando 1^o producitur raritas in materia; vel producitur in materia loco priori tamquam loco adæquato naturali, vel tamquam loco inadæquato; nam in illa ut in priori loco existente produci debet? si primum, non apparet quomodo postea, aut materia, aut ipsa raritas, sine expenetratione partium possit habere locum majorem: si secundum, ergo partim est sine subjecto, quod naturaliter, cum sit accidens, fieri non potest: nec dici debet, quòd ita producatur raritas in materia, ut per suum ubi concomitanter illam locet in loco majori, quia ex probatis Tract. 3^o Disp. 3^a Dub. 3^o formæ omnes ubicantur per ubi subjecti, non è contra subjectum per ubi formæ.

cix. Probatur 2^o supposito quòd in corpore rarefactibili sint viginti partes naturaliter indivisibiles (nam Deum videre omnes partes continui naturaliter indivisibiles (id est tales ut minor naturaliter rareferi non possit) easque notare posse nota particulari A, B, &c. est certo cer-

tius) & non sint plures post rarefactionem, ut docet illa sententia; sequitur primam naturaliter indivisibilem (quam Deus videt) corporis rarefactibilis (& sic de 2^a, 3^a, & aliis) esse naturaliter in duobus locis adæquatis, vel unius earum locum esse sine subjecto naturaliter, prout naturaliter fit rarefactio; sed horum utrumque est absurdum, ergo, &c. Minor patet. Probatur sequela; ante rarefactionem erant tantum viginti partes loco naturaliter indivisibiles, nam cuilibet parti naturaliter indivisibili respondebat suum naturaliter indivisibile loci; post rarefactionem autem, cum locus fit, ut minimum semel major, sunt 40 partes loci naturaliter indivisibiles; ergo, vel prima pars corporis rarefactibilis naturaliter indivisibilis (& sic de secunda, tertia, &c.) respondet naturaliter duobus naturaliter indivisibilibus loci, ac proinde duobus locis adæquatis naturaliter; vel unius earum locus est sine subjecto naturaliter.

cx. Adde ferè simile argumentum fieri in raritate, quam volunt adversarii exigere locum majorem, quod sic ostendo: prima pars naturaliter indivisibilis raritatis respondens primæ parti subjecti naturaliter indivisibili, vel exigit naturaliter locum majorem adæquato, & naturaliter indivisibili, quem habet in subjecto naturaliter indivisibili, in quo est, vel non? si non, ergo nec secunda, nec tertia (& sic de aliis, ac per consequens, sic de tota raritate) exigit esse in loco majori: si exigit, cum locus debeat fieri major ad minus per unum secundum indivisibile de novo accedens, naturaliter exigit esse in duobus locis adæquatis; nam locus adæquatus partis naturaliter indivisibilis est unum indivisibile loci naturaliter, & exigit secundum: hoc autem repugnat, ergo, &c.

cx. Probatur 3^o; etiam secundum adversarios, rarefactio non potest intelligi sine recessu adæquato, vel inadæquato partium ab invicem; sed duæ partes naturaliter indivisibiles v. g. pars A. & pars B. in rarefactione non possunt ab invicem recedere recessu inadæquato, ergo recedunt necessariò recessu adæquato; ac proinde per discontinuationem, cum sint sibi immediatæ, quod est incidere in sententiam secundam; & eodem modo impugnat.

cxii. Probatur minor 1^o, cum qualibet pars supponatur naturaliter indivisibilis, nullam habet inadæquationem respectu potentie naturalis; ergo nequit inadæquate, & secundum medietatem tantum recedere: Probatur consequentia; quia uti corpus rarefcit naturaliter, ita actione agentis naturaliter recedere debet, ergo, &c.

cxii. Probatur minor 2^o, eodem modo se habet pars A. naturaliter indivisibilis respectu potentie naturalis, sicut se habet punctum A. secundum se indivisibile respectu potentie divinæ; sed illud non potest per Deum, seu potentiam divinam inadæquate tantum, & secundum medietatem tantum recedere à puncto B. sibi immediato; quia est secundum se, etiam divinitus, indivisibile; ergo neque pars A. naturaliter indivisibilis per potentiam naturalem (à qua est rarefactio) potest naturaliter inadæquate, & secundum medietatem tantum, à parte B. sibi immediata & naturaliter indivisibili recedere.

Confir-

cxiv. Confirmatur tota pars A. recipit raritatem; nam cum agentia naturalia agant in subiecta determinatæ quantitatis, non possunt agere in partem minorem naturaliter indivisibili, ergo tota rarefcit, ac per consequens tota recedit; quod procul dubio videt Deus, cum initium & finem extrinsecum ipsius videat.

cxv. Respondebit fortè aliquis, partem A. naturaliter indivisibilem fieri naturaliter divisibilem, eo quòd per rarefactionem recipiat majorem locum. Sed

cxvi. Contra, præterquam quòd prius ostendi debeat, quomodo pars materialis naturaliter indivisibilis possit majorem locum recipere, cum illum recipiat ut indivisibilis, sicut illi ut indivisibilis præsupponitur tanquam subiectum; inde solum sequitur locum fore naturaliter divisibilem; non verò partem subiecti naturaliter indivisibilem fore naturaliter divisibilem; nam quòd est naturaliter indivisibile, non fit naturaliter divisibile ratione sui loci divisibilis; quia locus divisibilis non mutat rem in se quantitativè, id est, non facit ut si indivisibilis sit res, quam afficit, fiat divisibilis quantitativè, ut patet in ubi divisibili Angelico, quod non facit Angelum in se quantitativè divisibilem, sed localiter tantum, quòd ultimum in re materiali indivisibili fieri non potest, propter modum existendi in loco, quem habet diversum ab Angelo, scilicet, sic ut pars parti & totum toti loco respondeat, Angelus autem sic, ut totus toti, & totus cuilibet parti loci respondeat.

RESOLUTIO VI.

Stabilitur 7^a. & nostra sententia.

cxvii. Dico 6^o. rarefactio fit per expenetrationem, sive egressum partium ex partibus penetratis; condensatio verò per regressum partium in partes.

cxviii. Probatur ex Aristotele 4^o. Physic. textu 84. contra 2^{am} sententiam 3^{am} & 4^{am} itaque idemmet rarum & densum, & una materia (& consequenter quantitas, quia quantitas à materia realiter distincta est fictitia) utriusque: cum verò docet rarum habere plus quantitatis, quàm densum, intelligi debet de quantitate situali ut patet: item contra 2^{am}, rarum putabitur qualitatem significare, & tamen alienum est à qualitate. Idem Arist. in prædicam. qualitatis, ergo, &c.

cxix. Confirmatur refutatione aliarum sententiarum, solutione objectionum contra hanc, & facili modo explicandi rarefactionem & condensationem, ac D. Thomæ autoritate 2^o. de generatione lect. 2^a. ubi ait: rarum autem & densum sunt positio partium materiæ secundum propinquum in denso, vel secundum remotum in raro: illud autem propinquum in denso, & remotum in raro, aliter explicari non potest, ut ante vidimus, quàm per hanc nostram Resolutionem, ergo, &c.

cxx. Objicies 1^o. hæc sententia nulla profus autoritate nititur, ergo est improbabilis.

cxxi. Respondeo transeat antecedens; nam sufficit quòd nitatur ratione, quia (ut optimè Sylvius lib. 4^o. cont. q. 2^a. art. 4^o.) non solo autorum numero, sed potissimum ponderare rationum querenda est veritas: limita in naturalibus: deinde peto, an omnes sententiæ, quarum primi authores fuerunt Aristoteles,

R. R. Francisci Bone Spei Physica.

Scotus, S. Thomas, &c. in initio suo fuerint improbabilis? qui negant, admittunt nobiscum sententias probabiles sine autoritate; illæ enim solâ ratione, nullâ autoritate tunc nitentur; qui affirmant parum sapiunt, qui (præterquam quòd earum pleræq; ab initio fuerint certissimæ) sequeretur omnes omnino sententias, utpote semel novas, fuisse semel improbabilis: Adde tamen hanc nostrâ sententiam non esse ita novam, quin continuæ illius oppugnationes, & in scholis refutationes, satis ostendant eam aliquando habuisse suos authores & patronos; imò P. Ovied, dicit esse aliquorum Recentiorum, quos tamen non nominat; esse autem Aristotelis & D. Thomæ probatum est.

cxxii. Objicies 2^o. ex communi Philosophorum & Theologorum; penetratio quantitatis est naturaliter impossibilis, supernaturalis, &c. ac proinde temerarium est contra torrentem Philosophorum & Theologorum illam admittere naturaliter, ergo, &c.

cxxiii. Confirmatur, si penetratio naturaliter esset possibilis, non apparet, cur pulvis tormentarius in tormento bellico inflammatus, & rarefactus, illud in varias partes aliquando diffringeret; & non potius ipsum penetraret; item cur fulmen aurum liquefaceret, cur globus à tormento explosus foramen in muro, aut alere occurrente, relinqueret; & sic de similibus, ergo, &c.

cxxiv. Respond. 1^o. transeat antecedens, nego consequentiam: quia temerarium non est, quòd, vel sufficienti ratione, vel sufficienti autoritate nititur; sed ille temerarius est, qui sine sufficienti ratione & autoritate alterum temeritatis in simulat: deinde in rebus, quæ neque ad fidem, neq; ad cultum Dei pertinent, ratio & experientia prævalent autoritati; ideoque Aristoteles & plurimi alii sæpius communes sui temporis sententias rejiciunt, nullâ pro se citatâ autoritate.

cxxv. Resp. 2^o. distinguendo antecedens ex communi Philosophorum & Theolog. sententiâ: quantitatum corporum distinctorum penetratio est naturaliter impossibilis, supernaturalis, &c. concedo antecedens; partium quantitatis ejusdem corporis, nego antecedens. Ex his ad Confirmationem patet.

cxxvi. Instabis, si aliquæ partes quantitatis ejusdem corporis se penetrare possent naturaliter, possent omnes, ac proinde poterit corpus redigi ad punctum; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

cxxvii. Resp. 1^o. retorquendo hoc argumentum (quo omnes nostram sententiam rejiciunt) in omnes alias sententias: in 1^{am}, si partes ejusdem corporis habere possint vacuitates sine corpusculis naturaliter, poterunt omnes, ac proinde nullum dabitur continuum; sed hoc est absurdum, ergo, &c. in 2^{am}, si partes ejusdem corporis habere possint vacuitates plenas corpusculis, habere poterunt omnes, ac proinde nullum dabitur continuum ejusdem rationis; sed hoc est absurdum, ergo, &c. in 3^{am} & 4^{am}, si partes ejusdem corporis perdere possint totam antiquam quantitatem, vel partem ejus, poterunt omnes idq; diversis vicibus, ac proinde tandem nihil restabit quantitatis partium; sed hoc est absurdum, ergo, &c. in 5^{am}, si partes ejusdem corporis possint magis ad se invicem accedere, poterunt omnes magis ac magis in infinitum, ac proinde poterunt ad punctum loci redigi; sed hoc est absurdum, ergo, &c. quidquid ad hæc responderint adversarii, prodegit ad solutionem sui argumenti; ad quòd tanè aliter

E c

Resp.

CXXVIII. Resp. 2^o. quodlibet totum habere ex natura sua quaslibet sui partes tantū à similibus partibus penetratas, quantum per rarefactionem extēdi potest naturaliter; nec post rarefactionem partes illas magis condensari posse, quā habuerint partes connaturaliter ante rarefactionem penetratas: sicut tamen elementa rarō sunt pura, & instructa primis qualitatibus summē intensis, ita corpora rarefactibilia rarō sunt in statu præcisē penetrationis connaturalis partium; sed ordinariē habent aliam rarefactionem & earum expenetrationem; unde fit, quod corpora, quæ utcumque densa videntur, possint magis condensari naturaliter.

CXXIX. Collige corpora, quæ magis dura & ponderosa sunt, non debere dici densiora, & è contra, quæ magis pervia & levia, non debere dici rariora: sed densiora dici debent, quæ in statu suo naturali habent plures partes in eodem loco penetratas; hinc pulvis tormentarius est summē densus, licet parum durus & ponderosus; rariora verò sunt, quæ in statu suo naturali pauciores habent partes penetratas; hinc ferrum est rarius pulvere tormentario: Ratio horum est 1^o. quia in omnium sententia illud den-

sus est; quod ex natura sua plus habet materiæ sub eadem extensione locali; rarius, quod minus; id autem maximē convenit corporibus densis & raris; juxta nostram explicationem: 2^o. quia authores contrariæ sententiæ durum & ponderosum videntur confundere cum denso, & pervium ac leve cum raro, quæ sunt summē distinguenda, ut patet ex hac Resol. & refutatione aliarum sententiarum (secundum quas ista confunduntur) de condensatione & rarefactione: 3^o. quia densabile dicitur ab eo quod magis possit per certam accidentium extrinsecus advenientium seriem densari, sicuti rarefactibile dicitur ab eo, quod possit magis per aliā accidentium extrinsecus advenientium seriem rareferi; nam densum & densabile, ratum & rarefactibile distinguuntur, saltem uti album & dealbabile, quod ultimum denotat agens extrinsecum, non verò album; unde debent explicari modo, quo explicamus. Ex his

CXXX. Collige ulterius, Corpus Christi in venerabili Sacramento non esse totaliter densum, quia non habet ex natura sua omnes partes penetratas, sed virtute divinā.

DISPUTATIO DECIMA.

De Conditionibus ad agendum Requisitis.

D V B I V M I.

an simile possit agere in simile.

Ante Resolutionem
Suppono 1^o. similitudinem hinc maximē spectari in qualitatibus, ita ut illa dicantur similia, quorum qualitas est una, sive ejusdem speciei.

II. Suppono 2^o. simile posse agere in simile, 1^o. actione æquivocā, sive per qualitatem specie distinctam ab ea, secundum quam est alteri simile; nam oculus meus producit speciem sui in oculo Petri, manus A. manum B. æque calidam humectat: 2^o. actione, non assimilativā; nam lapis quatuor librarum supra alium lapidem ejusdem gravitatis positus gravitat, & juxta Aristotelem elementa gravitant in loco naturali; ac proinde pars aquæ superior agit gravitando in inferiorem: Deinde ignem magnum absumere & corrumpere parvum experientia constat: verum hæ actiones non sunt assimilativæ; ut patet.

III. Suppono 3^o. dubium procedere de actione assimilativā in gradu sive per qualitates in intensione similes, & non tantum in specie: ut dubii sit sensus, an calidum ut duo possit in aliud calidum ut duo agere, in illum producendo calorem ulteriorem, & consequenter illum intendendo: pro quo, sit

R E S O L U T I O.

IV. **D**ico, simile in eadē specie qualitatis, & intensiōnis gradu, non potest actione assimilativā in passum simile operari, etsi passum hoc excedat densitate, vel magnitudine.

V. Probant facile hanc conclusionem, qui dicunt gradus intensiōnis esse heterogeneos, ac proinde secundum intensiōnis qualitatis gradum, esse imperfectiorem tertio, & tertium quarto, & sic de aliis: se-

cundus enim tertium producere non poterit, quia imperfectior tertio: verum probatum est supra; gradus illos esse homogeneos, quare aliter

VI. Probatur, ex natura ipsarum qualitarum assimilativarum nobis nota à posteriori: duo calida ut duo sibi applicata, nunquam intendunt suum calorem, quantum experimur, ergo, &c. Consequentia probatur; quia de natura rerum debemus ab experientia, & à posteriori judicare; quare enim ignis calorem, aqua frigus, calor ut duo cum calore ut tria calorem in alio ut quatuor producit, & non in seipso; nisi quia talis naturæ, quantum experientia colligimus & à posteriori, ergo, &c.

VII. Confirmatur ex Aristotele hic cap. 1^o. ubi textu 45^o. ait, nihil pari à simili, nam, inquit, cur potius alterum altero erit passum? etsi fieri queat ut patitur à simili, possit quandoque à se pati; ac proinde se ad octo gradus intendere, contra omnem experientiam.

VIII. Nec rectè Respondet P. Ovidius utrumque fore passum & agens respectu invicem; quia si tales possint esse respectu invicem, poterunt & respectu sui ipsius, ut inquit Aristoteles, nec propter aliam rationem non potest idem esse agens & passum respectu sui ipsius actione univocā & assimilativā, quā quia non potest respectu alterius sibi similis esse agens actione dictā & passum; quod si hoc poster, posset & respectu sui ipsius; quia non est minus capax ulterioris gradus, quā alterum simile.

IX. Objicies tamen 1^o. agens necessarium adæquatum & sufficienter applicatum subjecto capaci, necessarium agit: sed calidum ut duo est agens necessarium adæquatum respectu unius gradus caloris producendi; ergo si sufficienter applicatum sit subjecto capaci, scilicet calido alteri ut duo, in ipso producet unum gradum, ac per consequens simile aget in simile: Probatur consequentia; quia non

non est unde determinetur & moveatur ad non agendum, cum passum esse sibi simile non agnoscat (propter quam rationem diximus in Physica duas causas totales eidem effectui producendo sufficere applicatas effectum producere per duas actiones totales) ad cessandum ab actione.

x. Respondetur communiter distinguendo majorem, agens necessarium, &c. necessariò agit, si simul adint omnes conditiones ad agendum requisitæ, conceditur major; si una desit, prout hic, scilicet finis actionis, qui est sibi assimilare passum, negatur major: sed hæc solutio non placet, 1^o. quia cum assimilatio debeat esse inter duo similia, nulla agentia æquivoca agunt ut assimilent sibi passum, unde assimilatio non potest esse finis actionis: 2^o. quia etiam dato, quòd agentia per se agant ad assimilandum sibi passum, possunt per accidens agere actione non assimilativâ, & productivâ effectus se perfectioris, ut cum asina cum equo producit, non asinam, sed mulum; ergo per accidens simile poterit similiter agere in simile actione non assimilativâ; sed productivâ tertii gradus in calido ut duo sibi simili, licet hoc, ex modo existendi sub unione, sit futurum perfectius causâ ipsum intendente.

Quare aliter

xI. Resp. concessâ majore, negando minorem, & consequentiam, quia simile respectu similis non est activum, ac proinde multò minus necessarium agens, nec subjectum simile agenti est subjectum capax recipiendi actionem agentis similis, ut patet ex probatione conclusionis; quæ non militat contra causas totales in casu allato.

xII. Objicies 2^o. sit ignis calidus ut 5. quidni in lignum approximatum producet calorē ut 4. deinde accedat alius ignis calidus ut 4. intendetur calor in ligno, uti videtur experientia consistere, ergo, &c.

xIII. Resp. præfato casu, secundum calidum superveniens, in æquali distantia applicandum ligno, vel non? si prius, non ager in lignum, magis quam duæ candelæ accensæ agant in intermediam accensam, quod referendum est in experientiam & conclusionis nostræ probationem; si posterius, in passo inæqualiter à se distanti, non est augendus calor ad intensiorem ipsius agentis; quia quodlibet agens remissius agit in passum distans; ac proinde ubi primum agens in passum B. v. g. produxerit calorem ut 3. alterum intensum ut 4. poterit in ipsum producere calorem ut unum; quia nullum impedimentum; non verò ut duo; quia faceret se solo (si quidem illud ut 5. in passum illud non potest nisi calorem ut 3. producere, ut suppono) se intensius, contra quod militat probatio resolutionis.

D V B I V M II.

an agens, ut agat, requirat presentiam localem cum passo.

xIV. **A**lii paulò aliter quærun, scilicet, an dari possit actio immediatè in distans, an verò ad agendum requiratur contactus formalis agentis & passi, id est, secundum proprias entitates; an saltem virtualis, id est, ut virtus ipsius agentis, quam in medio produxerit, formaliter tangat passum.

R E S O L U T I O I.

xV. **D**ico 1^o. contra Scotum agens totale non potest immediatè agere in distans, id est, non agendo per medium; v. g. sol non potest in

visceribus terræ gemmas, aurum, &c. producere, nisi agat in aërem medium inter se & terram.

xVI. Probatur 1^o. ex Aristotele lib. 1^o. Meteororum, ubi docet naturam ideo abhorre vacuum, quia alioqui impedirentur influentiæ cœlestes in sublunaria; ergo censet influentias non posse pervenire ad passum distans, nisi continuentur per totum medium.

xVI. Hoc argumentum ridet P. Arriaga, dicens esse imbecillum, quia scilicet, etiam dato vacuo unius ovi corpora sublunaria adhuc possent per laterales continuatas aëris partes influentias cœlestes recipere. Sed quis non videt Aristotelem loqui, & intelligendum esse, de totali per vacuum aëris discontinuatione? quomodo illud argumentum non est imbecillum, sed robustum valde.

xVII. Nec dicas videri incredibile influentias cœlestes impediendas, ut & calorem ignis luculentissimi, per vacuum uno filo tantum latum. Quia bene impedirentur per laminam calibeam interpositam uno tantum filo latam; quidni igitur per tale vacuum?

xVII. Probatur 2^o. experientiâ ordinariâ, si inter me & solem ponatur paries, vel simile corpus opacum, sol me post parietem existentem non illuminabit; sed hujus non potest alia reddi ratio, quam quia agens totale non potest agere in passum distans, quin agat in medio, ergo, &c.

xIX. Confirmatur si agens non deberet conjungi passo distanti saltem per virtutem, quam produceret in medio, nulla daretur sphaera activitatis totalium agentium naturalium; sed hoc est contra experientiam; ergo, &c. Probatur major, quia quòd dicta sphaera alicubi terminetur, est, quia agentis activitas consumi debet in medio; alioqui enim cur non esset ad quamlibet distantiam? sed isto casu non deberet, ergo, &c. Vide P. nostrum Daniëlem à S. Iosepho in 1^{am} p. D. Thom. ubi fol. 133. Confirmationem istam doctè expendit.

xx. Objicies 1^o. magnes longè positus attrahit ferrum; 2^o. fascinantes sive vetulæ, & basiliscus, solo aspectu pueros distantes enecant. 3^o. torpedo, quidam piscis, torporem in manu piscatoris, lupus visus raucedinem in gutture viatoris, è loco disto causat. 4^o. oscitanti uno oscitat alter, & appetitus movetur in corde à phantasia existente in capite. 5^o. candela recens extincta accenditur ab aliâ accensâ aliquo modo distante; & cadaver hominis occisi, appropinquante homicidâ, sanguinem emittit. 6^o. fundus lebetis friget, aquâ superius bulliente; & strophium vino adusto imbibitum ardet illæsum. 7^o. unguentum quoddam Paracelsi (quod à nonnullis dicitur pulvis Sympathiæ) applicatum gladio, quo insictum est vulnus, aut linteo ex vulnere sanguinolento aut purulento, sanat vulnus longissimè distans etsi vulnere non aliter medeatur. 8^o. Naphtha, bituminis flos tenuissimus, ab igne à se notabiliter distante inflammatur, ergo, &c.

xxI. Resp. ad 1^{am} experientiam: à magnete per medium fortè quodcumque interjectum diffundi qualitatem contrario carentem, attractivam tamen solius corporis habentis qualitates similes illis, quas habet ferrum, uti experientia docet; idem est de electro, cum hoc tamen discrimine, quòd per quodcumque medium suas qualitates non emittat.

xxII. Resp. ad 2^{am} vetulas illas (& idem est de lupis nonnullis & basilisco) præ senio tabescentes, ex oculis, naribus, & ore, subtile aliquod vene-

Ec 3 num.

num, & pestiferos spiritus emittere, qui tenellos pueros facile contagio inficiunt, & occidunt; sumitur ex eo quod interposito medio nil noceant.

xxiii. Respondeo, ad 3^{am}, torpedinem ab hamo usque ad manum piscatoris emittere qualitatem aliquam, quæ torporem & stuporem in manu piscatoris causet, sumitur ex eo quod alter, qui virgam non tenet, non torpeat, licet torpedini vicinior: de lupo verò putant nonnulli esse fabulam; si tamen ita se res habeat, oritur illa raucedo ex frigidityte & debilitate aliqua instrumentorum vocis, ob profluvium sanguinis ad cor, causatam ex vehementi timore mortis de viso lupo.

xxiv. Resp. ad 4^{am}, Oscitationem unius non esse semper causam oscitationis alterius, sed interdum dumtaxat, & tunc non est causa illius efficiens, sed objectum excitans appetitum ad idem faciendum, utpote naturæ bonum: phantasia verò, non aliter, quam per modum proponentis objectum, movet appetitum in corde.

xxv. Respondeo ad 5^{am}, candelam recens extinctam emittere exhalationes quasdam & fumum pinguem facile inflammabilem: de cadavere hominis occisi, facile putarem, etiam esse fabulam, & semel casu factum, nisi vulgus aliud sentiret; si tamen fiat, dic miraculosè id fieri, Deo volente homicidam, & quantum homicidium voluntarium sibi displiceat, simili prodigio manifestare, vel ope dæmonis ad excitandas lites, & perversas de proximo opiniones inter homines similia leviter credentes; alioqui, cur non sanguinaret in præsentia tortoris?

xxvi. Resp. ad 6^{am}, id fieri, quia partes infimæ statim ac incallescunt, rarefcunt, & ideo superius ascendunt; aliæ verò, utpote frigidiores, & consequenter graviores, descendunt, & fundum infrigidant: ad id verò quod additur de strophio, non comburitur, licet utrimque ardeat, quia partes vini adusti aquosiores & crassiores successivè strophium humectant & impediunt ne comburatur.

xxvii. Resp. ad 7^{am}, Doctores Medicos, tam Lovanienfes, quam Duacenses, testatos id fieri virtute diabolicâ, impiis illis Paracelsitis valde familiaris. Plura similia habes in libello P. Ioannis Roberti de Magicâ imposturâ; de eo tamen plura Quæstiunculâ sequenti.

xxviii. Resp. ad 8^{am}, idem ferè dicendum de Naphtha, quod supra de candela recens extincta, scilicet emittere subtiles aliquos spiritus, facile ab igne inflammabiles, quibus inflammatis, inflammatur naphtha; quod autem ita fiat, patet; quia non inflammatur si interpositum sit medium, per quod non transeant illi spiritus, ut v.g. si naphtha in pixide includatur, non inflammatur.

RESOLUTIO II.

xxix. **D**ico 2^o agens partiale agere potest immediate in distans, id est, non agendo per medium, sive non continuatâ actione per medium.

xxx. Probatur, partes interiores ignis profundæ quatuor pedes, agunt in passum propinquum, v.g. in me, & non agunt in partes anteriores, ergo, &c. Probatur antecedens pro primâ parte, quia tantus calor non potest provenire à sola superficie divisibili indivisibiliter sumptâ; 1^o quia alioqui ignis magnus non fortius ageret, quam parvus: 2^o quia non est, cur partes interiores ab actione cessent, cum possint, etiam ulterius, actione ductâ per me-

dium agere: Probatur antecedens, pro secunda parte, quia partes anteriores sunt omnino ejusdem rationis & similes; simile verò non agit in simile, ut probatum est ante; ergo, &c.

xxxi. Confirmatur 1^o experientiâ candelæ in passum propinquum versus hanc partem intensius lumen cæteris partibus producit, quod minorem lichnum habet: sed id fit, quia lichnus crassior impedit quod minus partes luminis post illum existentes, possint versus hanc partem agere; ergo, &c. idem argumentum fit in duabus candelis, aut duobus ignibus, juxta se positis.

xxxii. Confirmatur 2^o ponatur fax in cella; fenestrâ cellæ aperta, illuminabit quidem foris ad aliquod spatium, sed non magnum, si verò plures addantur, ad longius multò spatium fiet illuminatio; sed faces illæ non agunt in invicem, ergo, &c.

xxxiii. Objicies 1^o si partes remotæ agerent in distans, non agendo per medium, non haberent terminum activitatis; sed hoc est contra experientiam; ergo, &c. Probatur major; quia si dixeris terminum activitatis hujus partis ignis v.g. esse in pede centesimo, & si hunc ignem continues usque ad pedem illum centesimum, ita ut hæc pars maneat omnium remotior, ut ante, jam poterit ad pedem ducentimum agere, & sic deinceps, ergo, &c. quod autem tunc poterit ad ducentimum agere, patet, quia ante poterat ad centesimum, & jam in illo centesimo non consumpsit suam virtutem, ergo, &c.

xxxiv. Resp. negando minorem; quia non experimur agentia partialia ejusdem naturæ & intentionis, ut partialia habere determinatam spheram suæ activitatis; sed modò majorem, modò minorem ut convincit argumentum, prout ipsum agens totale, cujus sunt partes, magis vel minus intenditur & extenditur; experimur autem agentia totalia, nisi mutantur, id est, nisi auquantur vel minuuntur, semper habere eandem spheram suæ activitatis, si medium maneat semper eodem modo dispositum, & cætera sint paria, hinc consequenter dicendum agentia totalia agere in orbem; non verò partialia, nisi ratione totius.

xxxv. Instabis, si agentia partialia non haberent determinatam spheram suæ activitatis, qui toti Oceano manum ingereret, maximum frigus sentiret, & sine proportione majus, quam si aquæ ductui tantum; sed hoc est contra experientiam, ergo, &c.

xxxvi. Probatur major, quia omnes partes Oceani etiam remotissimæ, quæ sunt sine numero (ut ita loquar) plures, quam aquæ ductus, in manum agerent, ergo, &c.

xxxvii. Resp. negando sequelam, ad ejus probationem, nego antecedens; & ratio est; quia quantum experientia docet, aqua infrigidat humectando simul, non humectat autem, nisi quod sibi est immediatum immediatione suppositi, ut experientiam facienti patebit: deinde, si hæc solutio non placet, dic (licet id minus probem) magnum frigus ita obtupecere sensum, ut cum ad determinatum gradum intensificationis pervenerit, omnis illius excessus à sensu, amplius distinctè, non percipiatur.

xxxviii. Objicies 2^o si agens partiale posset agere in distans non ductâ actione per medium, posset & totale; sed hoc est contra experientiam, ergo, &c. sequela majoris tenet à pari.

xxxix. Resp. negando sequelam, ad ejus probationem, Resp. esse disparitatem in eo, quod contra

tra actionem agentis totalis non ducta actione per medium militent omnia argumenta resolutione 1^a. allata, non vero contra actionem partialis.

XL. Obijcies 3^o. scriptura & SS. Patres, ex eo quod Deus operetur ubique, inferunt Deum esse ubique; atqui hoc male inferrent si agentia partialia possent agere in distans actione non ducta per medium, ergo, &c. Probatur minor, quia si agens partiale posset agere ubi non esset, quidni & Deus? major patet ex Apostolo: *non longè abest ab unoquoque nostrum, in ipso enim movemur & sumus*. Respondeo inde non rectè colligi Deum esse ubique; quia ut patet, causa non debet esse penetrativè in eo, quod operatur; unde secundùm illud Deus non esset ubique; per ly verò *non longè abest* solum vult Apostolus nos posse Deum facilè cognoscere, ac proinde ipsum non longè abesse à cognitione nostra; *quia in ipso vivimus, movemur & sumus*.

RESOLUTIO III.

XLII. Dico 3^o. potest agens, tam parziale, quàm totale in genere causæ principalis agere in distans actione & virtute diffusà per medium; non ita quidem, ut sola virtus diffusà agat; sed ita, ut ipsum agens agat per se, & per suam virtutem intrinsecam simul cum virtute diffusà per medium.

XLIII. Probatur 1^o. quando quis ad prunas se calefacit, non solum calefit à calore aëris sibi immediati; sed etiàm à calore ignis & prunarum, ergo, &c. Antecedens in quo solo potest esse difficultas, patet experientià; quia si inter ipsum & illa interponatur umbella, sentit calorem naturaliter minui; sed hoc non posset sentire, si caleficeret tantùm à calore aëris sibi immediati, ergo, &c.

XLIII. Probatur 2^o. saepe in passo distante producit effectus perfectior, quàm sit agens ipsi immediatè contiguum, ac proinde, quàm in proximior, ut patet; 1^o. quando passum distans est luminis capacious, quàm propinquum & contiguum: 2^o. in reflexione lucis è speculo; lumen enim quod retrocedit versùs suum agens, cum lumine, quod reperit prope speculum antea productum, facit lumen intenius, quàm sit prope ipsum agens, quousque non repercutitur; ergo saltem eo casu agens debet agere in distans, &c. Probatur consequentia; quia illud lumen non potest provenire à lumine intermedio, utpote minùs intenso, & non est alia causa in quam refundatur, ergo, &c.

XLIV. Confirmatur, quia nisi lux solis, vel candelæ, agat in passum remotum simul cum lumine intermedio, vix adferri potest ratio, cur lumen medii non agat in orbem, & sic de cæteris agentibus naturalibus.

XLV. Obijcies tamen, per hanc conclusionem tollitur omnis actio uniformiter difformis, contra experientiam: Probatur sequela, quia si ignis v. g. in passo A. produxerit calorem ut 7. poterit & in passo B. simul cum illo calore ut 7. alium calorem etiàm ut 7. producere, & sic de cæteris.

XLVI. Respondeo negando sequelam, ad ejus probationem: Respondeo iterum negando sequelam; quia juxta unam experientiam, quâ habemus, quod agens totale agat simul cum virtute diffusà per medium, & juxta aliam quod agat uniformiter difformiter, debemus ita de agentibus illis philosophari, ut dicamus in passo A. produxisse calorem ut 7. v. g. in passo B. simul cum illo calore ut 7. calorem tantùm ut 6. in passo C. cum illis interme-

diis caloribus tantùm calorem ut 5. & sic de cæteris; nam illæ experientiæ debent ita explicari, ut in natura rei non pugnent, quod alioqui fieret.

RESOLUTIO IV.

XLVII. Dico 4^o. agens totale non potest actione five simili, five dissimili, producere aliquid in distans, licet aliquid producat in medio, si medium non coagat.

XLVIII. Probatur, quia ad agendum requiritur immediata conjunctio suppositi, vel virtutis inter agens & passum, sed tunc nulla esset, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte; non suppositi, quia supponitur agere in distans; neque etiam virtutis, quia virtus dicitur, quæ ut instrumentum coagit; atqui totum medium non coageret, ut supponitur, ergo, &c. Probatur major, quia alioqui actio productiva effectus in passum distans transfret de loco ad locum distantem sine medio, quod naturaliter fieri non potest, ut omnes fatentur: Probatur sequela, quia transfret de loco agentis, à quo egrediretur, ad locum effectus distantem sine medio, ut patet, ergo, &c.

XLIX. Nec dicas 1^o. hanc sequelam nos debere, necessariò admittere juxta conclusionem secundam, quia juxta illam conclusionem dicendum actionem totalem productivam effectus, indivisibiliter egredi ab omnibus partibus collectivè sumptis; non verò secundùm unam partem ab una, & secundùm aliam partem realiter distinctam ab alia; omnes verò collectivè sumptæ sunt conjunctæ immediatè immediatione suppositi passo; unde illa actio non transit ad locum distantem sine medio, prout hic fieret.

2^o. Nec dicas 2^o. esse probabile lumen à sole, & species visibiles ab objecto, ita de facto in passo distante produci; quia, propter rationem allatam, omnino dici debent sibi similibus productivæ; quod verò per lineam rectam se propagent, & non lateraliter (propter quod aliqui dicunt non esse sibi similibus productivas) in earum naturam refundi debet, sicut in naturam soni refundere oportet, quod post interruptionem, ex æquè propinquis loco interruptionis, unus illum audiat, scilicet ille versùs quem movetur aër, & alter non scilicet ille, qui sonum ante interruptionem audivit, sonus enim est talis naturæ ut non audiatur nisi versùs illam partem, versùs quam propellitur aër, quem informat.

RESOLUTIO V.

LI. Dico 5^o. valde probabile videtur agens totale posse supernaturaliter agere in distans, non agendo per medium, ita Scotus in 1. dist. 37. & Scotistæ post ipsum ac Nominales, quos sequuntur Vasquez 1. p. q. 8. Disp. 28. Averſa q. 14. Physic. sect. 7^a. & nuperrimè noster P. Daniël à S. Iosepho 1^a. p. de Deo uno Disp. 22. cap. 4^o. contra Suarez, Conimb. Rub. & Thomistas: quia nulla adferri potest repugnantia: deinde potest Deus me jam sine medio producere Romæ, ut satis communiter admittitur; item in Theologia probabile est, dæmones per aëra vagantes, ita hodie torqueri ab igne infernali, ergo, &c.

QUESTIUNCULA.

De Pulvere Sympathetico.

LII. QVæres an sit licitum uti pulvere Sympathetico pro sanandis vulneribus?

LIII. **A**nte Resolutionem
Nota pulverem Sympatheticum à suis
authoribus ferè definiti *medicamentum simplex ex mi-
neralibus unum, quod sine ullo verborum susurro, aliàve
ceremoniâ, panno inspergitur, sanguine vulneris, vel
sanie ulcers illiro; sic tamen ut plaga interea ab om-
ni sorditie diligenter deterfa linteis mundis cu-
stodiatur, & ligaturis, ubi opus fuerit, firmetur.*
Hoc notato, sit

R E S O L U T I O.

LIV. **D**ico (salvo meliori iudicio) uti pulvere
isto omnino superstitiosum videtur &
diabolicum.

LV. Probatur, quia si pulvis sit è mineralibus
unum, non potest plus virtutis, aut activitatis in
se habere, quàm corpora mixta ex elementis re-
fractis in summo; atqui superstitiosum & diabo-
licum est illis ut efficaciter operantibus ad quam-
cumque distantiam, nihil obstante quocumque
corpore intermedio, uti, qualis est istius pulveris
Sympathetici inter suos authores usus, ergo, &c.

LVI. Confirmatur, non apparet cui bono fiat
applicatio pulveris istius linteis illitis sanguine, à
vulnere quàm remotissimè separatis, nisi ad tegan-
dam artem dæmonis, ejusque diabolicas fraudes;
& si fortè dixeris sanguinem istum agere in distās,
ut pulvis ille Sympatheticus, saltè ut agens par-
tiale; id ante satis refutatū est; deinde cur mun-
dities vulneris requiritur? an fortè immundities il-
lius impedire potest activitatem pulveris Sympa-
thetici summè, & quocumque medio interjecto,
distantis? id similiter ante rejectum est.

LVII. Dices, magiam superstitiosam consistere
in pacto cum diabolo vel observantiâ vanâ tradi-
tum à Delrio: pactum expressum hîc nullum sub-
esse certum est; tacitum què convinces? revera in
me bonâ fide utentem, & omni satanæ operi re-
nuntiantem, abjurantemque non redundat.

LVIII. Respondeo tacitum pactum cum dæmo-
ne convinci ex agentis & passi nimia distantia, ejus-
que actione non obstante quocumque medio in-
terjecto; neque multos esse puto, qui id statim non
suspiciunt; quare neq; bona fides Medici, neq; ig-
noratiâ sauciati, videtur hac in parte excusari posse.

LIX. Instabis, non magis miror minerale quod-
dam facultate cæli præditum agere in distans,
quàm filium parentis, aut avi, formam, mores,
& morbos referre,

Sepè Patris mores imitatur filius infans.

Qualis erat mater filia talis erat.

Sepè solet similis filius esse patri,

Et sequitur leviter filia matris iter.

Polus ferrum maguete illitum attrahit; luna in imo
maris plurima generat; quanto ab illis in quæ agunt
intervallo hæc & illa distident? Torpedo manum
piscatoris stupefacit; remora navem sistit; lapis
Hamantes, Iaspisve sanguinem sistit; quidni pulvis
Sympatheticus vulnera in distans curabit? itaque si
influentias cælestes agnoscis, & eorum præstati-
am, quid est quòd actionem in distans pulveris Sympa-
thetici neges? atra imprimunt corporibus Physicis
vini Sympatheticam & antipatheticam ut patet in
oleo & in quercu, vite & brassica inter se distiden-
tia; item què fit ut hominem nunquam tibi visum
ames primâ fronte, alterum quasi innato quodam
odio prosequaris? juxta illud Martialis:

Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare,

His tantum possum dicere, non amo te.

LX. Deinde quæro ex te, cur polus non agat in feri-
rum, nisi Magnete illitum? cur torpedo non stupefa-
cit piscatoris manum nisi apprehenso hamo? Sym-
pathia ergo, quàm habet sanguis eductus cum parte
affecta & cruore in ea contento, sine magia super-
stitiosa, allicit & determinat pulverem, ut vires ex-
ferat, easque in partem læsam torqueat,

LXI. Resp. negando assumptum, quia illorum
medici & naturalistæ reddunt rationes purè natu-
rales; activitatem autem pulveris Sympathetici ap-
prehendunt omnes Theologi ut superstitiosam; quia
actio illius, vel continuatur per totum medium, vel
non si sic, quomodo sanat faucium quocumque
medio interjecto, & in quacumq; distantia? si non
toto dubio præcedenti id fusè rejectum est: deinde,
sive hoc, sive illud dicatur, vanum omnino est pul-
verem ante dicto panno applicare, ut consideranti
patebit: fateor tamen nullam mihi apparere repug-
nantiam in possibili substantia tantæ activitatis, qua-
lis dicitur esse pulvis Sympatheticus, nec plus insi-
nuant rationes allatæ; verumtamen illam de facto
dari aliunde convinci debet quàm per experientiam
pulveris Sympathetici; quandoquidem activitas il-
lius sit de sortilegio & superstitione suspecta: vide
solutionem ad 7. experientiam dub. 2. Resol. 11.
allatam.

D V B I V M III.

*An agens secundum qualitatem contrariâ qua-
litati passî in quod agit, agendo repatiatur.*

LXII. **A**nte Resolutionem
Suppono 1.º. mutuam actionem esse
actionem & reactionem; mutuam verò passionem
è contra, passionem & repassionem; qui autem for-
tius agit & vincit, agere dicitur & repati, qui debi-
lius & vincitur, reagere & pati.

LXIII. Suppono 2.º. dubium procedere de agentibus
materialibus & sublunariis, habentibus mate-
riam ejusdem speciei; quia materiale non reagere in
spirituale, & sublunaria in cælestia à quibus patiuntur,
communiter admittitur: 2.º. de agentibus intra
mutuam activitatis spheram existentibus; quia sicut
nihil potest agere ultra spheram suæ activitatis, ita
nec repati, si sit extra activitatis reagentis spheram;
3.º. de actione corruptiva, quæ est inter contrarias
qualitates; quia inter perfectivas tantum, ut lucem,
species visuales, &c. non datur repassio defectu con-
trarii agentis.

LXIV. Suppono 3.º. qualitatū agentium natura-
lium, hunc satis communiter admitti activitatis or-
dinem: maximè activus est 1.º. calor; 2.º. frigus; 3.º.
humiditas; 4.º. siccitas; è contra verò resistentiæ; ma-
ximè resistiva est 1.º. siccitas, unde tabescentes &
sicci difficulter curantur; 2.º. humiditas; 3.º. frigus
4.º. calor.

LXV. Suppono 4.º. resistentiam esse duplicem, u-
nam activam, vel juxta Conimb. contrariam, juxta
Suar. radicalem: aliam formale, vel juxta Conimb.
privativam; negativa autem, quam addunt alii, non
est propriè resistentia, sed sola incapacitas subjecti
ad formam recipiendam: resistentia activa fit per a-
ctionem destructivam contrarii nitentis introduci,
ut cum aqua infrigidat ferrum candens à quo calefit,
dicitur ferro resistere resistentiâ contrariâ, sive acti-
vâ: resistentia formalis fit per solam præsentiam for-
mæ contrariæ impossibilis, exigentis in suo sub-
jecto conservari; quando autem hæc contingat, di-
ximus supra de Alteratione agentes,

Adde

LXVI. Adde has resistentias dupliciter spectari posse, scilicet in actu primo, quomodo non distinguuntur ab ipsis formis magis quam virtus productiva à substantia ipsius causæ; & in actu secundo, quomodo sunt actus resistendi, qui actus cum sint positivi, solis qualitatibus positivis contrariis conveniunt, & ab illis saltem ratione connotati, (puta formæ cōtrariæ paratæ introduci) separari possunt, uti actus à potentia. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

LXVII. **D**ico, datur vera reactio & secundum eandem partem subjecti, contra Calculatorem, & secundum qualitates ejusdem contrarietatis, contra Nyphum.

LXVIII. Probatur 1^o. ex Aristotele 4^o. de Generat. animalium cap. 3^o. omne agens patitur etiam à patiente, ut quod secat heberatur, quod calefacit refrigeratur, ergo, &c.

LXIX. Probatur 2^o. variis experimentis; 1^a. manus calida aquam contractans, eam calefacit, & ab ea frigit: 2^a. qui manum dexteram calidam sinistra frigidæ applicat, utriusq; vicissim frigus & calorem temperat: 3^a. ferrum candens aquæ injectum, eam calefacit & ab ea frigit: 4^a. aqua calida commixta frigidæ, eam calefacit & ab ea frigit, ergo, &c.

LXX. Probatur 3^o. productio mixtorum est possibile, & de facto datur, ergo & vera reactio; Probatur consequentia, quia in mixto nulla qualitas est in summo, sed primæ qualitates sunt attemperatæ per actionem & reactionem, quia non apparet quomodo aliter fiat, præsertim cum mixta sint ex elementis inter se contrariis mixta.

LXXI. Probatur 4^o. agens est simul in potentia ad agendum ratione qualitatis, per quam postea actu agit & in potentia ad patiendum ratione qualitatis contrariæ, quam à passo potest recipere, atqui in passo, seu agere debiliore, est virtus sufficiens ad reagendum, & in agente fortiori est capacitas ad recipiendam qualitatem contrariam, ergo si sit sufficiens applicatio & proportio secundum conditiones requisitas supposito 3^o, erit actio & reactio, passio & repassio.

LXXII. Objicies 1^o. si daretur reactio, sequeretur idem secundum eandem sui partem simul moveri naturaliter duobus motibus contrariis; item & eandem qualitatem simul naturaliter intendi & remitti; sed hoc est absurdum, ergo, &c. minor clara est: Probatur sequela, sit lignum bipedale ignitum cujus pes A. sit calidus ut quatuor, pes B. ut tria. & aqua prope pedem B. sic tamen ut B. C. sint intra sphaeram activitatis A; B verò tantum intra sphaeram activitatis C. aqua agit in pedem B. remittendo ejus calorem, & pes A. etiam in illum agit, non secus ac in aquam, inter quam est medius, ergo, &c. ita Calculator, cujus argumentum multos hucusque vehementer torfit, ad quod

LXXIII. Respondeo negando sequelam, ad ejus probationem admissio casu, Respondeo aquam agere in pedem B. nec pedem B. aquæ resistere; unde constat nihil moveri simul duobus motibus contrariis: quòd verò eo instanti, quò aqua remittit calorem pedis B. pes A. non agit in pedem B. patet, quia nequidem habet vires, ut contineat totum calorem in pede B. quòd minus activitate aquæ aliquid deperdat, ergo nec habet vires ut alium in illum producat illo instanti: item quòd pes B. tunc non resistat, etiam patet, quia in primis non

resistit resistentiæ activæ, nam si suum calorem continere non possit, ne activitate aquæ diminuat, quomodo in aquam isto instanti calorem produceret? non etiam resistentiæ formali, quia cedit.

LXXIV. Instabis, si eo instanti, quò aqua agit in pedem B. calidum, pes B. non resistat, ergo non datur vera reactio, sive mutua actio, contra conclusionem & experientias allatas.

LXXV. Resp. distinguendo consequens, ergo non datur vera reactio eodem indivisibili instanti, quò est actio, cōcedo consequentiam; in instanti immediate sequenti, nego consequentiam; actio enim & reactio non possunt esse in eodē indivisibili instanti, 1^o. quia alioqui, nec ulla esset resistentia, nec ulla victoria in pugna contrariorum; nulla in primis resistentia, quia quod resistit quæcumque resistentiæ resistat, debet esse dum resistit; resistit verò secundum solum gradum incompatibilem, & ut præcisè contrarium; si autem fiat reactio eodem indivisibili instanti, quò sit actio, non potest secundum illum gradum resistere; quia secundum illum cedit, desinit esse, & non est illo instanti ut resistat, ergo, &c. unde nulla est victoria, quia quod vincit quæcumque victoriæ vincat, debet esse, dum vincit; vincit verò solum secundum gradum incompatibilem & præcisè contrarium; si verò fiat reactio eodem indivisibili instanti, quò sit actio, non potest secundum illum gradum vincere, quia secundum illum etiam cedit, desinit esse, & non est illo instanti ut vincat.

LXXVI. Vigebis, victoria non sumitur penes hoc, quòd vincens non lædatur & nihil suæ virtutis perdat; sed ex eo quòd alterum fortius lædat, sive quòd in alterum fortius agat, & alterum plus suæ virtutis perdat; ergo solutio nullà.

LXXVII. Resp. distinguendo antecedens, victoria non sumitur, &c. si pugna sit inter contraria secundum gradus compatibles, concedo antecedens; si pugna sit inter contraria secundum gradus incompatibiles & præcisè contrarios, nego antecedens: de hac enim pugna procedere debet resolutio; nam clarum est, apud omnes, agens repati à passo, si non habeat qualitatem contrariam in gradu incompatibili & cōtrario, sed in gradu compatible & disparato dumtaxat; unde neutrum fortius aget, si pugna sit inter contraria secundum gradus compatibles, quia ubi nulla incompatibilitas graduum producendorum cum præjacentibus, agentium est æquè fortis actio. Ex dictis

LXXVIII. Collige, quòd eodem indivisibili instanti, quò contraria invicem applicantur, in se mutuo non agant & reagant, sed primo instanti sibi invicè ignis v.g. calidus ut 7. & frigidus ut unum, & aqua frigida ut 7. & calida ut unum resistunt resistentiæ formali sine ulla actione: 2^o. instanti agens fortius producit in passum in quò agit, qualitatem contrariam, tantam vel tantam in intensione & extensione pro suâ majori virtute, & agens debilius cedit ex qualitate propria contraria, tantum vel tantum in intensione & extensione pro minore sua virtute: 3^o. instanti (quantum docent experientie in conclusione allatæ) passum debilius resistit resistentiæ formali & activæ, & agens fortius superat & vincit: quomodo autem id fieri possit, cum ab illo agente eodem remanente fuerit priori instanti superatum, & ideo hoc instanti habet vires imminutæ? est communis omnium difficultas; nam quæro quomodo eodem indivisibili instanti

superet agens fortius, à quo longè superatur & debilitatur? id enim puto refundendum in naturam agentium per alterationem nobis experientia notam, scilicet, quòd debeant aliquot instantibus cessare à resistètia activa & formali, postquam egerunt secundum totam extensionem suæ victoriæ: 4°. instanti adhuc sibi resistunt resistètia formali; quia, ut monui, ad hanc requiruntur gradus incompatibiles seu contrarii existentes: 5°. instanti fortius iterum agit in passum, uti in 2°. & sic de cæteris.

LXXIX. Ratio hujus processus sumitur ex eo, quòd in contrariis ita resistètia explicari debeat: 1°. quia alioqui experientia allatæ ad probandam alterationem fieri interruptè, intelligi non possunt: 2°. quia sic, clarè patet, quomodo in pugna contrariorum detur resistètia & victoria: 3°. item cur idem in pugna contrariorum non debeat moveri duobus motibus contrariis.

LXXX. Respondent Conimbricenses, Arriaga & plures alii, in casu, objectione 1°. allato, pedem A. non acturum in pedem B. toto tempore quò reagit aqua in illum, eò quòd si pes A. non fuerit satis potens impedire ne aqua ageret & introduceret frigus in pedem B. multò minùs erit potens in aquam novum calorem introducere, & impedire ne aqua conservet suum frigus. Sed

LXXXI. Contra: 1°. instanti reactionis aquæ in pedem B. vel aqua restitit pedi A. unum gradum caloris in pedem B. introducere conanti, vel non? si posterius, non apparet cur pes A. non agat in pedem B. quia nulla est resistètia; si prius, vel restitit per gradum, aut gradus frigoris præinventos in pede B. vel per novum aut novos gradus, quos producit in pedem B. non per hos, quia sunt tantum in fieri, & non in actu, quod verò resistit, debet esse actu, ut sæpe dictum est; neque etiam per illos, quia per præinventos in pede B. aqua non fortius resistit actioni pedis A. quàm resistat actioni pedis B. in seipsam; sed actioni pedis B. ejusdem naturæ cum pede A. ita resistit ut vincatur, ergo etiam ita resistit pedi A. ut pes B. ab ipso recipiat novos gradus caloris, & ipse vincatur; ac proinde ita ut pes B. simul moveatur duobus motibus contrariis ut contrariis; quia non est, cur potius unum cesset, & alterum agat, quàm aliud; quod absurdum clarè vitamus. Sed contra nos

LXXXII. Difficultas manet quomodo eodem indivisibili 1°. instanti quò ferrum injicitur aquæ, nec ipsum aqua calefaciat, nec aqua ipsum frige faciat.

LXXXIII. Respondeo tamen rationem clarè summi ex eo, quòd isto 1°. instanti sibi mutuò resistant resistètia formali, quæ est secundum gradus contrarios existentes; non possunt autem eodem indivisibili instanti existere ut formaliter resistant, & desinere ut vincantur, quod fieret; scio tamen id videri experientia contrarium, sed attendi debet totum quod experimur fieri in tempore, in quo sunt plura instantia, de quibus hic, sive plures partes temporis divisibiles indivisibiliter sumptæ; ac proinde, licet, quantum experimur, id fiat in tempore, respectu nostri, ferè indivisibiliter eodem, non tamen revera ita fit, ut dicat ratio fundata in variis etiam experientis. Ex his

LXXXIV. Collige ulterius in nostra sententia hoc axioma communiter receptum, *omnis actio est à proportione majoris inæqualitatis*, id est ab agente habente perfectiorem virtutem agendi, quàm passum, verum esse; quia pro eo tempore quò agens debilius

reagit, fortius non habet virtutem agendi quantum experimur; in Adversariorum verò sententia falsum, quia actio est à debiliori agente seu reagente.

D V B I V M IV.

Quid Antiperistasis, quomodo fiat, & an detur.

R E S O L U T I O I.

LXXXV. Dico 1°. Antiperistasis est vox Græca circumstantiam contrarii Latine significans; communiter tamen sumitur pro intentione contrarii unius ad præsentiam alterius circumstantis, ut cum aqua fontalis hyeme calefit, æstate verò frige fit.

R E S O L U T I O II.

LXXXVI. Ante Resolutionem Suppono 1°. manifestam experientiam constare tantas esse in variis locis subterraneis igneas exhalationes, ut plerumque in igneas flammis prorumpant; illæ verò exhalationes igneæ teste Arriagâ Disp. 3°. de Generat. num. 165°. formantur ex aqua & terra tanquam materia, ab influxibus cælestibus v.g. solis, pluviarum, &c. quæ in concavitatibus terræ varia corpora virtualiter calida, ut aurum, gemmas & alia producent.

LXXXVII. Suppono 2°. calorem esse qualitatem sic homogeneorum congregativam, ut plerumque ea laxet & distendat, ut patet in lacte bulliente; frigus verò qualitatem constipativam. His suppositis,

LXXXVIII. Dico 2°. Antiperistatim, sive intentionem caloris in aqua v.g. in hyeme; frigoris in terra, in æstate; (nam suppono terram ex natura sua esse calidam infra summum, cum ex natura sua ordinetur ad generationem plantarum, herbarum, &c. ad quam aptior est calor, quàm frigus, ut habet Arriaga Disp. 4°. de Generatione num. 19°) hæc ratione fieri; frigus in hyeme constipat partes aquæ; atque ita præcludit exitum exhalationibus igneis in aqua contentis, ne ab insita levitate evolent, quo casu omnes illæ exhalationes sese in partes aquæ interiores recipiunt & calorem producant, & deinde uniformiter difformiter in omnes partes; calor verò in æstate terram laxat & distendit illius poros, & ita ab insita levitate evolant exhalationes illæ, quibus evolutis, aër & aqua sese, & terram, cui miscentur, infrigidant mediis exhalationibus quibusdam frigidis, quæ tunc remanent. Hinc

LXXXIX. Collige cur loca subterranea & aquæ puteales hyeme calidiora sint; cur calx perfusa aqua accendatur & consumatur; cur carbis Leodiensis madefactus magis inardescat; cur foenum madidum, aut fenum, interdum flammam concipiat, &c. hæc enim continent spiritus calidos, qui propter frigus & humiditatem circumstantem effari non possunt, & ideo corpus in quo sunt, accendunt.

LXXX. Addunt Medici nos esse cibi appetentiores in hyeme, quàm in æstate; quia per antiperistatim calor stomachi in hyeme major est, quàm in æstate; sed contrarium est verius: 1°. quia alioqui in hyeme, nec vinum Hispanicum, sed frigida multa sumeremus, nec sumere bonum esset, contra Medicos: 2°. quia calor animalis non prodit foras in æstate per motum localem saltando ex subiecto interiori ad exterius, sed per productionem à principio interiori; quod cum in æstate effectum majorem producat, signum est, quòd sit majus; quòd verò in hyeme minus cibi appetentiores, & me-

lus

lius cibos coquamus, ideo fit, quia calor tunc non est nimis magnus ut in æstate, sed aliquousque in mensura ad justitiam (ut Medici vocant) sive in gradu aliquousque proportionato; quod requiri patet ex eo, quod qui est in ardentissima febris minus cibos digerat, & tamen plus caloris habeat.

LXXXI. Dixi aliquousque proportionato, ut sic appareat contra P. Compton. hic amentiam non esse, vinum hispanicum & calida in hyeme, potius quam æstate, sumere; sumunt enim ut calor in mensura ad justitiã omnino proportionetur, ut per se notum est.

QVÆSTIVNCVLÆ.

LXXXII. **P**etes 1º. cur post lotionem plerumque manus magis caleant.

LXXXIII. Resp. quia aqua subingressa manuum poros, fugat sanguinem ad cor; aqua verò exsiccatã per residuum caloris remanentis, majori cum copia ad manus revertitur sanguis; non secus ac experimur, reverti post animum recuperatum, antea ex repentino & inopinato casu perterritum.

LXXXIV. Petes 2º. unde commotio spirituum, vel exhalationum calidarum, præsentem contrario, non enim potest esse ab intrinseco illarum; quia alioqui esset motus quidam progressivus, qui est proprius animalium: nec ab extrinseco; quia non apparet à quo esset. Ante Responsum.

LXXXV. Adverte unicuique rei à natura cõcessam virtutem aliquam, se, aut alia, movendi, ad propriam conservationem; sic ferrum liquefactum in aquam cadens resilit magnã vi, ut contrarium fugiat; item gutta aquæ in asserem siccum labens se in orbem colligit eã figurã, quã stat magna aqua, ut contra contrarium, ad sui conservationem, se armet. Hoc præmissis,

LXXXVI. Resp. exhalationes illas in præsentia contrarii commoveri in omnem partem, & per omnes poros sese insinuare ab insita virtute, ut contrarium fugiant, à quo destruetentur, & sic se conservent; nec hic motus, licet sit ab intrinseco, ideo debet dici progressivus; quia illis exhalationibus per se non convenit, sicuti convenit viventibus; sed per accidens ad præsentiam contrarii fugiendam.

RESOLUTIO III.

LXXXVII. **D**ico 3º. datur antiperistasis, sive intensio unius contrarii ad præsentiam alterius circumstantis.

LXXXVIII. Probat, tum auctoritate omnium Philosophorum post Aristotelem 1º. Metaph. c. 1º. tum experientiis aquæ, calcis, fœni, &c. supra alatis; ergo, &c.

LXXXIX. Nec dicas aquam in hyeme non esse calidiorem, & in æstate frigidiorem; sed ita tantum nobis apparere, ut voluit Cardanus, quia manus nostræ in æstate sunt calidiores, in hyeme frigidiore. Nam id experimur dum valde frigent æstate manus, & valde calent in hyeme; si enim tunc illas in aquam injiciamus, æstate majus frigus aquæ, in hyeme majorem calorem sentimus: deinde putei hyeme fumant, quod est signum caloris.

DUBIUM V.

Quid reflexio, quotuplex sit, & quæ illius causa.

RESOLUTIO I.

C. **D**ico 1º. reflexio est regressus actionis versus suum agens, propter obstaculum repertum; sic pila in murum projecta versus suum projicientem regrediens reflecti dicitur, cum hoc discriminẽ, quod pila eadem numero regrediatur; actio verò utpote accidens, quod nequeat migrare de subiecto in subiectum, non nisi eadem specie; hæc autem reflexio variis qualitatibus convenit, ut luminis, calori, speciebus visibilibus, sono, &c. totque sunt reflexiones diversæ, quot diversæ qualitates, quibus conveniunt.

RESOLUTIO II.

C. **D**ico 2º. contra Suarem & nonnullos alios, causa reflexionis non est corpus reflectens.

CII. Probat 1º. refutatione rationis ipsius: nempe corpus reflectens est causa reflexionis, quia magis capax similis qualitatis quàm subjecta intermedia. Crystallus est corpus reflectens (& idem est de aqua) non est tamen tam capax luminis, quàm aer; quia si interponatur, umbram facit, non aer; deinde quia minus diaphana, quàm aer, ergo, &c.

CIII. Probat 2º. maximè opaca, ut marmor nigrum politum, & similia, sæpe lumen reflectunt; item & lapides durissimi calorem; sed in illis, neque est lux, neque calor; ergo non possunt esse causa istarum qualitatum.

CIV. Nec dicas in illis quidem non esse lumen formaliter; sed eminenter, positã in ipsis luce tantum conditione sine qua non intensiorem lucem reflecterent. Quia dicam id à te gratis fingi, nec ullam rationem adfers, quã id defendas, & experientia commodè in aliam causam, quam constat esse lucidam pro luce, calidam pro calore, refundi potest.

RESOLUTIO III.

C. **D**ico 3º. causa reflexionis est illa ipsa causa, quæ producit qualitatem viã rectã in corpus reflectens, & ipsa qualitas in corpore reflectente producta, corpore reflectente secundum qualitates quas habet, se habente tanquam conditione sive qua non.

CVI. Probat, quia non apparet, quæ causa commodior assignari possit: deinde sic clarè patet, quomodo in reflexione simile non agat in simile; denique etiam patet, cur ipsa causa simul cum aere non producat qualitatem reflexam; item cur agens principale non determinetur ad qualitatem reflexam producendam, ex eo præcisè, quod ulterior ipsius actio impediatur (ut malè nonnulli volunt); nam si id verum esset, fieret reflexio ad interpositionem cujusque corporis, quod est contra experientiam, ergo, &c.

DISPUTATIO VLTIMA

De Elementis.

DVBIVM I.

Quid Elementum & quæ Elementorum qualitates.

RESOLUTIO I.

I. **D**ico 1^o. Elementum est corpus, quod duas tantum ex primis qualitatibus habet, & illis cætera misceat. Ratio hujus definitionis est, quod per prima verba clarè explicetur natura elementorum secundum se, & per ultima clarè explicetur in ratione principii cæterorum, quod sonat elementum; unde ex hoc capite mancæ sunt definitiones P. Arriagæ, quod una tantum ex primis qualitatibus constat, & P. Oviedi, quod ex primis qualitatibus duplici tantum gaudet: Aristot. verò definitiones 5^o. Metaph. *elementum est id ex quo primum in isto, ac indivisibili specie, in aliâ speciem aliquid componitur, & 5^o. de celo, id in quod cætera corpora dividuntur, in quibus inest, aut potentia, aut actu, mancæ (inquam) sunt, ex 1^o. cap. scilicet, quod naturam elementi secundum se non explicent: deinde, eò quod elementa secundum se non sint in alia specie, sive mixto; sed secundum suas qualitates, ut habet nostra definitio; nec aliæ species, sive mixta, dividuntur in elementa secundum se, sed secundum suas qualitates disponentes ad elementa secundum se; unde clarior & brevior est nostra elementi definitio.*

RESOLUTIO II.

II. **D**ico 2^o. sicut dantur quatuor elementa ignis, aër, aqua, terra, ita datur quatuor primæ qualitates, calor, siccitas, frigus, humiditas: sic enim habet cõmunis Philosophor. sensus; quidquid dixerint nonnulli antiqui, frigus esse privationem caloris, & humiditatem esse privationem siccitatis: nam præterquã quod frigus & siccitatẽ sentiamus, non est ratio, cur frigus sit potius privatio caloris; quam è contra; & idem est de humiditate respectu siccitatis, & sic consequenter dicere possemus albedinem esse privationem nigredinis, quod est ridiculũ: quidquid etiam dixerit Arriaga humiditatem non esse qualitatem, sed substantiam fluidam; siccitatem verò hujus substantiæ privationem; quia in primis substantia, aut privatio sensu aliquo non percipitur, uti humiditas & siccitas sensu percipiuntur, casu quo manum siccam humidæ applices; unde dicimus unam esse siccam, aliam humidam; deinde in marmore summè frigidò semper siccitatem, & postea in eodem summè calido semper humiditatem aliquo sensu percipies: deniq; scirem libenter, quo fundamento adstruat Arriaga dari humiditatem & siccitatem, si aliquo sensu illas non percipiat; nunquid secundũ ipsum manet in speciebus calicis humiditas? ibi tamẽ nulla substantia; in speciebus panis siccitas percipitur, nulla tamẽ negatio percipitur.

RESOLUTIO III.

III. **D**ico 3^o. primæ qualitates per elementa ita distribui debent: 1^o. igni convenit calor summus, & summa siccitas: 2^o. aquæ summũ frigus & summa humiditas: 3^o. terræ siccitas & calor infra summum: 4^o. aëri frigus & humiditas infra summũ.

IV. Probatur prima pars, quia ignem esse summè calidum fatentur omnes; esse verò summè siccum

patet ex effectu, quia nullum elementum magis exsiccat, quàm ignis.

V. Probatur 2^a. pars, aquam esse summè frigidam fatentur omnes, esse verò summè humidam patet ab effectu; nullum enim elementum ita humectat, sicut aqua.

VI. Nec dicas aquam non plus humectare, quàm humectet aër, eò quod humiditas sit in aqua intensior: sed eò quod sit in aqua densiore, quàm sit aër. Quia alioqui, sicut ignis rarior aëre plus calefacit, quàm aër, quia plus habet caloris; ita aër rarior aqua, plus humectaret, quia habet plus humiditatis secundum te; id autem est contra experientiam, unde malè recurritur ad densitatem, vel raritatem.

VII. Probatur 3^a. pars, terram esse siccam docet in primis scriptura Gen. 1^o. ubi vocatur *arida*; deinde patet ex arenis maris, & terrâ conservatâ, extra pluviam & aquas, in locis siccis; esse verò calidam probant herbæ & plâtæ, quas producit; imò & ipsa major affinitas siccitatis cum calore, quã cum frigore: Dixi *infra summum*: quia ignis est calidior & siccior; nec ulla ratio, aut experientia docet elementa debere habere suas qualitates in summo.

Probatur 4^a. pars, aërem esse frigidum patet experientiã: tum eorum, qui altissimos montes ascendant, in quibus etiam mediã æstate nives conservantur: tum aliorum, qui loca subterranea profundissima descendunt, in quibus senserunt aërem valde frigidum, & non terram valde frigidam, ut volunt nonnulli, nisi ratione istius aëris in frigidantis, esse verò humidum fatentur omnes cõmuniter, & experientia docet recedente sole nos humiditatem in aëre sentire, idque suadet major affinitas ipsius humiditatis cum frigore, quàm siccitatis aut caloris: Dixi *infra summum* propter rationem alterius partis.

VIII. Nec dicas cum P. Ovied. aërem esse levem ac proinde calidũ: deinde aquam calore in aërem converti, non frigore: denique aërem in subterraneis locis nimio frigore corrumpi.

IX. Resp. ad 1^{um} leve non fundari in calido & sicco, quod ibi supponitur; alioqui terra esset levior aqua contra experientiam: sed in magis raro: unde vapor, qui est adhuc substantialiter aqua, est levior aëre, ut omnes fateri debent: ignis verò etiã rarior aëre, aër aqua, aqua rarior terrâ. Ad 2^{um} & 3^{um} nego nos id experiri: experimur quidẽ aquam calore fieri rariorem & leviolem: non verò in aërem converti: deinde experimur potius aërem nimio calore depravari, quàm nimio frigore. Ex his

X. Collige quid dici possit de transmutatione immediatã elementorum in invicẽ: quæ enim in qualitatibus magis conveniunt, facilius in invicem mutantur: quæ minũs difficilius: experientia verò manifesta non docet ullũ elementum in aliud sufficenter agere ad transmutationem immediatam: quod enim creditur aquæ guttam in ignem ingentẽ colapsam, immediatẽ in ignem converti, puto falsum, & immediatẽ tantum in fumũ & vapores converti.

XI. Adde in his resolut. nos Aristot. nec pro, nec contra citasse: tum quia magis experientiã & ratione, quàm autoritate sunt formandæ: tum quia tam diversimode loquitur, ut circa illas videatur omnino dubius fuisse, ut bene notavit P. Poncius.

DVBIVM

DVBIVM VLTIMVM.

Quomodo elementa continentur in mixtis.

xii. **S**ensus dubii est, an in homine v.g. leone, ferro, &c. præter formam substantialem propriam, sint etiam formæ substantiales elementorum (supponimus enim hic iuxta communem sensum esse substantiales uti sunt corporum mixtorum) secundum entitatem suam & formaliter, an solum secundum qualitates suas & virtualiter tantum.

RESOLUTIO I.

xiii. **D**ico 1^o. contra Galenum & plures, post ipsum, recentiores Medicos: item contra Avicennam, Averroem, Philipponum, Albertum Magnum & plures alios apud Conimb. & Camerarium; inter quos hocce discrimen est, quod varii putent formas substantiales elementorum contineri in mixtis integras; alii restructas & remissas, qui aliis probabilius. Elementa non continentur in mixtis secundum formas suas substantiales; ita etiam varii insignes Medici, ut Valles. Guarcia super Fernelium, &c. qui probant Galenum fuisse hujus sententiæ: item è Scholasticis D. Thom. Scotus, &c.

xiv. Probant varii 1^o. quia, vel illæ formæ substantiales manerent integræ in mixtis? & hoc non; quia naturaliter non possunt plures formæ substantiales totales informare eandem numero materiam; vel remissæ? & hoc etiam non, quia saltem naturaliter formæ substantiales, nec intendi. nec remitti possunt: verum hæc probatio est falsa pro utraque parte: ex dictis lib. 1^o. Physic. Disp. 3^a.

xv. Probant 2^o. alii, quia formæ elementorum, ut aquæ & ignis, (ut experientia docet) sese non compatiuntur in eadem materia; verum hæc probatio etiam non est solida; quia iuxta nostram sententiam, quâ loco citato docemus formas substantiales naturaliter intendi & remitti posse, Responderi potest illas formas se compati in gradu remisso; licet se non compatiuntur in gradu intenso. Quare aliter.

xvi. Probatur 1^o. quia alioqui non est, cur aqua rosacea non combureret charam, & cur quodlibet mixtum aliud mixtum in se, non converteret, contra experientiam; ergo, &c.

xvii. Confirmatur; quia tot multiplicatæ formæ substantiales in mixtis sunt superflue, nec experientia docet in illis aliud esse, quàm qualitates elementorum, ergo, &c.

xviii. Confirmant nonnulli hanc conclusionem autoritate Aristot. sed malim ipsum, nec pro, nec contra citare. Dandinus putat certum, contrariam fuisse mentem Philosophi, nostramque sententiam pugnare contra totam antiquitatem; Conimb. verò fuscè probant Philosophum nobiscum sensisse; item & Guarcia, qui solvit quod Meracius contra attulerat; sed verisimilius est dubium fuisse Philosophum (uti circa Resolutiones dubii præcedentis diximus) quod patet ex 2^o. de partibus animalium c. 1^o. ubi cum dixisset partes similes viventis componi ex elementis, subjungit, *sed melius fortasse dici posset ex virtutibus conscri elementorum; humiditas enim & siccitas, caliditas & frigiditas materia sunt corporum mixtorum*: ubi nota ab Aristot. dici fortasse, quia lib. 3^o. de cælo dicit elementa inesse mixtis virtute, vel actu; unde si quis locus videatur favere oppositæ sententiæ, illi opponendi sunt hi, & semper attendendū Arist. valde frequenter ex vulgi, & aliorum sententia lo-

qui; ubiq; tamen ita explicari debet, ut tantum vellet elementa virtualiter manere in mixto, aut dicendum quod in hoc puncto dubius hæserit.

xx. **O**bjicies 1^o. mixta sunt magis composita, quàm elementa, ergo retinent in se formaliter elementa; antecedens patet; Probatum consequentia; tum quia alioqui non essent magis composita; tum quia resolvuntur in elementa; ergo illa continent in se formaliter.

xxi. **R**espond. negando consequentiam, ad ejus probationem pro 1^a. parte distinguo, alioqui non essent magis composita formaliter & secundum substantiam, concedo; id enim probatum est statim; virtualiter & secundum virtutem, nego; nam mixta haberent omnes virtutes elementorum; elementa verò aliqua aliquas, & alia alias; ad probationem consequentiæ pro 2^a. parte, nego antecedens.

xxii. **I**nstabis, ignis educitur ex silice, aqua ex herbis, imò & ex vino per alembicum; item & aqua & fumus ærius ex ligno viridi per combustionem; ergo mixta resolvuntur in elementa; ac proinde illa continent formaliter.

xxiii. **R**espond. ad 1^{um} verisimilius esse in Chalybe, ferro, silice, & similibus lapidibus esse simul cum forma mixti formam ignis in gradu valde remisso; ex quo non parum confirmatur nostra sententia de intentione & remissione formarum substantialium totalium, & earum coexistentia naturali in eadem materia: quod autem alii dicunt per attritionem corporum ibi produci dispositiones sufficienter ad formam ignis, quæ postea à Deo, vel illis corporibus producit, parum credibile est, & parum Physicum, ut satis constabit consideranti & attendenti ad ea, quæ alibi docuimus.

xxiiii. **R**esp. ad 2^{um} neque ex puro vino, neque ex herbis aqua educi; sed humores aliquos crudos, & substantiales se habentes ad uvam & herbas, sicut se habet sanguis ad hominem, & succus ad pomum, vel pyrum nutriendum; idem dic de ligno viridi.

xxv. **A**dde tamen quod etiam si concederemus in vino, herbis, viridi ligno, &c. esse aquam formaliter, nihil tamen inde contra nos secuturum; quia non propterea omnia elementa continebuntur formaliter in mixtis, ut volunt adversarii, sed unum eorum, non secus ac in nonnullis eorum continetur oleum formaliter, nullus tamen dicit propterea mixta in mixtis contineri formaliter.

xxvi. **O**bjicies 2^o. mixtio est miscibilium alteratorum unio secundum Philosophum, & non corruptorum, in quo mixtio distinguitur à generatione; atqui si elementa non maneant formaliter in mixto, mixtio non erit miscibilium alteratorum tantum unio, sed corruptorum, ac proinde non distinguetur amplius à generatione, ergo, &c.

xxvii. **R**esp. distinguendo majorem pro 2^a. parte, & non corruptorum, tam secundum virtutes proprias, quàm secundum formas, uti ordinariè fit in generatione substantiali, concedo majorem; & non corruptorum secundum proprias formas, & remanentium secundum proprias virtutes, nego majorem; in eo autem distinguitur mixtio à generatione substantiali, quod in hac ordinariè fiat corruptio secundum formas, & formarum virtutes, in mixtione verò secundum solas formas; unde Aristot. dixit mixtionem esse miscibilium alteratorum, & non corruptorum, unionem; non quod non sint corrupta; sed quia ly alteratorum importat præcisam differentiam mixtionis à generatione substantiali.

PHYSICÆ

PARS QUARTA.

IN LIBROS

DE ANIMA.

HORVM Librorum objectum principale attributum est anima, attributionis verò corpus naturale animatum; anima quidem est objectum principale attributum, quia in illis natura, proprietates & affectiones animæ præ cæteris tractantur: unde fit, quòd Libri de Anima inscribantur: corpus verò naturale animatum est objectum attributionis; quia cum corpus naturale sit objectum adæquatum totius Physicæ, necessarium est illud idem esse attributionis omnium ejus partium; ac consequenter horum Librorum. Neque puto hic esse posse ullam difficultatem, quidquid dixerint Conimbricenses, Complutenses nostri, Ariaga, Oviedus, &c.

Textum Aristotelis omitto; tum quia alioqui idem sæpius in Disputationibus repeti deberet; tum quia relicto ordine textus Aristotelici, commodius Disputationes nostras ordinabimus. Addi potest quòd communiter præfatus textus à Philosophis soleat omitti. Sit itaque

DISPUTATIO PRIMA.

De Anima in communi.

D V B I V M I.

De natura & divisione Anima.

Quid de Anima antiquiores Philosophi somniarint, ut Heraclitus, Zeno, Stoici, illam ignem esse: Anaxagoras & Anaximenes aërem: Democritus totum a un atomorum congeriem: Hippocrates spiritum animale: Empedocles sanguinem: & alii aliud (ut notat D. Fromondus hic) simile corpus per venas & arterias, aliaque corporis animati organa agilitate sua discurrere; uti somnia, referre supervacaneum puto.

Et solum addo, præcisè sistendo in sola ratione naturali Galenum lib. 3^o. de Symptomate optimè de natura animæ philosophatum, cum docet animam nihil esse præter naturale corporis temperamentum, sive ut in Libris Physicorum explicuimus, nil præter accidentia varia corporis completi simplicis inter se attemperata; in quem etiam sensum plures Hippocratem interpretantur; proximè tamen nostræ fidei principis Aristoteles hic lib. 2^o. c. 1^o. anima est actus primus corporis Physici, & organici, potentia vitæ habentis; ut constat ex dictis lib. 1. Physicorum de materia & forma substantiali.

Contra

II. Contra eos qui animam in temperamento isto sive accidentium aggregato collocant, tamquam in Epicureos & Atheos invehitur D. Fromondus lib. 1. de Anima cap. 1. art. 2. ajens: *Sed isti non tantum in Deum impii, & in naturæ humane dignitatem injurii; sed & in naturali Philoſophia ſtupidi & obtuſi ſunt. Quomodo enim tam nobiles ſentiendi & intelligendi operationes ab elementaribus qualitatibus, ſine alia cauſa principali eliciantur; quomodo moles humani corporis in pedes ramdum, tantâ facilitate librari, ſuſpendi, & in omnem differentiam ſuis, à ſola temperie corporis, aut ſpiritus etiam vitalibus, animalibus moveri valeat, intelligi non poteſt: niſi anima alia in nobis habitet, quæ ſpiritus illos, lubricos & diſſuentes regat, contineat, agat, & alio diſapſos perpetuo ſupplemento reſarciat. Et paulò infra: Deniq; ridiculum eſt propter morum diſſonantiam, aliam animam juveni, aliam ſeni inferere. Sic enim per ſingulos ætatum gradus, animarum admittenda eſſet metamorphoſis; & puer in adoleſcentem; adoleſcens in juvenem, hic in virum, vir in ſenem, imò maſculus in ſpado-nem propriiſſimè emoreretur.*

III. Sed puto D. Fromondum extra hypotheſim noſtram loqui; quia nec in Deum impius, nec in naturæ humane dignitatem injurius, nec in naturali Philoſophia ſtupidus & obtuſus videtur, qui per omnia Deo & S. Matri Eccleſiæ fideliffimus, ſuppoſitâ præciſione à fide, & in ſolius noſtræ naturæ nudæ principiis ſiſtendo, defendit, non videri convinci poſſe animam aliud eſſe quàm aggregatum accidentium, de quibus nos lib. 1. Phytic. Diſp. 3. Dub. i. ex preſſo egimus. Neque rationes illæ illud evincunt, ut ibi ſolutiones objectionum conſideranti patebit. Ad id verò quod ſubdit: *Denique ridiculum eſt, &c.* Quæro cur illud potiùs ridiculum, quàm quòd propter morum diſſonantiam temperamentum hominis, aut potiùs illud accidentium aggregatum continuò mutetur? Si enim ſiſtendo in ratione purè naturali convinci non poſſit animam aliud eſſe, quàm hoc aggregatum; convinci non poteſt illud eſſe ridiculum; & ſupponitur, quod non probatur, nec efficaciter probari poteſt. His ita præmiſſis, ſit

RESOLUTIO I.

IV. Dico 1^o, Anima eſt actus primus corporis Phyci & organici potentiâ vitam habentis. Sumitur ex Ariſtotele de Animalib. 2. cap. 1.

Adverte allatam definitionem eſſe communiter receptam, ſecundùm ſuas ſingulas partes plura mihi diſſicilia continere. Dicitur primò actus; vel eni n ly actus ibi ſumitur pro ut opponitur ſubjecto, ſive ut eſt forma, vel ut opponitur effectui, ſive ut eſt principium effectivum (quomodo hic lib. 2. cap. 2. dicit animam eſſe actum quo primum vivimus, ſentimus, loco-movemur, & ratio in mur?)

v. Si primum non patet, quo ordine anima dici poſſit actus primus; non quidem ordine executionis, quia cum materia prima poſſit naturaliter exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali, & fortè in initio mundi ita producta ſit, priùs ordine executionis in materia introducta ſunt accidentia, quæ illam ad generationem paſſivam formæ ſubſtantialis diſponerent: Deinde videtur certum priùs materiam ſuam ubi exequi, imò & ſubſtentionem partialem ſibi propriam in illa ſententia, quàm forma alia ſubſtantialis producat, & eam recipiat: neque etiam ordine intentionis; quia à natura non intenditur generatio ſolius formæ ut conſiſtentiæ à ſubſtentione; ſed ut minùs generatio formæ ſubſtentionis,

R. P. Franciſci Bonæ Spei Phycia.

ſive habentis ultimum complementum ſubſtantiale; quia quod natura ultimo intendit eſt ens completum ſubſtantialiter, & fortè etiam accidentaliter, juxta exigentiam ipſius entis.

vi. Si ſecundum; allatæ definitionis hic erit ſenſus, Anima eſt principium effectivum corporis organici, quod eſt aperte falſum, quia corpus organicum conſtat ex materia, quàm anima non efficit, ut patet. Deinde Philoſophi per actum primum intelligunt ſemper formam ut opponitur ſubjecto, quod conſtat ex definitione formæ ſubſtantialis; non verò principium efficiens: verum tamen, quidquid dixerint alii, puto hic per actum debere intelligi principium effectivum, non tamen ideo forè allatæ definitionis hunc ſenſum; Anima eſt principium effectivum corporis organici, quæſi corpus organicum deberet efficere, ſed eo ſenſu, quo dicitur anima forma hominis, calor instrumentum effectivum ignis, id eſt, instrumentum, quo ignis efficit ſuas operationes; unde allatæ definitionis eſt hic ſenſus: Anima eſt principium effectivum operationum corporis organici (limita ex mente Ariſtotelis) quibus 2^o vivimus, ſentimus, loco-movemur & ratiocinamur, ſubaudi diſſectivè; quia omnia hæc, non omnibus corporibus animatis conveniunt.

vii. Dicitur ſecundò, corporis Phyci & organici, ut diſtinguatur à principiis effectivis operationum corporum inorganicorum: quid autem intelligatur per corpus Phycicum & organicum, inter Philoſophos nõ convenit; puto contra Conimbricenſes, Ariagam, Oviedum, Poncium, Murſiam, &c. intelligi corpus naturale conſtans materiâ & formâ ſubſtantiali, ſumptâ ut eſt ſubjectum quod ſubſtentione, affectum variis diſpoſitionibus & instrumentis neceſſariis ad hoc, ut anima ſuas operationes vitales efficere poſſit; talia autem instrumenta ſunt oculi, aures, naſes, oſ, &c. Ratio horum ſumitur, tam ex eo quòd ly Phyci id omnino ſignificet, quàm ex eo, quòd ſupra oſtenderimus 1^o ly actus in definitione animæ poſitum, non poſſe intelligi aliter, quàm de principio operationum corporis Phyci; 2^o quòd anima non ſit hujus principium, ut animæ compar, ſed ut eſt totum conflatum ex materia & forma.

viii. Dices primò ex Murſia, ſi anima ſit actus corporis naturalis pro-ut involvit animam, & per illud ut ſic definiatur; loco illius corporis, licebit illius definitionem ponere; quo dato, definitionis animæ hic erit ſenſus: Anima eſt actus primus ejus, quod habet actum primum, ſive animam; ſed hoc eſt abſurdum; ergo, &c. Probatur minor; quia ſic anima non definietur per aliquid notius, ſed per ſeipſam.

ix. Reſpondeo negando minorem; ad ejus probationem, Reſpondeo id eſſe neceſſarium in omni definitione correlativorum, & partium ut partium; ſi enim à te quæram, quid ſit forma, ſive anima? reſpondebis eſſe actum ſubjecti: ſi verò petam, quid ſit ſubjectum ſive corpus? reſpondebis eſſe id quod recipit actum; ſi autem loco actus ponas illius definitionem, videbis quòd ſubjectum, ſive corpus, per ſeipſum definiatur. His

x. Adde quòd Ariſtoteles ita definiat materiam primam: ſcilicet, *Eſt primum ſubjectum ejus in quo eſt;* ſi enim hoc ſubjectum definias, videbis materiam primam per ſeipſam definiiri. Itaque non magis eſt abſurdum partem definiiri per totum, quàm per compartem, & eſt ſatis clara definitio, (licet definitum ingrediatur ſuam definitionem) modò in illa ſit aliquid, per quod ejus natura explicetur, ut hic,

F f dum

dum definitio animam esse principium effectivum operationum, &c. ejus quod habet animam.

xI. Dices secundò ex Aristotele hic Textu 2. Corpus (scilicet respectu animæ) sicut subjectum & materia est. Corpus & anima est animal, &c. ergo, &c.

xII. Respondeo Aristotelem corpus aliquando usurpare pro materia, aliquando pro composito; nam quando textu 10. explicat cujus corporis anima sit actus, ita loquitur; *Non est autem ejus quod abjicit animam, scilicet materiæ, sed quod habet, scilicet compositi.*

xIII. Dicitur tertio, *potenti à vitam habeatis*, quod puto explicationis gratiâ solum additum; nam corpus organicum & corpus Physicum ex anima, pro ut hoc sumitur, utpote principia vitæ in actu secundo, sufficienter indicant quid hæ particulæ expriment.

xIV. Pro complemento adde ab allata definitione animæ, in aliorum explicatione, difficulter excludi formâ cadaveris, si detur, substantialis totalis.

RESOLUTIO II.

xV. **D**ico 2º, Anima rectè etiam ab eodem Aristotele loco citato cap. 2. definitur, *Id quo primum vivimus, sentimus, loco-movemur, & intelligimus; si ly &* ac cæteræ particulæ definitionis intelligantur *disjunctivè*; alioqui si *collectivè & absolutè* sumantur, soli animæ rationali convenit allata definitio, ut patet. Quod autem rectè, maximè patebit ex dubio sequenti. Hic tamen

Adde per hanc definitionem, nostram prioris definitionis explicationem confirmari, cum diximus per *ly corpus Physicum & organicum* intelligi corpus naturale constans materiâ & formâ, &c. nam revera nos, qui vivimus, sentimus, &c. sumus tale corpus; unde cum Aristoteles velit per hanc, priorè demonstrare, ut patet ex contextu, prioris debet ex mente ipsius esse hic sensus, *Anima est actus corporis Physici & organici pro ut nos sumus*, pro quo huc usq; contendimus.

RESOLUTIO III.

xVI. **D**ico 3º, Anima rectè dividitur in locomotivam & vegetativam, in vegetativam non sensitivam, sensitivam non rationalem, & rationalem. Hanc divisionem omnes Aristotelis interpretes, Augustinus & plures alii SS. Patres admittunt; quam nonnulli probant ex plantis, brutis, & hominibus; è quibus, inquirunt, experimur plantas esse vegetativas non sensitivas, bruta sensitiva nõ rationalia, &c. sed malim ab hac probatione abstinere; quia non experimur, primò cur potius conchæ sint sensitivæ, ut communiter admittitur, quàm plantæ & arbores; quia semper fixæ adhærēt lapidi seu cocleæ; nec aliter, quàm ad illius motum movetur: si verò dicantur appetere aquâ appetitu sensitivo, id ipsum non experimur, & difficulter probabitur potius in conchis, quàm plantis & arboribus respectu terræ; dici enim poterit eodem appetitu plantas & arbores terram appetere, quo conchæ aquam, eaque habere quædam sensationum organa nobis occulta, non secus ac conchas. Non experimur secundò cur potius homines sint rationales & discursivi, quàm canes & simiæ; non enim magis, quantum experimur, homo discurret & ratiocinatur, quàm canes & simiæ, licet homo perfectius, & eâ distinctione discursus, quæ est inter idiotam hominem & virum doctum; sicut enim dicit homo, *Petrus est albus, ergo est coloratus*; ita canis sequens herum bolum panis offerentem dicit, *sequar, ergo habebō*; & similiter simia quærens in capite Domini sui pediculos,

dicit, *inveniam, ergo manducabo.*

Dixi non experimur; quia contra id quòd plantæ & arbores sint sensitivæ, nimium clara est Augustini auctoritas lib. 2. de moribus Manichæorum, ubi ridet Manichæos, quòd vellent arbores esse sensitivas, inquirens, *Non sit nobis cultus illius vitæ, quâ dicuntur arbores vivere, quoniam nullus sensus in illa est.* Idem dic de auctoritate Scripturæ, contra id quòd bruta sint rationalia; *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus*: Psal. 33. Vnde bruta dicuntur ex inclinatione naturali operari ad bonum conjunctum, non verò ex cognitione boni ut sibi boni, ut homines operantur, quod tamè examinabimus infra.

DUBIUM II.

An in eodem vivente sint plures anime?

Ante Resolutionem hujus Solemnis Dubii, XVII. Suppono ex Concilio Viennensi sub Martino V. & Lateranensi sess. 8. contra Averroem, in omnibus hominibus, non tantum esse unam animam & intellectum, sed in singulis singularem, ex quibus aliqua damnandæ, aliqua beatandæ; quod & experientia docet: experimur enim homines diversa sapere & intelligere, non verò omnes idem eodem modo, & eodem tempore, quod contingere deberet.

XVIII. Adde alioqui futurum ut simul sit in eadem anima assensus & dissensus, amor & odium circa idem objectum & motivum, quod aperte repugnat.

XIX. Suppono 2º, ex dictis in Logica Tract. 2. Dub. 7. Resol. 2. erroneam esse sententiam Platonis, Galeni, Ferneli, Philipponi, Ockami & Thomæ Bricoti è Nominalibus; è Scholasticis verò Francisci Mayronii, qui in eodem homine pluralitatem animarum adstruunt; ita Toletus, Hervæus, Rubius, & alii. Dicit quidem D. Fromondus de Anima lib. 1. cap. 5. art. 2. post Cavellum & quosdam alios, sententiam istam nimis gravi censurâ videri notari; *Videtur quippe, inquit, S. Synodus duas Manichæorum rationales animas, quarum una à principio bono, altera à malo descendat, tantum voluisse damnare. At quippe Synodus, Vetus & novum Testamentum, omnesque Patres asseverare, hominem unam animam rationalem habere. Quod profectò de Patribus adversus Manichæos disputantibus dici videtur. Nam de anima merè sensitiva, an sit alia in homine præter rationalem, parum videntur curasse Patres, nec Vetus & Novum Testamentum, tam aperte de re ista loquuntur. Sed (salvo meliori judicio) motivum istud D. Fromondi non est verosimile, quia præcipuus Manichæorum error erat, quòd facerent unam animam naturâ suâ malam, aliam naturâ suâ bonam, in quod Patres maximè invehuntur, & in pluralitate animarum quâ talè, vix aut nihil, ut videre est apud Aug. lib. de duabus animabus, nominatim cap. 13. unde quod supra dictum puto de Patribus, qui animæ spiritualitatem & immortalitatem ex veteri & novo Testamento adstruunt; talis autem non est anima sensitiva à rationali realiter distincta. Vnde fit quòd Sacra Concilia & Sancti Patres duas tantum partes humanitatis Christi assignent, puta corpus & spiritum, ut constat ex Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. & in Clement. unica de Sanctissima Trinitate: Item Symbolo S. Athanasii: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo.* Vnde elegantissimè D. Thomas q. de Spirit. Creat. art. 3. *In homine non est alia forma substantialis, quàm anima rationalis, &c.* His suppositis, fit*

RESOLUTIO I.

xx. **D**ico 1^o, sistendo in auctoritate octavæ Synodi generalis in Porphyrio à nobis citatæ, Augustini, Damasceni, S. Thomæ & aliorum Sanctorum Patrum & Scholasticorum, in homine non dantur plures animæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis, realiter distinctæ, vide Augustinum lib. 10. super Genesim ad litteram cap. 14. & in Ecclesiasticis dogmatibus cap. 15. S. Thomam 1. contra Gentes cap. 18. Damascenum lib. de fide & Symbolo cap. 12.

RESOLUTIO II.

xxi. **D**ico 2^o, præcisè sistendo in sola ratione naturali non videtur probari posse efficaciter, in homine unicam esse animam & non tres realiter distinctas.

xxii. Probat, in plantis, brutis, & hominibus non est unica, sed tres animæ realiter distinctæ (ut fatentur omnes:) quia plantæ quantum experimur non habent operationes brutales, nec bruta operationes humanas, nec homines operationes brutales & plantarum tantum, sed simul rationales: Atqui homo quantum experiuntur Doctores Medici in initio habet operationes plantarum & non brutales, postea brutales & non humanas, deinde rationales, brutales & plantarum simul: Ergo in homine non est unica, sed tres animæ realiter distinctæ. Probat consequentia; quia in initio fuit in homine sola anima vegetativa, postea sensitiva tantum, deinde rationalis tantum; Ergo, &c.

xxiii. Respondebunt Thomistæ 1^o: hominis animam in initio vegetare ut plantas, & non sentire ut bruta; postea sentire ut bruta & non ratiocinari ut homines; denique ratiocinari, sentire & vegetare; verumtamen in homine non esse tres animas realiter distinctas, sed unicam; quia ad introductionem animæ sensitivæ, ut docet S. Thomas 1. parte quæst. 112. art. 2. ad secundum, destruitur vegetativa, & hæc similiter ad introductionem animæ rationalis; unde unica rationalis manet. Sed

xxiv. Contra, peto mihi ratione naturali probari animam sensitivam, quæ vegetativam sequitur, simul esse vegetativam & sensitivam realiter, & non sensitivam tantum: Item animam rationalem, quæ sensitivam sequitur esse rationalem, sensitivam, & vegetativam simul, & non rationalem tantum; quod non probatur.

xxv. Probabis ex P. Pontio de Anima Disp. 7. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi in homine plures animas, nec est ratio cur una & eadem anima non possit esse in homine principium vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi: Ergo, &c. Sed

xxvi. Contra 1^o, isti axiomati (ut ostendi lib. 1. Phisic.) hoc è Diametro opponitur: Non sunt minuenda entia sine necessitate: Si enim dicas esse necessitatem non multiplicandi animas in homine, eò quòd una sufficiat; dicam necessitatem in plantis, bruto, & homine minuendi animas esse, eò quòd una sufficiat existens in pluribus materiis plantarum, bruti, & hominis; sicut existit in homine. Nec obitare potest quòd anima in homine informet materiam heterogeneam in esse materiæ continuam, non verò in plantis, bruto, & homine; quia verisimilius puto totam materiam univèrsi esse continuam, ut constat ex Disp. de Continuo: hinc si minuas & unam tantum ponas in homine; minuas

& ego ut unam tantum ponam in plantis, bruto, & homine.

xxvii. Contra 2^o, Necessitatem attuli, scilicet, quòd sicut in homine, & bruto, & plantis, sunt tres animæ realiter distinctæ, quia in plantis non sunt operationes brutales, in brutis operationes humanae, & in homine operationes humanae tantum, sed simul brutales & plantarum; ita in homine debeant esse similiter tres animæ realiter distinctæ, quia in initio sunt operationes plantarum & non brutales, postea brutales & non hominum, deinde hominum & simul brutorum & plantarum; nec ratione naturali probari potest, animam rationalem, quæ sensitivam sequitur, esse rationalem, sensitivam & vegetativam, & non rationalem tantum.

xxviii. Respondebis ex Alberto Magno in summa de homine (quem sequuntur Oviedus, Ponticus, Mursia, &c.) in homine ab initio animam rationalem infundi in materiam feminis; ita tamen ut habeat prius operationes plantarum tantum, sive vegetationem, postea bruti tantum, sive sensationem; denique hominis, bruti, & plantæ. Sed

xxix. Contra, si, ut minuas animas in homine, dicas in femine infundi animam rationalem, quæ in femine habeat operationes plantarum tantum; dicam ut minuas in homine, bruto, & plantis, animas, in plantis infundi animam rationalem, quæ in illis habeat operationes plantarum tantum, in brutis bruti tantum, in homine, hominis, bruti, & plantæ.

xxx. Instabis & dices ex hac retorisione multa absurda sequi: 1^o plantam fore hominem. 2^o plantam habere animam infusam, & idem est de brutis. 3^o eandem animam esse in locis adæquatis diffitissimis, ut plantæ & bruta; vel saltem in diffitissimis non informando medium: Ergo, &c. Sed

xxxi. Contra primum est, quòd secundum te, vel semen animæ rationali informatum, sit homo, vel non? Si primum, (præterquam quòd sit contra omnem sensum, quia abortus non organizatus non baptizatur, quia non est homo) quidni idem dixerò de plantis, quæ præcisè vegetant ut semen illud? Si secundum, similiter dicam plantam non fore hominem.

xxxii. Contra secundum est, quòd si semen secundum te (ex quo sæpè gignitur brutum & substantia aliqua inanimata, unde ob eandem rationem planta gigni posset) habeat animam infusam, quidni & planta aut brutum?

xxxiii. Nec obstat quòd semen in omnium sententia ordinetur ad generationem hominis, quia plantæ, & bruta pleraque, etiam ordinantur ad agenerationem hominis, sive nutritionem, quæ est quedam generatio.

xxxiv. Contra tertium est, quia si, ut vites entium multiplicationem, sive ut entia minuas, liceat tibi admittere unam animam rationalem sensitivam & vegetativam simul, sive unam tribus illis æquivalentem; licebit & mihi, ut vitem entium multiplicationem, admittere unam existentem in locis adæquatis diffitissimis, sive æquivalentem pluribus locis adæquatis diffitissimis; ratio enim non probat majorem repugnantiam esse in uno, quam in alio.

xxxv. Adde, quòd brevius est, & clarius, præcisè sistendo in ratione naturali, omnino negari debere in femine infundi animam rationalem; tum quia alioqui semè esset homo, contra commune sensum, ut dixi; tum quia forma ex operationibus dignoscitur; forma autè in femine ut summū habet operatio-

nes animæ sensitivæ, ergo in eo non est nisi anima sensitiva.

xxxvi. Nec dicas 1^o, in femine deberi infundi animam rationalem, ne alioqui illâ adveniente, sensitiva & vegetativa debeant sine contrario perire, aut simul cum anima rationali sensitiva & vegetativa simul superflue permanere; quia attendere debes nos hic contendere non videri ratione naturali probari efficaciter posse animam rationalem esse rationalem, sensitivam & vegetativam simul, sed esse tantum rationalem; ac proinde sistendo in sola ratione naturali non videri posse efficaciter probari esse unicam animam in homine; sed tres admitti posse.

xxxvii. Nec dicas 2^o, quod si forma ex operationibus dignoscatur, fore ut in puero recens nato non sit anima rationalis, quia non habet operationes animæ rationalis; id enim falsum est; quia admirari est operatio animæ rationali propria, pueri autem recens nati habent admirationes imperfectas, ut clarè cognoscitur ex frequenti ipsorum risu.

xxxviii. Respondebis 3^o, ex Poncio, sicut paulatim introducuntur dispositiones ad animam, ita paulatim expelluntur; ergo si in homine essent tres animæ, in illa successiva destructione dispositionis perveniri deberet ad gradum talem, qui esset incompatibilis cum anima rationali, & sufficiens ad sensitivam, & rursus perveniretur ad incompatibilem cum sensitiva, & sufficientem ad vegetativam; non secus ac in prima productione perveniri debet prius ad gradum sufficientem pro vegetativa & insufficientem pro sensitiva, & sic consequenter: Sed hoc est falsum; ergo, &c. Quia aliàs quando moreretur homo, produceretur sensitiva, & quando destrueretur compositum ex sensitiva, produceretur vegetativa, quod est contra omnem sensum & experientiam; ergo, &c. Sed

xxxix. Contra; admissio assumpto, Respondeo negando minorem, ad ejus probationem, Respondeo quando moritur homo animam sensitivam non produci, sed antea in homine existentem remanere; cujus signum (sistendo in sola ratione, si illam animæ loco-motivæ identifices, alioqui hæc remanebit) dicam esse membrorum contorsionem, nervorum contractionem, &c. Item quando destruitur compositum ex anima sensitiva in homine, non produceretur anima vegetativa, sed quæ ante in homine existit, remanebit, cujus signum (sistendo in sola ratione) dicemus esse post mortem pilorum vegetationem.

xl. Quod autem nonnulli^o, respondeant pilos illos post mortem non vegetare, sed per juxtapositionem crescere, aut certe, non crescere, sed longiores apparere, eò quod cute magis ossibus compressa, crines & capilli non nisi extra cutem protendantur; mihi non probatur.

xli. Quod verò alii 2^o, respondeant membrorum contorsionem, nervorum contractionem post mortem hominis, esse à spiritibus in corpore hominis inclusis, mihi (sistendo præcisè in sola ratione naturali) verisimile non est; quia, cum illæ locomotiones sint actiones vitales, tales in mortuo, quales in infirmo vivente, debent esse ab aliqua anima & vivente, cujus proprium est corpus loco-movere: unde præcisè sistendo in ratione naturali, tum in bobus post excoriationem, tum in homine post mortem, quamdiu durant illi morus, dici posset, remanere animam sensitivam dictam, immediatè in-

dividuatam sub anima sensitiva in genere, & tunc solum perisse animam rationalem & irracionalem, ut ab illa condistinctam; in arboribus verò post intercessionem vegetativam partialem, quamdiu ramus musculos repullulant, remanere.

xlii. Objicies contra nostram Resolutionem, si, sistendo præcisè in sola ratione naturali in homine sint tres animæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis; homo erit planta per vegetativam, brutum per sensitivam, homo per rationalem; sed hæc sunt contra omnem rationem: Ergo, &c.

xliii. Respondeo negando sequelam, hinc quidem sequitur hominem fore hominem, quia habebit animam rationalem homini propriam, non sequitur tamen fore plantam & brutum; quia licet sit habiturus animam vegetativam & sensitivam, non est tamen habiturus animam plantæ & bruti; quia anima plantæ supra vegetativitatem, dicit non sensitivitatem positivam; & anima bruti supra sensitivitatem dicit non rationalitatem positivam, ut omnes fateri debent; anima autem vegetativa hominis erit genus immediatè individuatum à parte rei sub anima vegetativa in genere, ac proinde non erit nisi negativè non sensitiva: idem dic proportionaliter de anima sensitiva in homine, unde clarè patet hominem non fore plantam & brutum, fore tamen hominem.

RESOLUTIO III.

xliv. Dico 3^o, etiã sistendo in ratione purè naturali omnino efficaciter probari potest de facto in homine dari unicam animam, quæ simul sit vegetativa, sensitiva & rationalis. Probatur, ut jam sæpius similes fidei veritates à ratione purè naturali efficaciter probavimus: sicut per te (argumentum est ad hominem contra Resolutionem 2^{am}) sistendo in ratione purè naturali non videtur efficaciter probari posse in homine de facto dari unicam animam, quæ simul sit, &c. ita in eadem ratione purè naturali sistendo efficaciter probari non potest, animam hominis, quæ per te est triplex, non esse de facto unicam illis tribus æquivalentem; ac proinde sistendo in ratione purè naturali, si non certum, ut minus dubium est, an anima hominis sit unica, an triplex: atqui in dubiis iudicium commune est præferendum privato, nisi quidpiam aliunde obstat; sicut in dubiis bonum commune est præferendum privato: ergo, &c. assumptum est mihi efficacissimum; consequentia patet, quia ratio illa est purè naturalis, & iudicium commune est, quod anima hominis de facto sit unica.

RESOLUTIO IV.

xlv. Dico 4^o, sistendo in Octava Synodi citatæ, SS. Patrum & modernorum Scholasticorum, auctoritate de unitate animæ rationalis in homine, sensitivæ & vegetativæ formaliter, aut virtualiter, (quod ad nomen spectat, cum sit & formale & virtuale principium ratiocinationis, sensationis & vegetationis:) In formatione foetus hominis non succedunt sibi plures animæ, sic scilicet ut foetum primò informet anima vegetativa, 2^o sensitiva, ad cujus præsentiam desinat vegetativa, demum rationalis, ad cujus præsentiam desinat sensitiva. Est contra Thomistam, Mursum, Promondum, Rubium & Medicos communiter.

xlvi. Probatur primò sicut semen vi & motione parentum conformatur, & ad animam vegetativam

tativam organizatur, ita eadem motione, organizatur ad sensitivam & rationalem: sed hoc dato omnino superflua est animarum successio: ergo, &c. Minor patet. Major probata est lib. 2. Phys. Disp. 6. Dub. 20. Consequentia tenet à pari; si enim pro conformatione & organizatione ad animam vegetativam, imò & pro anima vegetativa producenda anima necessaria non sit, & habeatur ab illa motione, semine, &c. cur necessaria erit pro conformatione & organizatione ad animam sensitivam, & similiter non habeatur ab illa motione, semine, &c. & sic etiam est de conformatione & organizatione ad animam rationalem.

XLVII. Probatur 2^o, si in formatione foetus hominis succederent plures animæ (præterquam quòd in sententia non admittitè genus immediatè individuatum à parte rei, homo fuisset ante planta & brutum, quia ordinari, & non ordinari ad perfectiorem formam, nõ diversificat animas inter se; alioqui calor dispositio ad generationem hominis esset perfectior calore dispositione ad formam muris, quod non admittitur; deinde etiam animæ, herbæ & bruti in nutritione ordinantur ad animam hominis) etiam simul manerent; Sed hoc est absurdum: Ergo, &c. Probatur sequela, quia nec vegetativa sensitivæ, nec dispositiones vegetativæ dispositionibus sensitivæ; nec sensitiva rationali, nec dispositiones sensitivæ, dispositionibus rationalis contrariantur; sed illæ ab his perficiuntur, & in his includuntur: Ergo, &c.

Respondent Thomistæ & plures alii, animam vegetativam ad præsentiam sensitivæ, & sensitivam ad præsentiam rationalis, sive positæ dispositionibus ad succedentem, naturaliter interire; quia naturaliter ordinantur ad illas formas succedentes, in quarum præsentia sunt superflue. Sed

XLVIII. Contra, præterquam quòd gratis fingatur animas illas esse talis naturæ, ut ad præsentiam perfectioris connaturaliter desinant, quandoquidem illæ & hæc habeant dispositiones omnino compatibles, & secundum nos, non solum formæ substantiales subordinatæ, sed & totales possunt naturaliter simul in eodem subiecto consistere; gratis etiam supponitur illas in præsentia perfectioris fore superfluas; quia cum post desitionem perfectioris in corpore, experimur operationes proprias imperfectiorum animarum (ut constat ex dictis de contorsione corporis, & nervorum contractione) in præsentia perfectioris semper erunt utiles ad hoc, ut post illius desitionem tales motus principient.

XLIX. Confirmatur, prima informatio materiæ, quam informat anima rationalis, non requirit materiam prius fuisse informatam animæ vegetativæ & sensitivæ ad rationalem per se ordinatis, ut patet in nutritione & aggeneratione hominis: Ergo in formatione foetus hominis, non succedunt plures animæ, &c.

L. Objicies 1^o, anima rationalis infunditur ante, vel postquam vegetet embryo aut foetus; si post, clarè sequitur animam vegetativam præcessisse; si ante, ergo est infusa secundo aut tertio die, ut vult Fienus, vel saltem ante decimum quintum; quia, ut ille idem lib. de formatione fetus docet, foetus die circiter 10^o. est instar grani hordei, die 20^o. instar apis, aut muscæ majoris, 40^o. instar parvi digiti: non ante decimum quintum, & multò minus 2^o. aut 3^o. die; quia ut patet, propter exiguitatem suam necdum potest esse organizatus; non est autem homo

ante organizationem, qualis esset si haberet animam infusam; quòd autem non sit homo ante organizationem, constat ex communi sensu Ecclesiæ, non baptizantis foetum abortivum non organizatum, partus monstruosos, &c. Item non habentis pro homicidis & irregularibus fœminas abortum procurantes ante certum spatium plurium dierum à conceptione; Ergo, &c.

LI. Respondeo animam rationalem infundi postquam foetus vegetat: infunditur enim post perfectam seminis commixtionem, fermentationem & membrificationem imperfectam, secundum omnia membra corpori perfecto hominis congruentia: quo autem die id contingat, non satis convenit inter Doctores Medicos: quia imprimis Fienus vult omnia membra simul produci, docens se non semel tenellos embriones magnitudine nuclei olivæ vidisse, in quibus partes omnes ut gingivæ, os, lingua, nares, oculi, &c. erant exactè conformatæ; contra Fernelius primum formari hepato cum venulis, postea cor, cerebrum, & nervos, deinde cætera organa: communius tamen docent medici circa 40. diem infundi, in viris quidem citius, in feminis tardius: antequam autem sit infusa anima rationalis non præcessit anima vegetativa, quæ maneat aut desinat accedente aliâ animâ, sed toto illo tempore vegetat & organizatur foetus, partim à virtute seminali conformatrice, partim à vi, sive motionibus parentum illis permanenter intrinsecis, juxta dicta 1. 2^o. Physic. Disp. 6^o. Dub. 2^o. ex quibus clarè habes, quid ad objectionem responderi debeat, & quòd valde incertum sit, an sint prius dispositiones, sive membra necessaria, ad vegetationem, quàm ad sensationem & animam sensitivam; prius ad sensationem & animam sensitivam, quàm ad rationalem.

LII. Objicies 2^o, Aristotelis auctoritatem, qui 2^o. de Generatione animalium cap. 3. docet hominem primò vitæ plantæ, postea vitæ animalis, demum vitæ hominis vivere; item conceptum esse inanimatum neminem statueri debere; denique non simul fieri, & animal, & hominem: Ergo, &c.

LIII. Confirmatur ex D. Thoma lib. 2. contra Gentes cap. 89. Anima igitur vegetabilis, quæ 1^o inest, cum embryo vivit vitæ plantæ, corrumpitur, & succedit anima perfectior, quæ est nutritiva, & sensitiva simul, & tunc embryo vivit vitæ animalis: hæc autem corrupta succedit anima rationalis ab extrinseco immissa, licet præcedentes fuerint virtute seminis. Idem ferè habet 1. p. q. 118. art. 2. in corpore.

LIV. Respondeo ista non intelligi de anima in actu primo, sed de anima in actu secundo, sive de actu vitali: prius enim habet foetus actus vitales vegetationis, quàm sensationis; prius sensationis, quàm ratiocinationis: alioqui, sicut gradatio animarum servaretur in ascensu, sic, ut 1^o foetus esset animæ vegetativæ tantum animatus, 2^o sensitivæ & vegetativæ non rationali, &c. servari proportionaliter deberet in descensu, sic ut 1^o anima rationalis abscederet, deinde sensitiva tantum, postmodum vegetativa tantum, unde in homine esse deberent plures animæ, quod supra rejectum est ut erroneum; si verò dicas in descensu gradationem solum esse quoad operationes, idem dic à pari quoad ascensum, præsertim, cum in ascensu anima vegetativa, aut sensitiva, esse non possit à semine ut agente principali quo, ut probatum est lib. 2. Physic. Disp. 6. Dub. 2. Resol. 3.

Ad Confirmationem

LV. Respondeo D. Thomam ibi non loqui absolute, sed ex hypothesei veritatis huius principii, *Opera vite non possunt esse à principio extrinseco, sicut sentire, nutrirī & auferri*; communiter recepti, ut confideranti patebit principium 2^o. art. citati in corpore; illud autem principium refellemus infra.

Q V Æ S T I V N C V L A.

LVI. **P**etes à qua causa fiat contorsio membrorum, & contractio nervorum, post mortem hominis?

LVII. Respondeo fieri ab anima hominis recedente, per motum post ipsam perseverantem, pro

quo vide lib. 2. Physicor. ubi ostendimus causam agere, quando non est; vel si tibi id mirum videatur, dic ibi animam loco-motivā produci, partim à dispositionibus ad illam sufficientibus remanentibus, partim ab illis causis à quibus produci diximus animas ranarū & murium ex putri materia, & paulò post expulsis ad eam dispositionibus cessare. Idem dic de anima vegetativa existente in pilis hominis post mortem: unde mors non est privatio omnis vitæ, sed vitæ in actu primo, à qua quidpiam principaliter est tale, ut est anima rationalis in homine, irrationalis in bruto, anima non sensitiva positiva in plantis, &c.

DISPUTATIO SECUNDA

De Anima in Ordine ad Subjectum.

I. **C**onstat omnibus animam esse formam informantem corpus organicum, & non assistentem tantum instar navis, aut angeli Cælis, quos moveat. Id enim definitur in Concilio Viennensi *de Summa Trinitate ac fide Catholica*, & Lateranensi sub Leone 10. sess. 8. sed dubium est, quid per *corpus organicum* intelligi debeat, an materia affecta variis accidentibus? an materia affecta formis partialibus substantialibus, carnis, ossis, nervi, &c. Pro quo, fit

D V B I V M I.

An præter animam in viventibus sensitivis dantur formæ partiales substantiales.

II. **C**irca hoc dubium, in duas sententias divisi sunt auctores; alii negant formas illas substantiales, & dicunt corpus organicum nihil aliud esse, quam materiam primam instructam his, vel illis accidentibus, puta duritie, mollitie, &c. unde consequenter volunt partes corporis viventis esse substantialiter homogeneas, & non nisi accidentaliter heterogeneas: alii dicunt & affirmant corpus organicum esse materiam primam instructam diversis formis substantialibus partialibus formæ totali viventium subordinatis. Pro quo, fit

R E S O L U T I O.

III. **D**ico præter animam, in viventibus sensitivis, non dantur formæ substantiales partiales.

IV. Probatur 1^o, auctoritate D. Thomæ 1. p. q. 6. art. 4^o. *Dicendum est, quod nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva. Et quod ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam & nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quicquid imperfectiores formas in aliis facium.* Ergo, &c.

V. Probatur 2^o, quia alioqui omnes formæ totales substantiales inanimatorum, ut arborum, ac plantarum, essent superflue; nullæ homogeneæ & simplices; sed omnes heterogeneæ, essentialiter compositæ ex partialibus correspondentibus heterogeneitati & compositioni suarum dispositionum: si enim in brutis, & in homine, dispositionibus heterogeneis & compositis correspondeant formæ substantiales partiales heterogeneæ, & una per aggre-

gatione conflata ex illis, quæ sit forma corporis organici, quidni in plantis & aliis corporeis inanimatis dabantur formæ partiales substantiales dispositionibus heterogeneis & compositis correspondentes & una per aggregationem conflata ex illis? quo casu totales sunt superflue, ergo, &c. Probatur minor, quia sic non essent ens per se substantiale totale ut consideranti patebit, ergo, &c.

VI. Confirmatur 1^o, dantur formæ substantiales totales aptæ informare subjectum accidentaliter heterogeneum; ergo omnino superflue sunt formæ partiales substantiales. Antecedens patet, quia tales sunt formæ plantarum & inanimatorum &c. ut fatentur adversarii. Probatur consequentia, illæ formæ substantiales totales facile præstarent, quod illæ partiales præstarent; ergo, &c.

VII. Confirmatur 2^o, nulla ratio videtur efficaciter suadere dari formas substantiales totales, ut patet ex lib. 1^o. Physicor. Disput. 3. Dub. 1^o. ergo multò minus aliqua ratio suadet dari partiales, ut solutione argumentorum patebit.

VIII. Objicies 1^o, Rejectis formis partialibus ægrè explicatur: 1^o, quidnam sit corpus, quod ponitur vi verborum in Eucharistiæ Sacramento; quia cum juxta Concilia & SS. Patres corpus Christi, ibi ponatur per transubstantiationem, in esse corporis debet esse substantia. 2^o Quid sit corpus, quod est subjectum animæ; vel enim illud est materia prima sola? & hoc dici non potest; quia alioqui æque constaret corpore ac homo, vel est materia instructa diversis accidentibus? & hoc etiam dici non potest; quia alioqui, cum corpus sit de essentia hominis, illa accidentia essent etiam de essentia hominis. 3^o, quid sit cadaver. 4^o, quare potius lapis constituitur per formam substantialem, quam os, caro, &c.

IX. Respondeo ad primum, quod vi verborum in Eucharistia ponitur, esse materiam primam instructam variis accidentibus organizantibus, eò tamen non obstante, ibi poni per transubstantiationem; quia materia, quæ est nobilior pars corporis, est substantia: à nobiliori autem parte, conversio ibi dicitur transubstantiatio; quia à nobiliori parte sumitur denominatio. Hinc ad secundum

X. Respondeo corpus quod est subjectum animæ esse materiam primam instructam variis accidentibus organizantibus; hæc tamen accidentia non esse de essentia hominis; quia, cum dicitur ho-

RESOLUTIO I.

mo essentialiter constare corpore & anima, non est sumendum corpus adæquatè, sed inadæquatè pro sola materia prima; nam sicut optimè intelligitur adæquatè essentialiter constitui ex materia prima & forma tali, quamquam nullus diceret constitutum ex materia prima instructa solis accidentibus mellis v.g. aut lactis, & formâ lapidis esse lapidem: ita optimè intelligitur hominem adæquatè essentialiter constitui ex materia prima & anima rationali, quamquam nullus diceret constitutum ex materia prima instructa solis accidentibus lapidis esse hominem: undè, vel dicendum corpus inadæquatè tantum esse de essentia hominis, vel accidentia lapidis, & cujuslibet alterius compositi animati, ingredi eorum essentiam, quod nullus dixerit.

XI. Adde tamen, accidentia illa organica non esse de essentia corporis hominis, vel etiam hominis, non obscurè colligi ex D. Augustino q. 802. in Exodum: *Si enim illud informe puerperium, jam quidem fuerit, quod adhuc quodammodo informiter animatum, id eo lex voluit ad homicidium pertinere, quia nondum potest dici (puta quoad nos) anima viva in eo corpore, quod vitam (supple secundâ) caret, si talis est in carne nondum formata, & ideo nondum sensibus prædita: ubi vides Augustinum dubitare, an non sit homo, ubi anima rationalis animat materiam informem. Clariùs adhuc Hieronymus q. 4. ad Algam: *Semina paulatim formantur in utero, & tandè non reputatur homo (nota non dici non est, sed non reputatur) donec elementa confecta, suas imagines, membraque suscipiant.**

XII. Ad 3^{um} Respondeo, vel cadaver esse compositum ex corpore organico, & formâ cadavericâ animæ animalium sensitivæ cœvâ, ut lignum est compositum ex materia organica arborum, & formâ lignicâ cœvâ animæ arborum vegetativæ, ut insinuavimus lib. I. Physicor. Tract. I. Disputat. 3. Dub. 3. n. 83. vel nihil aliud esse præter animam organizatam sub privatione animæ sensitivæ post mortem existentem sinè omni forma substantiali, saltem distinctâ à substantia materiæ: unde juxta communem receptionem, cadaver dicitur à cadendo; quia corpus animâ vacuum statim cadit.

XIII. Ad 4^{um} Respondeo difficilius responderi posse, quàm putetur; Si enim præcisè sistas in ratione, dic, nec in lapide, nec in ossè, carne, nervis, &c. dari formam substantialem, de quo nos lib. I. Physic. Disp. 3. Dub. 10. Si verò in Philosophorum auctoritate, in quolibet ente completo substantiali materiali agnoscente compositionem ex materia & forma substantiali, dic ob illam auctoritatem te in lapide agnoscere formam substantialem, in homine animam rationalem, non verò in ossè formam partialem ossis, in carne formam partialem carnis; quia, sicut in lapide ob varia accidentia & dispositiones, quas in diversis partibus habet; sunt superflue formæ partiales, ita & in homine, ob varia accidentia & dispositiones, quas habet in diversis partibus.

D V B I V M II.

Quæ Partes sint Animata?

ANTE RESOLUTIONEM

XIV. Suppono partes esse duplicis generis, similes aliquas, sive homogeneas, ut caro, os, &c. aliquas dissimiles sive heterogeneas, ut sunt caput, oculi. Hoc supposito, sit

XV. Dico 1^o, omnes partes corporis, sive similes, sive dissimiles, quæ aliquam operationem vitalem exercent, aut quæ cum illis sunt continuæ, animantur animâ totius, & ita quidem, ut, si indivisibilis, tota totum, & tota quamlibet partem animet; si verò divisibilis, tota totum & pars partem.

XVI. Probatur, quia non est ratio, cur potius sit in vertice juxta Zenocratem, quàm in cerebro juxta Hippocratem: vel etiam, cur potius in solo & toto pectore secundum Epicurum, quàm in corde juxta Stoicos, & sic de aliis partibus, ergo, &c. consequentia patet. Probatur antecedens, quia tota ratio, quæ ad ferri potest, est, quòd in tali parte habeat istam præcipuam operationem, & non in aliis: Sed hæc nulla est: ergo, &c. Probatur hæc minor. 1^o, quia alioqui anima hominis, neq; in capite, neq; in pectore aut pede esset; quia in nulla ex illis partibus præcisè habet ratiocinationem præcipuam suam operationem, sed in toto; undè rectè dicitur homo ratiocinatur, non verò caput, aut pes. 2^o, quia anima potest exercere diversas operationes vitales, & cum sit æquè apta exercere minùs præcipuas, ac præcipuas, non est cur potius dicatur habere sedem in ea parte, in qua exercet minùs præcipuas, præsertim cum communis dicatur actus vitales esse suo principio immanentes, quales alioqui non essent: ergo, &c.

XVII. Dices fortè, cur igitur moritur homo, bos, &c. ad abscissionem capitis, potius quàm ad abscissionem pedis, aut alterius partis?

XVIII. Resp. quia cæteræ operationes in nonnullis animalibus exerceri non possunt sine spiritibus vitalibus in capite receptis, & à corde ad reliquas partes corporis transmittendis; ex quo patet vitam nostram majorem ab una parte, quàm ab aliis habere dependentiam; ac proinde, cum Aristoteles libro de animalium motu dixit, animam non esse in omni corporis parte, sed in aliqua præcipua, non egit de esse existentia, sed de esse dependentia, ita ut in animando non pendeat ab omni parte corporis, sed ab aliqua præcipua. Ex his

XIX. Collige partes corporis viventis similes, ut sūt ossa, cartilagine, caro, nervi, fibræ, arteriæ, venæ, pelliculæ, &c. & dissimiles ut radices, rami, cortices, folia, flores, fructus, &c. animari animâ totius: de dentibus verò non satis convenit, puto tamè illos ossibus annumerandos; nec, si velles animari tantum animâ vegetativâ secundum partem in ore exercentem, & sensitivâ secundum radiculos, fibras, & nervos in gingiva existentes, non multum tecum contenderem; nec ullus putem, qui aliquando acutos dentium dolores senserit. Quòd verò Galenus lib. de ossibus ait, se dolorem in substantia dentis sensisse distinctum à dolore in nervo & gingiva, cum sit intima radicularum istorum, fibrarum & nervorum cum dentibus conjunctio, & quidem talis, ut intra ferè usque ad summum, dentem repleant, id valdè dubium est. Vnde patet quòd dentes omnino continentur cum partibus corporis sine dubio animatis.

RESOLUTIO II.

xx. **D**ico 2^o, contra Hurtadum, Arriagant, Oviedum, & plures alios apud Ruvium: sanguis, & reliqui humores, ut atra bilis & pituita, non animantur.

xxi. Probatur primò de sanguine (à quo ad cæteros humores trahes paritatem à priori) vi verborum ponuntur sub speciebus panis ossa, caro, nervi, &c. & non sanguis, juxta Trid. sess. 13. cap. 3. sed si sanguis esset illi continuus, ac per consequens animatus, non minùs vi verborum poneretur sub speciebus panis, quàm ossa, caro, nervi, &c. quæ sunt illis continua, ac per consequens animata; Ergo sanguis non est continuus cæteris partibus corporis, ac per consequens nec animatus.

xxii. Respondebis ex P. Oviedo & Arriaga, partim; vi verborum sanguinem non poni sub speciebus panis, quia solæ partes corporis ut sic ponuntur, quia verò corpus debet esse solidum; & sanguis est fluidus, sanguis non potest esse pars corporis; idque præcipuè in consecratione panis, in qua ponitur corpus per modum cibi; sanguis autem non per modum cibi, sed per modum potus. Sed

xxiii. Contra, 1^a Pars hujus responsionis videtur mihi difficilis, si enim sanguis non sit pars corporis, quâ ratione à Clemente VI. & Pio II. definitum narrat Sylvester in Rosa aurea sanguinem Christi fuisse à Verbo assumptum? Item, cur dicit 1^o Innocentius III. quatuor humores pertinere ad constitutionem hominis, puta secundum corpus? 2^o Tridentinum sess. 13. sanguinem poni per concomitantiam sub speciebus panis. 3^o, cur frequenter in Scriptura & Conciliis significatur carnem & sanguinem esse præcipuas hominis partes? unde Ephelinum Epistolâ ad Nestorium dicit, *Verbum esse factum hominem assumptione carnis & sanguinis*.

xxiv. Secunda verò Pars non est minùs difficilis, quia cum Christus in cœna dixit *accipite & manducate: hoc est corpus meum*, loquebatur de corpore suo animato; non verò de corpore præcisè sumpto per modum cibi; imò, cum cibus non excludat omnem liquorem, sed dicatur à præcipua sua parte solida, corpus sumptum per modum cibi non excludet sanguinem, ac proinde vi verborum debet in consecratione panis poni sanguis, quod est hæreticum.

xxv. Probatur 2^o, Quia sanguis non est continuus cum reliquis partibus corporis, ergo nec animatur. Probatur antecedens ex Aristotele de partibus animalium cap. 5. *Sanguis continetur in venis, sicut aqua in vasis vitro citroque resfluens*. Ergo, &c.

xxvi. Respondebis Aristotelem tantum adferre similitudinem in ratione continentis & contenti, & sic non esse continuum venis; non verò non esse continuum jecori, ergo, &c. Sed

xxvii. Contra, sic sanguis existens in pelvi extra corpus, continuus tantum ob fluxum existentem in corpore, esset animatus animâ rationali, quod est absurdum, ergo, &c. Dicere autem quòd statim cesset animari, quia perdit calorem & nonnullas similes qualitates, non est credibile; quia pedes summè frigidi non statim cessant animari: Deinde totum quod est continuum cum partibus animatis, animatur, licèt in illo non exerceat anima solitas operationes defectu conditionum necessariarum, & ideo interdum dicatur mortuum.

xxviii. Probatur prius antecedens 2^o: tum quia totus sanguis ex corpore sine dolore extrahitur; tum quia non est ratio dicendi sanguinem augeri per introsumptionem magis quàm aqua, oleum & similia liquida, quæ tantum augentur per juxta positionem, & ideo dicuntur non esse animata: Ergo, &c.

xxix. Dices fortè ex Fromondo de anima lib. 2. cap. 4. art. 3. Isto discontinuitatis argumento Resolutio nostra non firmiter nititur: Ergo, &c. Probatur antecedens, quia quid sit continuum, aut discontinuum, satis obscurum est, & fortasse continuitate quadam fragili & fluxa (velut aqua continuatur aquæ) sanguis aliqua sui parte hepatis, cordi, aut etiam venis, non tantum contiguus, sed etiam continuus est. Quare Medina 3. p. q. 54. a. 3. ait: *In explicando, quòd sanguis unitur reliquis partibus corporis permanentibus, non est majus negotium, quàm explicare, quomodo cum ossibus partes carnis cõrimentur*. Ergo, &c.

xxx. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem Respondeo fluxam illam & fragilem continuitatem inter sanguinem & hepar, non magis agnosci debere, quàm inter aquam & vas, lac & mamillas, semen & partes spermaticas; hæc autem illis non continuantur, alioqui lac animaretur, quod nullus docet; item & semen, quod expressè negat Aristoteles de generatione animalium lib. 2. cap. 3. ubi ait: *Animam enim vegetativam in feminibus haberi potentiam, statuendum est, non actu*. Et S. Thomas 1. p. q. 118. art. 1. *Virtus activa, quæ est in femine, ex anima generantis derivata, nec est anima, aut pars anime, nisi in virtute*.

xxxi. Adde tamen semen & lac esse sanguinem magis elaboratum & coctum.

xxxii. Confirmatur Resolutio: Sanguis est alimentum viventis, ergo non est animatus: Probatur consequentia; quia alioqui esset animatus animâ aliti, & consequenter falsa esset nutritionis definitio recepta ab omnibus: *Nutritio est conversio alimenti in substantiam aliti*. Hoc assumptum patet, quia antea, utpote animatus animâ aliti, fuisset de substantia aliti; conversio autem in aliud, dicit non fuisse aliud. Vnde optimè ex D. Thoma 1. p. q. ult. art. 1. ad 3^{um}. *Humidum nutritivum est, quod nondum pervenit ad suscipiendam perfectam naturam speciei; sed est in via ad hoc, sicut est sanguis & alia ejusmodi*: Ergo, &c. Et in 4^{um} dist. 44. de rore cambio, & glutine, qui sunt sanguis magis elaboratus & magis coctus, ait: *Sunt in ipso actu transeundi de forma in formam; puta viventis*.

xxxiii. Dices cum Cajet. 3. p. q. 5. & 54. art. 2^o. Sanguis potest esse pars animata corporis humani, & tamen etiam partium solidarum alimentum. Ergo, &c.

xxxiv. Respondeo negando assumptum ob rationes præmissas.

xxxv. Objicies tamen illud Levitici cap. 17. *Animam omnis carnis in sanguine est: super quod Augustinus, Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivit*. Accedit auctoritas Aristotelis de Historia animalium cap. 19. *Dum animal vivit, sanguis animatur & servet*, ergo, &c.

xxxvi. Respondeo Levitici hunc esse sensum; anima, id est, vita omnis carnis in sanguine est, est à sanguine essentialiter pendens, &c. quia scilicet ex ipso conficiuntur spiritus vitales, sine quibus vita conservari non potest; unde etiam verborum S. Augustini hic est sensus, *aliquid vitale, id est, aliquid vivens*,

vivens, Est in sanguine, id est, pendet à sanguine; Quia per ipsum maxime in hac carne vivit, id est, quia subministrat spiritus vitales, sine quibus vita conservari non potest. Unde (subdit Doctor Fromondus loco supra citato) alibi sanguis anima ipsa vocatur. Sanguis animalium pro anima est (Hebr. sanguis ipse anima est) & idcirco non debes animam comedere cum carnibus. Quod sensu metonymico verum est; quomodo vocamus vitam nostram, id quod nobis eam conservat, aut jucundam facit. Unde ut sensum hunc S. Hieronymus indicaret, verit, Sanguis pro anima est, hoc est, insister anima, quia ad animam in carne conservationem, tam necessarius, ut sanguine omni effuso, anima illico carnem & sanguinem suum deserat. Hinc apud Poëtam, Purpuream vomit ille animam: Et apud alium, succi, quibus tanquam sanguine planta aluntur & foventur, Plantarum virides animæ vocantur. Aristoteles autem non vult, dum animal vivit, sanguinem animari in facto esse, sed in fieri, in quantum per continuam in substantiam aliti conversionem continuo transit de non esse animatum ad esse animatum. Attende ad D. Thomam supra in confirmatione citatum.

COROLLARIA.

XXXVII. Collige 1º, contra P. Poticum non video sanguinem non animari, quia non est una ex præcipuis partibus corporis: nam contrarium satis patet ex præmissis; sed quia non est pars conjuncta & continua cum cæteris partibus solidis corporis, quas experientia docet animari: quia verò non animatur, dic vi verborum non poni sub speciebus panis, cujus alii difficulter dant bonam rationem.

XXXVIII. Collige 2º, à fortiori Resolutionem debere esse negativam, pro lacte, semine, saliva, sudore, &c. quia illis cessantibus, manet corpus integrum.

XXXIX. Collige 3º, quid ferè dicendum sit de sanguine illo concreto, qui in cunctis animalibus ex parte tantum dentatis, dicitur servum, in non cor-

nutis utrimque dentatis, ut porcis, hominibus, &c. adeps; in ossibus, medulla; si enim verum sit sanguinem non animari, non animatur; si secus, ut voluit nonnulli, verisimilius est animari ut carnem, ossa, &c. quibus continuantur; quia tamen nullus negat cerebrum continuari per varias fibras & nervos cum partibus animatis, & medullam spinæ dorfi cum cerebro continuati, cerebrum & medulla spinæ dorfi animantur.

XL. Collige 4º, in omnibus illis partibus non animatis materiam primam existere sine omni forma substantiali, etiam partiali, cum solis accidentibus.

RESOLUTIO III.

XLII. Dico 3º, contra Ovidium & Hurtadum, post Galenum, capilli sunt animati; idem de avium plumis, piscium squamis, unguibus, rostris, cornibus animalium & similibus, dici debet.

XLIII. Probat, quia (præterquam quòd de istis eadem sit ratio ac de frondibus arborum, quas auctores communiter vivere admittunt) sunt continui per fibras & venulas aliquas cum partibus animatis, unde avelli non possunt, sine dolore: crescunt præterea in omnem partem; nam multò sunt longiores & latiores in viris, quàm in pueris; habent denique poros, ratione quorum dicuntur crescere per introsumptionem.

XLIII. Adde contra Patrem Comptonum de anima Disp. 2. Sect. 3. capillos & ungues animari animam totius; non verò animam vegetativam distinctam ab anima totius; quia sic in eodem homine essent duæ animæ, quod Disp. 1. Dub. 2. probavimus esse erroneum. Quòd autem capilli eodem modo ante & post mortem crescant, ac canescant, nil refert, quia omnino dici debet ibi recedente rationali, produci animam vegetativam ab eisdem causis à quibus ex putri materia producit anima herbæ, aut similibus viventium, de quo satis egimus lib. 2. Phyticor. Disput. 6. Dub. 2. Refol. 3. Et paulò ante

DISPUTATIO TERTIA

De Potentiis & Actibus Animæ.

DUBIUM I.

An Potentia realiter distinguantur ab Anima?

ANTE Resolutionem
I. Suppono 1º, potentias animæ, sive vitales, esse facultates, sive principia proxima operationum vitalium.

II. Suppono 2º, potentiarum animæ, alias esse materiales, ut potentia nutritiva, sensus externi & interni; & hæ materiales dicuntur, quia ex materia corporis partim compositæ; undè non remanent (saltem adæquatè) in statu separationis animæ à corpore: alias spirituales ut intellectus & voluntas, & hæ spirituales dicuntur, quia ex materia corporis nullo modo compositæ; undè remanent adæquatè in statu separationis animæ à corpore.

III. Suppono 3º, potentias organicas in homine, ut visus, auditus, &c. esse compositas ex anima & organo corporeo; tum quia id videtur docere Au-

gustinus de libero arbitrio lib. 2. cap. 3. Hic sensus interior, nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustus, nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud, quod omnibus communiter præset, quod cum ratione comprehendimus, hoc ipsum tamen rationem vocare non possum, quoniam & bestis inesse manifestum est. Et Confessionum libro 10. cap. 7. Est alia vis non solum quæ vivifico, sed etiam quæ sanctifico carnem meam, quam mihi fabricavit Dominus, jubens oculo ut non audiat, & auri ut non videat, sed illi per quem videam, huic, per quem audiam, & propria singillatim cæteris sensibus, sedibus suis & officiis suis, quæ diversa per eos ago unus ego animus. Item Epistolâ 112. ubi dicit sensus esse quinque, eosque sic condistinguit à potentiis animæ ut rationalis: Videntur, quæ præsto (id est præsentia) sunt, vel animi, vel corporis sensibus: Et Tract. 15. in Ioannem: Intellectus est aliquid animæ, sicut oculus est aliquid carnis. Sed expressius lib. 1. de Trinit. c. 2. juxta citationem Fromondi hic, Sensus oculorum non ob aliud sensus corporis dicitur, nisi quia & ipsi oculi membra sunt corporis, & quamvis non sentias

sentiat corpus ex anime, anima tamen commixta corpori per instrumentum sentit corporeum, & idem instrumentum sensus vocatur; unde merito non ex Platonis (ut vult Fromondus) sed ex propria sententia lib. de quantitate animæ cap. 30. ait: Animam esse oculorum potentiam. Hinc patet Fromondum immeritò præfata loca contra nos allegare; quia non plus, nec aliud, convincunt, quàm distinctionem inadæquatam potentiarum organicarum ab animâ, ut consideranti patebit: tum quia sunt materiales & corporeæ, propter quod fit, quòd anima per organi alterationem, amittat quandoque visum, auditum, aut alium sensum, et si dispositiones in organo permaneant sufficientes ad retinendam animam: rectè enim dicitur sensus amissus, quandocumque ejus pars essentialis est amissa, His suppositis, fit

R E S O L U T I O.

iv. **D**ico intellectus & voluntas, ac omnes aliæ potentia cujuslibet animæ, pro ea parte quâ non constantur ex materia corporis; non distinguuntur realiter ab anima. Ita Bonaventura in 1^{um}. dist. 3. q. 3. Scotus in 2^{um}. dist. 16. q. unica. Nofter Bacho in 2^{um}. dist. 37. q. 1. art. 3. Ockamus in 2^{um}. dist. 10. q. 24. Gregorius in 2^{um}. dist. 16. q. 3. Gabriel, Henricus & cæteri Nominales, quos sequuntur Dandinus, Hurtadus, Arriaga, Oviedus, Comptonus. Contra Alensem 2. p. q. 65. Membro 1. Albert. Mag. in 1^{um}. dist. 3. art. ult. & lib. 2. de anima q. 7. Cajetanum 1. p. q. 77. art. 1. Sotum in Logica, cap. de Proprio. Complutenses nostros & alios Thomistas communissimè; è Societate verò Conimbricenses, Suares, Rubium, Toletum, Valentiam, Vasques, Telles, &c. Ex aliis Murfiam & nuperrimè D. Fromondum lib. 1. de Anima cap. 6.

v. Probatur primò auctoritate Augustini lib. 10. de Trinitate cap. 11. *Hæc tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vite, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique, nec tres substantia sunt, sed una substantia.* Deinde tria hæc eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia. Et ibidem l. 11. cap. 4. juxta citationem Fromondi: *Cum differimus de natura mentis humana, de una quadam re differimus, nec eam in hæc duo, que commemoravi (rationem scilicet & appetitum rationalem) nisi per officia geminamus: quod ferè repetit de spiritu & anima c. 13. Dicitur anima dum vegetat, spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit, animus dum sapit, dum intelligit mens, dum discernit ratio, dum recordatur memoria, dum vult voluntas; ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ista una anima est, proprietates quidem diverse, sed essentia una.* Fateor quidem D. Thomam 1. p. q. 82. art. 5. dicere, *Non esse necessarium verbis istius libri fidem adhibere; verisimilius quia cap. 17. Boëtium citat, qui ferè centum annis post Augustinum vixit. Negari tamen non potest auctorem illum multa ex Augustino sumplisse, ut varii putant, & probabiliter locum citatum, utpote aliis pluribus ejusdem Augustini consonantem.*

vi. Nec rectè responderetur Augustinum tantum velle illas potentias esse radicaliter & subjectivè tantum unam animam, vitam & substantiam; quia nulla necessitas eò confugiendi, sed potius necessitas contrarium suadet, quidquid S. Thomas præventus sententiâ nostræ oppositâ S. Augustinum ita ferè explicet 1. p. q. 77. art. 1. Ergo, &c.

vii. Probatur 2^o, ex S. Bernardo Serm. 11. in Cantica: *Tria in anima intueor, rationem, voluntatem, memoriam, & hæc tria animam esse: quod verò serm. 81. in eadem Cantica dicit: Arbitrii libertatem esse planè Divinum quoddam præfulgens in anima, tanquam gemmam in auro, non obstat; quia ly tanquam non appellat distinctionem similem distinctioni gemmæ ab auro; quia alioqui S. Bernardus hic contradiceret sibi priori loco, sed fulgorem gemmæ in auro; sive ab auro realiter distinguatur, sive non; quia exemplorum non est querenda rigorosa similitudo.*

viii. Probatur 3^o, ex Isidoro 11. Etymologiarum: *Anima dum vivificat corpus, anima est; dum vult, voluntas; dum intelligit, mens: &c.* ex illis autem infero, ergo intellectus, voluntas, & aliæ potentia, saltem immateriales, ab anima rationali realiter non distinguuntur, unde à fortiori, ab Angelo realiter distingui non debent.

ix. Probatur 4^o, vel anima est immediatè activa suorum actuum, vel non? 2^{um} est absurdum; ergo 1^{um} dici debet; ut quid enim causis aliis imperfectioribus potentiam immediatè concederemus activam, ut calori respectu caloris extranei, frigori, &c. negaremus autem animabus perfectioribus, ergo superflua sunt potentia ab illa realiter distincta ut agat. Probatur minor 1^o, quia, ut patet ex dictis in lib. 2. Physic. omnes substantia sunt immediatè activa, sive operativa, effectuum non connaturalium. 2^o, quia alioqui anima non propriè intelligeret, dolorem sentiret, tristeretur, gauderet, sed illa potentia à quibus egrederentur actus. 3^o, si anima non est immediatè activa actuum voluntatis (à quibus ad actus intellectus trahitur consequentia) non meretur nec demeretur per illos, quia si non sit activa, nec voluntatem applicabit ad volendum bonum, nec poterit impedire malum, quod, quia non impeditur, ipsi impuretur. 4^o, quia alioqui volens erit diversum principium à cognoscente, nam voluntas erit volens, & intellectus cognoscens; ac proinde voluntas feretur in incognitum & cæco modo; quia ipsius cæcitas tolli non potest per cognitionem, quam non habet in se: sicut enim auditus non fit videns per visionem, quam habet in se visus, licet auditus & visus aliquantulum radicecentur in eadem anima; imò sicut etiam voluntas humana Christi non fit cognoscens cognitione intellectus Divini, licet voluntas humana Christi & intellectus Divinus radicecentur in eodem supposito; ita nec voluntas nostra fit cognoscens, nec ipsius cæcitas tollitur, per cognitionem intellectus realiter distincti, licet radicecentur in eadem anima; quia subjecto communi, ut patet, non dat talem denominationem. Sed hæc sunt absurda, ergo, &c.

x. Respondebis ad argumentum animam esse immediatè activam suorum actuum, negando tamen potentias realiter distinctas esse superfluas: dices enim animam inadæquatè, & has inadæquatè concurrere, prout diximus ignem inadæquatè & calorem inadæquatè concurrere ad productionem alterius ignis, & caloris extranei: quo posito cessat tota virtus probationis. Sed

xi. Contra, sicut ignis est se solo sufficiens ad producendum alium ignem, aut calorem extraneum, ita & anima sola est sufficiens ad producos suos actus, ac proinde potentia realiter distincta essent superflua in anima; sicut diceremus calorem ab igne realiter distinctum esse superfluum, nisi

nisi experientia doceret calorem ab igne realiter distingui & esse activum. Hinc

xii. Patet, quid ad illud, cui multum fident Sures, commune ad versariorum argumentum, respondendum sit: alia substantia operantur mediis accidentibus realiter distinctis, concedo, quia id experientia convincit: incorporea aut corporea animata, nego; quia id in illis experientia non convincit; & satis frequenter contingit, & convenit, quod ea, quae sunt in imperfectioribus (ut sunt inanimata) dispersa, sunt in perfectioribus (ut sunt animata respectu inanimatorum) conjuncta, nam simplicitas perfectio est, compositio imperfectio; unde perfectiora simpliciora esse debent.

xiii. Confirmatur ex axiomate communiter recepto ex Gregorio Ariminesi in 2^{um}. dist. 16. q. 1. art. 2. *Pluralitas rerum non est ponenda, ad quam nec experientia, nec ratio ex experientia procedens, nec auctoritas sacra cogit; alia enim frustra poni dicitur, sed hic nihil istorum cogit, ut solutione argumentorum patebit: & prostat auctoritas & ratio (ne nobis Axioma oppositum pluralitas rerum non est invenienda, &c. opponas, quod saepius tibi fecimus) ut vidimus, ergo, &c.*

xiv. Dices 1^o, ex D. Fromondo de Anima lib. 1^o. cap. 6. art. 1^o. post alios communiter, optimam rationem cogere, nempe, quod sicut Deus formae ignis providet calorem ab ea realiter distinctum, formae aquae frigoris, &c. ut per istas qualitates naturales suas operationes exerceat, ita de potentiis accidentariis providit animae, per quas facilius & suavius operaretur.

xv. Respondent varii, & nominatim P. Comptonus, optimam istam rationem solum concludere, pro operibus transuentibus, & ad extra; non vero pro immanentibus, & ad intra; quia etiam ignis per suam substantiam ad intra agit: verum haec responsio non satisfacit, quia saltem concluderet potentiam loco-motivam corporis ad extra, cujus distinguenda realiter a substantia hominis non est ratio. Quare aliter

Respondeo negando sequelam, quia, *Frustra sit per plura, quod commodè fieri potest per pauciora*: sicut enim calor calorem, & frigus frigiditatem separata à suis connaturalibus principiis se solis producant, ita à fortiori Anima suos actus; imò idē diceremus de igne, & aqua in ordine ad suos effectus, si non experiremur similia accidentia comitari; deinde ab imperfectioribus istis entibus, ad Animas perfectiores non est solida sequela; quia quae in imperfectioribus sunt dispersa, frequenter in perfectioribus sunt collecta, ut supra monuimus.

xvi. Instabis ex eodem: art. 4^o. Natura non est ubique tam parca, quam clamitant Nominales; nam licet superflua non cumulet; multa tamen, vel ad ornatum, vel ad facilitatem operandi modum creatis agentibus suppeditat, juxta illud Aristotelis lib. 4. cap. 6. de partibus: *Melius est, si fieri potest, non idem instrumentum ad usus dissimiles habere*. Vnde idem Fromondus loco supra art. 1^o. dixerat suam sententiam apparere probabiliorē, si cogitemus substantiam animae ad multos & valde differentes actus esse indifferenter; ac proinde nil bellius, & ad agendum accommodatius fieri posse, quam ut per potentias, &c. ad hanc vel illam actionis speciem determinetur, & adjuvetur, ergo, &c.

xvii. Respondeo quod natura hic superflua cumulare, sicut superflua cumulare diceremus il-

lum, qui in calore diversas potentias realiter distinctas agnosceret, unam ad ignem, aliam ad calorem, aliam ad gemmas, aliam ad aurum, &c. Et sicut has potentias in calore negamus ob rationem supra ex Gregorio Ariminesi allatam, ita alios de quibus disputamus, in Angelis & etiam anima nostra negare debemus.

xviii. Dices 2^o, experientia quotidiana docet, intellectum, voluntatem, potentiam loco-motivam, &c. ab anima rationali realiter distingui, ergo, &c.

Probatur antecedens, quia experientia quotidiana constat, animam motu, intellectione, volitione, assiduis nimis fatigari, nec hominem posse ita expedite se movere, intelligere, velle, &c. post assiduum motum, intellectionem, volitionem, &c. quam antea; idque ob vires aliquas potentialium istarum deperditas, ergo distinguuntur realiter ab animā.

xix. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem respondeo animam non fatigari, sed corpus; quia, aut perdit aliquid dispositionum pristinarum, ut v.g. spirituum vitalium, aut qualitates aliquas doloriferas acquirit, quae ad actionem diuturniorem augentur, quantum experientia docet: animam verò non posse tunc tam expedite se movere, intelligere, velle, &c. fateor, sed nego illud fieri ob vires aliquas istarum potentialium deperditas; quia provenit ex deperditis dispositionibus istis, à quibus anima in movendo corpus, intelligendo, volendo, &c. quamdiu unita corpori, pendet, ut experientia languidorum & pinguium quoad potentiam motivam, puerorum & senum repuerascensium & amentium quoad potentias intellectivam & volitivam, probat: hinc tamen non sequitur dispositiones illas esse inadæquatè potentiam loco-motivam, intellectum aut voluntatem, sicut organa corporea, sunt inadæquatè potentiae sensitivae; quia potentia ista loco-motiva, intellectiva, volitiva, &c. perfectius agunt in statu separationis animae à corpore, quam in statu conjunctionis, ut vel in ipsis Angelis patet, qui quia independentes à corpore, & naturā suā ab eo separati, istas operationes perfectiores eliciunt, quam anima rationalis.

xx. Dices 3^o, si Anima possit esse sua potentia intellectiva & volitiva, quidni & suus actus? sed hoc nulli concedunt, ergo, &c.

xxi. Respondeo esse disparitatem, quod experientia doceat animam nostram posse esse sub motu locali continuo successivo, ac proinde non continud in eodem motu permanenti, & consequenter, uti experientia docet, nec in continua omnium sui intellectus aut voluntatis objectorum intellectione aut volitione, quod fieret, si esset suus actus. Vnde sicut Deo omnium entium perfectissimo, reservatum est, ita esse substantialiter unum ex suis actibus, ut sit omnes, ita animae, enti ad Deum comparative imperfectissimo, reservatum est, ita non esse unum ex suis actibus, ut nullus sit ex illis.

xxii. Dices tamen 4^o, potentiae organicae in homine, ut visus, auditus, &c. sunt realiter distinctae ab anima rationali, ergo & ab aliis animabus. Consequentia teneri à pari. Probatur antecedens, tum quia sunt materiales, anima autem rationalis spiritalis; tum quia pereunte organo pereunt, ergo, &c.

xxiii. Confirmabis, actus potentialium organicarum, ut visio, auditio, sunt adæquatè materiales, ergo & potentiae ipsae organicae.

Respondeo distinguendo antecedens, potentiae organicae,

organicæ, &c. sumptæ adæquatè, tam pro eo quod dicunt ex parte corporis, quàm ex parte animæ, sunt realiter distinctæ ab anima communicante, concedo antecedens: sumptæ inadæquatè pro eo præcisè, quod dicunt ex parte animæ rationalis, nego antecedens: Ad probationem distingue cum proportione Antecedens. Potentiæ organicæ, &c. sumptæ adæquatè, &c. sunt materiales, concedo antecedens; inadæquatè, &c. nego antecedens.

Ad Confirmationem

xxiv. Respondeo 1º, retorquendo argumentum in adversarios, qui admittunt illas potentias organicas realiter distingui ab anima, & esse adæquatè materiales: *Potentia organica in homine sunt adæquatè materiales; ergo anima in homine est adæquatè materialis*, quod consequens est hæreticum: Deinde admittere debent Angelum purè spirituales in corpore assumpto producere ubi materiale, illud corpus movendo; non ideo tamen est materialis.

Respondeo 2º, negando consequentiam, quia à conditione effectus ad causam nulla sequela, ignis producit accidens, ergo est accidens, Christus ratiocinatur ut purus homo, ergo est purus homo, non sequitur.

xxv. Dices 5º, Deus in ordine gratiæ imitatur ordinem naturæ: Atqui in ordine gratiæ potentiæ distinguuntur ab essentia, id est, habitus supernaturales à gratia sanctificante; ergo, &c.

xxvi. Respondeo antecedens univocaliter sumptum esse falsum; alioqui statim inferrem esse tot intellectus & voluntates, quot diversa cognitionum & volitionum objecta formalia; sicut sunt tot in gratia sanctificante habitus supernaturales, quot sunt istorum habituum, ut Fidei, Spei, Charitatisque objecta formalia diversa. Hinc antecedens tantum intelligi debet quoad nonnulla, videlicet, sicut in ordine naturæ datur una 1ª basis & radix naturalium, ita in ordine gratiæ datur una 1ª basis & radix supernaturalium.

D V B I V M I I.

Quid sit actus vitalis, & quotuplex? Item an illis assignari possit conceptus unus univocus.

ANtè Resolutionem
xxvii. Suppono 1º, actus vitales, qui rectè vita in actu 2º à nonnullis nuncupantur, multos assignari, v.g. motum progressivum, nutritionem, vegetationem, sensationes internas & externas, intellectiorem, volitionem, &c. sed assignare illis conceptum unum univocum communem, valde difficile est.

xxviii. Suppono 2º, vivens esse illud, quod vel est, vel habet in se principium istarum operationum; undè de vivente nulla potest esse difficultas assignato conceptu communi uno univoco omnibus illis actibus vitalibus. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

xxix. **D**Ico 1º, conceptus communis univocus actibus vitalibus non potest esse actus principii se moventis ab intrinseco, quia ita se movet quodlibet non vivens, producendo suas proprietates, & tamen nullus dixerit productionem proprietatum esse actum vitalem, ergo, &c.

R E S O L U T I O I I.

xxx. **D**Ico 2º, conceptus communis omnibus actibus vitalibus non est actio immanens directa, id est, non ex resultantia naturali, ex qua est productio caloris ab igne, motus lapidis in centrum, &c. Est contra D. Fromondum de Anima lib. 1. cap. 1. art. 10. in eamque sententiam videntur plures alii, qui pro conceptu isto communi adferunt actum ex genere suo immanentem, aliunde acquisitum, quàm ex sola naturali determinatione formæ, coincidere.

xxxi. Probat: quia definitio ista non est satis latè patens; 1º quia non comprehendit generationem filii per intellectiorem in Divinis, & spirationem Spiritus Sancti per amorem, quæ actiones sunt vitales & tamen summè necessariæ resultantiæ naturalis, ut consideranti patebit. 2º, Quia datur actio vitalis, quæ non est immanens, licèt directa sit, ut generatio foetus, conformatio & membranificatio illius quatenus est à causa principali quo feminis; illam enim esse vitalem probavimus disp. 1. Dub. 2º. Refol. 3. 3º, datur actio vitalis, quæ est immanens, licèt directa non sit, ut amor & comprehensio sui in Deo Patre: Ergo, &c.

xxxii. Confirmatur, sicut ignis rectè dicitur calidus à calore quem à sole, aqua frigida à frigore quod ab aère accipit; quia ignis natus est esse calidus à calore, quem in se emananter producit; quia aqua nata est esse frigida à frigore, quod in se emananter producit; ita homo v.g. rectè diceretur nutritus, intelligens, &c. à nutritione, intellectiione, &c. quàm in se directè producit. Si verò dicas, quòd hoc casu homo non esset nutritus vitaliter, intelligens vitaliter, &c. id ipsum retorqueo in ignem; *Ignis alio casu non esset calidus emananter*; si dicas, hoc non requiri ad hoc ut simpliciter dicatur calidus; dico ego hoc non requiri ut homo dicatur simpliciter nutritus, intelligens, &c. videtur enim omnimoda paritas: homo autem, qui simpliciter nutritur, simpliciter intelligit, simpliciter vivit; ut omnes fateantur, ergo, &c.

xxxiii. Unde fateor quidem omnem actionem immanentem directam esse vitalem, sed nego omnes actiones vitales debere esse tales, sive rationem genericam actionis vitalis in conceptu isto formaliter consistere, licèt is sit valde communis, & videatur à S. Thoma præsertim 1. p. q. 118. art. 2. in corpore ex communi sententia vulgi amplexus.

R E S O L U T I O I I I.

xxxiv. **D**Ico 3º, conceptus ille actibus vitalibus communis in eo non consistit, quòd res aliqua, ita perfectionem habeat ab intrinseco, ut ab extrinseco, saltem naturaliter, eam habere non possit. Est contra P. Comptonum de Anima Disp. 6. Sect. 4. in quod etiam recentioribus plures incidunt.

xxxv. Probat, definitio ista comprehendit aliquos actus non vitales ut potentiam instrumentalem materiæ primæ cui omnino convenit definitio ista; & aliquos vitales non comprehendit, ut conformationem, membranificationem foetus, &c. quæ sunt actus vitales, ut supra probatum est; deinde secundum illam omnia attributa Divina, & non solum intellectio, amor, &c. sunt actus vitales, quod nullus admiserit præter P. Comptonum, qui consequenter

sequenter facere debet Deum viventem per suam durationem, ubi, &c. imò & Angelum supremi ordinis per proprias passiones suas; quia à nullo extrinseco principio creato naturaliter eas accipere potest; quæ sunt ridicula; Ergo, &c.

RESOLUTIO IV.

xxxvi. **D**ico 4^o, contra PP. Arriagam, & Ponticum, datur conceptus communis univocus omnibus actibus vitalibus, tam Dei, quam creaturarum.

xxxvii. Probatur: quia hic conceptus *Actus alibili conveniens & in eo consequens introsumptionem alimenti, aut in spiritibus nobiliorem operandi modum*, est conceptus communis univocus omnibus actibus vitalibus, &c. Ergo, &c. Probatur antecedens; per *ly alibili conveniens & in eo consequens introsumptionem alimenti* comprehenduntur Cælorum loco-motiones (nam loco-motio alibili convenit & in eo sequitur introsumptionem alimenti, in spiritibus verò nobiliorem operandi modum) vegetations, sensationes, intellectiones, volitiones, productiones lactis, sanguinis, &c. quamdiu anima est in corpore: per *ly verò aut nobiliorem operandi modum*, omnes volitiones & intellectiones Dei, Angelorum & animarum separatarum, quæ sunt secundum modum vitaliter operandi, independentes ab introsumptione alimenti: clarum enim est intellectiones & volitiones Dei, angelorum & animarum separatarum consequi modum operandi vitaliter nobiliorem illo, quem sequuntur intellectiones & volitiones animarum existentium in corpore; ille autem aliud esse non potest, quam modus operandi independentem ab introsumptione alimenti: per utramque verò particulam excluditur motus lapidis in centrum ex jactu, productio augmenti caloris ignis ex anthropistasi; &c. Ergo, &c. Ex his

xxxviii. Collige P. Arriagam non nisi improbabiler valde contra communem omnium Philosophorum, tum antiquorum, tum recentiorum sensum, vitam duplicem assignare; unam Physicam, quam constituit in augmento intrinseco per introsumptionem; aliam intentionalem, quam constituit in cognoscendo & appetendo, quali verò cognoscere & appetere non fit vivere Physicè abstrahendo à definitione vitæ Physicæ, quam tradit; vel dicat cur vitam Physicam ita definiat, & contra omnes, non assignet definitionem vitæ Physicæ communem omnibus actibus vitalibus: sed æquivocam dumtaxat vitalibus Physicis & intentionalibus: Dicere enim quòd Deus Physicè non vivat, est dicere, quòd Deus realiter non vivat, juxta communem sensum, quod nullus dixerit.

xxxix. Dicit fortè vita Physica & intentionalis diversissimæ sunt: Sed Deus vivit ita intentionali, & non vitæ Physicæ: Ergo vita, quæ Deus & creaturæ vivunt, non est nisi æquivocè vita.

xl. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum: substantia creata & increata diversissimæ sunt; sed Deus est substantia increata, & non creata; Ergo substantia, quæ Deus & creaturæ sunt substantiæ, non est nisi æquivocè substantia, negabit consequentiam, aut distinguet consequens, hoc modo; Ergo substantia, &c. quatenus substantia creata & increata non est nisi æquivocè substantia, concedet; quatenus substantia in genere, negabit consequentiam; & meritò, ut vidimus in Logica Tract. 4. de Antepredicamentis Disp. 2. Dub. 3. ubi ostendimus Deum habere verum genus & veram differentiam; eodè modo consequenter distinguat pro vita.

xli. Respondeo 2^o, negando consequentiam; quia non est ratio, cur potius vita in communi sit vitæ æquivoca respectu Dei & creaturarum, quam substantia.

DISPUTATIO QUARTA

De Anima Vegetativa.

DVBIVM I.

Quid sit Anima Vegetativa, & qua ejus potentia?

RESOLUTIO.

i. **D**ico Anima Vegetativa est principium vegetationum, ut nutritionis, augmentationis, & generationis; & hinc sunt tres potentia animæ vegetativæ, nutritivæ scilicet, augmentativa, & generativa: Nutritivæ quatuor aliæ facultates famulantur, scilicet, attractivæ alimenti, retentivæ ad concoctionem, concoctivæ, & expulsiivæ noxi. Hæc inter omnes certa sunt.

DVBIVM II.

An plantæ, herbae, & eorum semina vivant animâ vegetativâ; & si hæc, an etiam sensitivâ?

RESOLUTIO I.

ii. **D**ico 1^o, plantæ & herbae, verè ac propriè vivunt animâ vegetativâ; est communis
R. P. Francisci Bone Spei Physica

post D. Thomam, Dionysium, & Aristotlem lib. 2. cap. 1.

iii. Probatur ex definitione actus vitalis supra; habent enim plantæ & herbae ex introsumptione alimenti actus nutritionis, augmentationis, & generationis, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

iv. **D**ico 2^o, plantæ & herbae non plantanimales, non vivunt animâ sensitivâ.

v. Probatur 1^o, ex Aristotele lib. 3. cap. 13. ubi docet *plantas omnium sensuum expertes esse*. Augustino lib. de qualitate animæ cap. 33. ubi oppositam opinionem vocat *rusticam heresim*.

vi. Probatur 2^o, quia animalia omnia, quantum experimur, non habent ita obtusos & dormientes sensus, quin aliquando evigilent, & tacti sese contrahant; sed plantæ ad nullam percussionem se contrahunt, aut movent: Ergo non est ratio fingendi tales sensus in plantis.

vii. Dixi, non plantanimales; quia sunt aliqua plantæ de quibus Ionstonus, Scaliger, & alii mirantur; ut quòd detur herba, quæ ad tres pedes

G g crescens

crefcens in altum, & pedibus, unguibus & cæteris corporis partibus præterquam cornibus agnum exprimens, vorat herbas, quibus circumdatur, quæ etiam percussa sanguinem è vulnere emittit, & appetitur à lupis, ut à agnus, unde vocatur agnus Scythicus. Item quòd detur in Hybernia arbor cujus fructus & frondes in mare defiduat, convertuntur in anates; imò & quædam alia, cujus folia lapsa, habent parvos pedes, & rependo se movent. Si autem hæc vera sint, meritò dubitare poterimus, an tales plantæ non sint plantæ animales, id est, vegetativæ & sensitivæ simul.

D V B I V M I I I.

An semina vivant animâ vegetativâ?

ANte Resolutionem
 VIII. Suppono per plantarum semina hîc intelligi nucleos illos, qui in medio fructuum includuntur; non verò bulbos, quos vivere animâ vegetativâ ipsorum radices & fibræ, quibus alimentum attrahunt, satis significant. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

IX. **D**Ico: semina plantarum non vivunt animâ vegetativâ.

Probat 1^o, ex Aristotele de generat. animalium lib. 2^o. cap. 3^o. qui indifferenter agens de quovis semine, ait, *Semen non vivere actu, sed potentia*, ergo, &c.

X. Probat 2^o, semen animalium non vivit, ergo nec plantarum, consequentia tenet à pari; quia sicut illud non est continuum cum reliquo vivente, ita nec hoc: Ergo, &c.

XI. Objicies tamen 1^o, semen modico humore affuso statim germinat, ergo vivit animâ vegetativâ.

XII. Respondeo negando consequentiam, quia hoc fit, quia continet actionem egressam à planta, à qua decisum est, productivam (positis nonnullis conditionibus, ut humore affuso) animæ vegetativæ. Vide dicta lib. 2. Physicor. Disp. 3. Dub. 1^o. an causa possit agere non existens, & Disp. 6. Dub. 2^o. an accidens possit producere substantiam.

XIII. Objicies 2^o, fructus plantarum vivunt animâ vegetativâ, sed multa semina sunt fructus, ut amygdala, castanæ, &c. Ergo, &c.

XIV. Respondeo distinguendo minorem; sed multa semina ut semina & secundum nucleum præcisè sunt tales fructus, nego minorem; ut fructus & secundum nucleum quatenus tectum Bulbo aut cortice illa in extremitate arborum per modum globuli pendente, concedo minorem; verum illud non est semen discontinuum ab arbore, sed quidpiam cum illa continuum; unde decipitur P. Comptonus dum hîc Disp. 3. Sect. 3 dicit, semen plantæ vivere, quia crescit & augetur, sicuti reliquæ partes plantæ, propter quod semper fibræ quibusdam unittur plantæ, quibus mediis alimentum ab ea fugit, illudque per venulas quasdam per omnes suas partes dispensat: ad enim solum verum est de fructu in quo semen aut nucleus recipitur; quia semen plantæ per juxta-positionem crescit, sicut semen animalis, ut diximus.

D V B I V M I V.

An Anima Vegetativa sit divisibilis?

ANte Resolutionem
 XV. Suppono animam hominis, contra Stoicos, non esse formaliter divisibilem, aut ex plu-

ribus partibus integraliter compositam: nam (utpote spiritus juxta illud Lucæ 13. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*; & ad Galatas 5. *Caro concupiscit adversus spiritum*) est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis; alioqui abscisso capite, remaneret pars animæ in illo, & postea, vel defineret contra animæ immortalitatem, vel esset extra corpus in coelo, si in statu gratiæ; vel in inferno, si in mortali: ex quo fieri posset, quòd idem homo partim esset in coelo, partim in inferno, quod est absurdum. Dicere autem quòd illa pars se uniret cæteris partibus non est probabile, quia alioqui deberet extendi extra corpus, vel informare partes jam informatas, quæ etiam sunt absurda. Quòd verò caput hominis abscissum saltet, mordeat, &c. non fit quia pars animæ in capite remanet, vel quia (ut docet D. Fromondus de Anima lib. 1^o. cap. 4^o. art. 3^o. & lib. 4^o. cap. 2. art. 3^o.) anima in duobus locis replicata manet, cum sola interruptione unionis: nam 1^{um} dicere nefas; 2^{um} autem mihi improbabile, quia caput modico tempore, inde mille leucis translatum eodem modo saltaret & morderet, unde mille leucarum & amplius deberet esse sphaera localis animæ rationalis; quod non probat, sed quia motum in caput, talem vel talem, tantæ vel tantæ durationis ante discessum impressit: juxta dicta lib. 2. Physic. Disp. 3. Dub. 1^o. Resol. 4. quòd autem alii id refundant in revolutiones spirituum vitalium ex abscissione, minus mihi probabile est; quia illi spiritus exanimés, non possunt se ita movere, nec saltus sive motus spirituum possunt esse ab alio, quàm ab anima; si verò anima tales spiritus moveat, cur potius caput non movet? unde ulterius patet ad 2^{am} solutionem D. Fromondi, quam locis citatis adfert.

R E S O L U T I O I.

XVI. **D**Ico 1^o, anima vegetativa tantum, ut plantarum, & vegetativa & sensitiva simul imperfectorum animalium, est formaliter divisibilis.

XVII. Probat 1^a Pars, quia in ramis à trunco abscissis est vita (nam folia & flores producant) ergo & pars animæ. Probat 2^a Pars, quia tota prior anima in illis esse non potest, ne alioqui sit simul in pluribus locis distantibus & discretis: nec etiam alia recenter producta est, quia probabilis dicitur animam plantarum esse divisibilem, quàm recurratur ad causam, nescio quam, istius animæ totalis productivam, ut defendatur esse indivisibilem.

XVIII. Confirmatur à fortiori ex probatione 2^a partis, & alioqui eadem ratione dicerem formas elementorum esse indivisibiles & novas totales produci in singulis partibus post separationem ab invicem.

XIX. Probat 2^a Pars, quæ est ferè æque certa ac præcedens, in utraque parte lacertarum aut vermium inter-scissorum est vita, nam se localiter movent & tacti tactum sentiunt, quæ in spiritus vitales refundi non possunt, ut partim constat ex supposito, partim quia spiritus vitales non sentiunt, ergo est pars animæ, &c. ut supra.

Confirmatur ex Resolutione sequenti. Ex his
 XX. Collige quòd ramus abscissus vivens non dicitur arbor, pars lacertæ lacerta, &c. non esse ideo, quia non habent animam arboris, lacertæ, &c. sed quia per arborem intelligimus illant, quæ habet radices & fibras quibus alimentum fugat; per lacertam tale corpus organicum, habens caput, caudam, &c.

&c. quæ istis non conveniunt: propter eandem rationem nullus dicit pedem hominis continuum cæteris membris intelligere, aut esse hominem, quia tales denominationes ex communi usu loquendi, sunt totius talis compositi organici, &c.

RESOLUTIO II.

xxi. **D**ico secundò, anima sensitiva & vegetativa simul perfectorum brutorum est etiam formaliter divisibilis. Ita Scotus in 4^{um}. dist. 44. q. 1. art. 1. & omnes ferè Scotistæ. Durandus in 1^{um}. dist. 8. q. 3. Capreolus in 2^{um}. dist. 15. q. 1. Marsilius lib. de Genesi q. 10. P. Noster Bacho in 3^{um}. dist. 17. q. 1. art. 3. §. 2. Iandunus, Toletus, Rubius, Conimb. ut probabilis. Suarez Metaph. Disp. 15. ubi oppositam sententiam, quam lib. 1. de Anima defenderat, retractavit; Murcia, Arriaga, Oviædus, &c. contra nostros Complutenfes hic Disp. 5. Ioannem à S. Thoma hic q. 2. art. 2. & alios Thomistas communissimè post D. Thomam 1. p. q. 76. art. 8. & quæst. de anima art. 2. l. 2^o. contra Gentes cap. 72.

xxii. Probatur 1^o, quia non est ratio cur potius perfectorum brutorum anima esset formaliter indivisibilis, quàm imperfectorum, plantarum, aut quàm formæ non viventium, ergo, &c. Probatur antecedens quia illæ non minus sunt è subjecto divisibili eductæ, quàm hæ, propter quod tantùm hæ dicuntur formaliter divisibiles, ergo, &c.

xxiii. Dices rationem esse, quòd imperfecta animalia, plantæ, &c. divisa, in pluribus partibus divisis vivunt, non verò perfecta, ut patet, si abscindatur pes ab equo. Sed

xxiv. Contra 1^o, serpentes sunt animalia muribus perfectiora, & divisi in pluribus partibus divisis vivunt.

xxv. 2^o, ex divisione corporis non potest facile colligi divisibilitas vel indivisibilitas animæ; quia in capite serpentis est anima divisibilis, abscessum tamen non vivit; imò nullus dubitat, quin in toto, anima sit divisibilis; vermis tamen intercisus in longum, secundum suas partes non vivit; & idem est de nonnullis plantis, quæ (teste Aristotele de juventute & senectute cap. 1.) intercisæ in partibus non vivunt. horum ratio est; non quia anima est indivisibilis, sed quia in nonnullis partibus corporis plus, in aliis minus, à cooperatione & dispositionibus cæterarum pendet: Et hoc modo intelliges Aristotelem, cum dicit ibidem, *Animas perfectorum animalium esse magis unas, magis simplices, & magis indivisibiles quàm imperfectorum.*

xxvi. Contra 2^o, falsum est, quòd perfecta animalia divisa in partibus divisis non vivant; quia ex historiis, quas D. Fromondus de animalib. 1. cap. 4. refert, constat capras excordes, sive extracto corde, balasse, aquilas & columbas detruncato capite vitalasse.

xxvii. Probatur 2^o, omnis anima perfectorum brutorum (utpote materialis & corruptibilis) educitur & pendet à materia, ergo est divisibilis, sicut ipsa. Probatur consequentia; quia ita pendet à materia ut tota è tota, & pars è parte materiæ educatur; alioqui enim, si tota ex qualibet parte materiæ educeretur, à qualibet parte penderet, ac proinde abscessa minimà parte materiæ, tota desineret, quod absolute est negandum, ergo, &c.

xxviii. Responderi posset in primo produci, animam perfectorum brutorum pendere quidem totam à qualibet parte materiæ primigenæ; sed in

conservari, non nisi ab aliquibus partibus præcipuis secundum certam quantitatem. Verum

xxix. Contra: non est sufficiens fundamentum id asserendi; nam sicut cæteræ formæ & animæ, quæ in conservari pendet à materia, pendet & in primo produci; & quæ in conservari non pendet à materia, ut anima rationalis, nec pendet in 1^o produci: ita è contra animæ perfectorum brutorum, quæ in primo produci pendet totæ à tota materia, & totæ à qualibet parte materiæ primigenæ; penderet in conservari totæ à tota materia, & totæ à qualibet parte materiæ primigenæ; ac proinde quælibet anima, abscessa minimà parte materiæ primigenæ, tota desineret, quod est contra experientiam; deinde id ipsum est quod quærimus, an scilicet animæ perfectorum brutorum sint talis naturæ & dependentiæ à materia; quod non probas: quòd autem aliqui dicant istas animas, quia mediæ sunt inter rationales animas & animas imperfectorum brutorum, esse talis naturæ; non est probabile: quia mediæ illa sufficienter salvatur in perfectiori modo sentiendi, perfectiori differentia ipsius bruti à cæteris, &c. Denique similiter dicam animam serpentis non esse divisibilem in corpore serpentis; sed indivisibilem, pendere totam in produci à toto corpore primigeno & totam à qualibet parte, ita tamen ut in conservari ab illo non pendeat, quod non admittunt.

xxx. Confirmatur: si animæ perfectorum brutorum sint indivisibiles, potius animæ serpentum, quàm murium; apum, quàm talparum, erunt indivisibiles: atqui hæ sunt integraliter divisibiles, ergo à fortiori murium, talparum, asinorum, &c. Minor admittitur ab adversariis; Consequentia est legitima; Major patet à fortiori.

xxxi. Objicies 1^o, experimur in animalibus perfectis, quòd si una pars pungatur, statim omnes aliæ partes moveantur, & quòd si per imaginationem, aliquid sibi nocivum apprehendant, statim reliquæ partes corporis se moveant ad illud fugiendū: Sed id fit, quia in toto corpore est eadē anima; ergo, &c.

xxxii. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in animalibus imperfectis; triti enim vermes se contrahunt & totaliter movent, & si unica pars cujlibet ex imperfectis sentiat objectum sibi nocivum, statim movetur ut illud fugiat.

xxxiii. Respondeo 2^o, distinguendo minorem: sed id fit, quia in toto corpore est eadem anima continuata & divisibilis, concedo: simplex & indivisibilis, nego: sola enim connectio dat sympatiā illam, ut unā se movente ad fugiendū objectum inconveniens, moveatur & alia: fortè enim ut profundè Fromondus loco supra citato perfectiorum animalium perfectiores partes ab unico principio motum & sensum recipiunt, à quo si separentur, statim vitales operationes & vitam amittunt: propter quod Aristoteles libro de juventute cap. 2. ait, *Perfectiora animalia maxime esse una, magis simplicia & indivisibilia, quàm imperfectiora*, sive quàm annulosa & insecta, quomodo fortè etiam exponi debet D. Thomas ubi videtur nobis contrarius.

xxxiv. Objicies 2^o, Aristoteles 7. de Generatione cap. 5. docet *vivens, quod accrescit, manere idem secundum formam, non secundum materiam*; ergo, &c.

xxxv. Respondeo Aristotelem ibi loqui de omnivivente generaliter; non agnoscunt autem adversarii omne vivens in accretione manere idem secundum formam; undè per formam intelligere non potest animam, sed figuram & speciem exter-

nam, quæ in omni accretione manet.

D V B I V M V.

An Partes integrales animæ vegetativæ sint heterogeneæ?

ANte Resolutionem
xxxvi. Sensus dubii est, an partes animæ informantes materiæ partes instructas accidentibus diversæ speciei, ut v. g. ossa, carnem, oculos &c. sint diversæ rationis, sic nempe ut pars animæ, quæ de facto oculum informat, æquè connaturaliter potuisset aures informare, quæ cor, pedem, & sic de aliis, ita ut illa, quæ oculum informat sit quodammodo oculus, quæ pedem, pes quodammodo, &c. Dubium de anima rationali non procedit ut patet, quia partes integrales non habet; sed de vegetativa tantum & vegetativa ac sensitiva simul; extendi tamen ad unionem animæ rationalis potest, ut confideranti patebit. Hoc autem præmissis, sit

R E S O L U T I O.

xxxvii. **D**ico contra Suarem, Rubium, Pereiram, Murciam, Hurradum (qui dicitur quando dicit suam sententiam esse apud recentiores communem) Comptonum (qui dicit hanc sententiam semper sibi visam probabiliorum.) Animæ vegetativæ tantum, & vegetativæ ac sensitivæ simul, sunt virtualiter tantum heterogeneæ; ita Gregorius in 2^{um} dist. 26. & 27. Cajet. lib. 2. de Anima q. 1. Capreolus in 2^{um} dist. 15. Bannez, Soncinas, Conimb. Atriaga, Oviedus, & nuperrimè Fromondus lib. 1. de Anima cap. 5. art. 10. ubi sic habet: *Sententia hæc est veterum Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, & plurimorum recentiorum, eorum præsertim, qui in intensione qualitatum gradus Hurtadi & Suarezii heterogeneos rejiciunt.*

xxxviii. Probatur, anima constans partibus homogeneis apta est informare partes materiæ instructas diversæ speciei accidentibus; sed non est ratio dicendi, quod partes integrales animæ vegetativæ, sint heterogeneæ; nisi quia informant partes materiæ instructas diversæ speciei accidentibus, ergo, &c. Probatur major 1^o. idem specie subjectum secundum omnes suas partes integrales aptum est informari diversis specie accidentibus, ut eadem anima quinque sensibus & eorum actibus, intelligentione, volitione, &c. & eadem specie anima secundum omnes suas partes integrales apta est informare diversas partes materiæ instructas diversæ speciei accidentibus. Probatur major 2^o. Anima arboris existens in trunco, ramis, frondibus, fructibus constat partibus homogeneis; Sed hæc sunt partes materiæ instructæ diversis accidentibus, ergo, &c. Probatur assumptum; Quia alioqui anima trunci & ramotum deberet producere animas diversæ speciei in frondibus & fructibus; si verò posset producere animas diversæ speciei aptas informare partes materiæ instructas diversæ speciei accidentibus, non est cur per se illas partes materiæ informare non possit; quia non est major perfectio in informando has partes materiæ, quàm sit in producendo illas animas.

xxxix. Confirmatur, Diversitas organizationis & accidentium in diversis partibus corporis, nequidem exigit plures partes animæ formaliter, sed virtualiter tantum, ut patet in corpore humano, respectu animæ rationalis; Ergo multò minùs exigit plures partes animæ formaliter heterogeneas, sed tantum virtualiter.

xl. Respondet P. Comptonus de anima Disp. 4. Dub. 1. *Saltem in homine esse unionem constantem partibus heterogeneis. 2^o peculiarem esse rationem de anima rationali; Cum enim constet (inquit) eam esse indivisibilem, & debeat in variis partibus exercere varias functiones, debet etiam in variis partibus habere diversas dispositiones ad eas functiones aptas. Deinde anima rationalis & omnis forma indivisibilis petit determinatè habere has omnes dispositiones, licet non in eadem parte, & consequenter omnes illæ dispositiones disponunt ad illam formam determinatè: at si partes distinguantur, & sint homogeneæ, nulla habet dispositiones adequatas, quas postulat: Si enim singulæ partes postulant omnes dispositiones, & nulla habeat omnes, nulla habet dispositiones quas postulat. Sed*

xli. Contra 1^{um} est, eadem anima secundum te potest terminare unionem tot partibus heterogeneam, quidni & alia tot dispositiones heterogeneas informare poterit? Deinde materia prima potest illas dispositiones diversissimas secundum partes homogeneas ut subjectum terminare, quidni & Anima secundum partes homogeneas poterit illas ut actus terminare: materia enim non magis est indivisibilis, quàm anima materialis, ut patet.

xlii. Contra 2^{um} etiam est, quod materia prima debeat exercere varias per diversas sui partes formarum & dispositionum receptiones haud secus quàm anima rationalis varias in diversis materiæ partibus functiones; illa tamen non ideo est indivisibilis aut heterogenea, vel ipsis adversariis factentibus. Deinde Responso ista aperte facit contra suum auctorem; si enim una anima indivisibilis possit in diversis materiæ partibus diversas habere dispositiones, aptas ad varias functiones suas, quidni & anima in plures partes divisibilis?

xliii. Contra tertium denique est, quod anima rationalis, & omnis forma indivisibilis, non petat determinatè habere has omnes dispositiones; licet non introducat in materiam nisi sint, & illi introducendæ proportionatæ sint; ignis enim non comburit sine prævia ad passum approximatione, & tamen approximationem non exigit. Ratio autè est, quia, dum materia disponitur, forma nondum est.

xliv. Objicies tamen 1^o, debet dari ratio, cur lapis & ignis habeant alia accidentia, mas & femina habeant diversa organa, cur hæc in Ovi partibus ova ponat, & mas non; cur vacca lactet & non bos; sed alia ratio dari non potest; quàm quia forma est heterogenea, ergo, &c.

xlv. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in materiam primam, debet dari ratio cur materia lapidis & materia ignis recipiant alia accidentia, &c.

xlvi. Respondeo 2^o, negando minorem; ratio enim est, quod causa illorum conformatrix & productiva sit in efficiendo virtualiter heterogenea, sive productiva effectuum diversæ rationis, quod clarè patet in viro & femina; hæc enim habet ubera & alia organa, quæ vir non habet, id tamen in ipsis refundi non potest in formam formaliter heterogeneam sed in causam conformatricem refundi debet.

xlvii. Instabis ex P. Ponceio hîc, intelligibile non est, quomodo forma ejusdem rationis possit ex se naturaliter principiare, in subjecto ejusdem rationis, accidentia diversæ rationis; ergo, &c.

xlviii. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum, per illius conversionem: intelligibile non est, quomodo materia ejusdem rationis possit ex se naturaliter subiectare, ad formam ejusdem rationis, accidentia

accidentia diversæ rationis, quod tamen in homine, velit, nolit, admittere debet.

XLIX. Respondeo 2^o, negando assumptum; id enim tam facile intelligitur, quàm quòd anima rationalis secum ejusdem rationis in seipsa producat diversæ rationis accidentia, & idem ferè ipse admittit in forma corporeitatis.

L. Urgebis ex eodem: si forma substantialis, oculi, carnis, ossis, &c. sit unius & ejusdem speciei; formæ ignis & lapidis erunt etiam ejusdem speciei; nam quòd spectent ad idem, vel diversum suppositum, nihil profus ad rem, quia diversitas suppositorum, non facit diversitatem specificam; Ergo, &c.

XLI. Responderet aliquis 1^o, illud argumentum nimium probare, videlicet, animam rationalem non posse esse formam unam supra formas partiales oculi, carnis, ossis, &c. Sed hæc solutio non satisfacit, quia dici potest id specialiter formæ spirituali convenire, à qua ad formas ignis & lapidis corporeas nulla potest esse sequela; unde animam spirituales esse talem formam omnes fatentur; unam verò dari formam materialem, quæ simul sit ignis & lapidis, nullus.

LII. Responderet aliquis 2^o, quòd spectent ad diversa supposita, facere, ut non procurent mutuum bonum & mutuas dispositiones, quas procurare debent, si ad idem spectent.

LIII. Sed contra est, quòd sic materiæ diversorum suppositorum ignis & lapidis deberent esse diversæ speciei; quia quòd spectent ad diversa supposita, facit, ut non procurent mutuum bonum, & mutuas dispositiones, quas procurare debent, si ad idem spectent: cur enim minus illæ, quàm formæ? si enim materia dividatur, partes divisæ non minus sunt duæ materiæ, quàm formæ ignis & lapidis, sint duæ formæ totales. Quare aliter

LIV. Respondeo negando sequelam; est enim disparitas, non quidem in eo, quòd illæ formæ fiat diversorum suppositorum; sed in eo, quòd forma ignis sit informativa materiæ istis, & non aliis accidentibus instructæ, & sic de forma lapidis; forma verò oculi informativa materiæ istis & simul aliis accidentibus ut carnis, ossis, &c. instructæ, ad quod tantum requiritur ut una forma sit perfectior aliâ, eo sensu quo adversarii fateri coguntur rationalem esse perfectiorem suâ animâ materiali constante partibus heterogeneis: si enim per experientiam vel aliter probare possent dari formam unam, quæ informare possit materiam ignis, lapidis, &c. à seipsa localiter divisam, eodem modo crederem utriusque formam esse homogeneâ, nec ullus id negare posset; unde item diversitas suppositorum planè impertinens est ad diversitatem specificam formarum.

LV. Super-urgetis: si partes animæ informantes carnem, oculum & ossa, sint ejusdem speciei, non erit ratio cur potius hæc pars educatur ex oculo, quàm quælibet alia, aut quàm ex carne; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

LVI. Respondent omnes ferè uno ore, hic ad Deum necessariò recurrendum, & petunt cur inter duas partes homogenei luminis v. g. hæc potius pars, quàm alia ex hac parte materiæ educatur? item, quòd idem est, cur ex duabus partibus homogeneis animæ duos oculos informantibus, una dextrum, alia sinistrum informet? numquid pro hac determinatione ad Deum recurrendum est? Sed

LVII. Contra, jam sæpius dixi, id non esse Philosophicum, meq; potius oppositum amplexurum,

quàm in purè naturalibus, ubi res aliter explicari potest, ad Deum recurrendum: Vnde ab illis peto, cur inter lumen & calorem v. g. lumen potius, quàm calor ex hac parte materiæ educatur?

LVIII. Respondebunt, quia agens luminosum adit, & non calidum. Proportionaliter sibi respondeant, inter duas partes luminis homogenei hanc potius partem, quàm aliam, ex hac parte materiæ educi, quia agens luminosum ex se determinatum est ad hanc partem potius quàm ad aliam ex hac parte materiæ sibi magis quàm alia applicatæ educendam. Vnde ad secundum

LIX. Iterum peto cur hæc anima, Leonis v. g. potius, quàm alia, hoc corpus organicum informet?

IX. Respondere debent (dato quòd Deus non determinet ad individuum, quòd lib. 2. Phys. Disp. 7. probavimus) agens creatum esse ex se determinatum ad illam in his circumstantiis, & non ad aliam, producendam. Proportionaliter sibi respondeant; quia agens creatum est ex se determinatum ad producendum in his circumstantiis ex duabus partibus homogeneis animæ duos oculos informantibus, unam in dextro, aliam in sinistro: illæ enim ex se determinationes sese mutuò necessariò sequuntur; quia, vel illæ duæ partes simul producuntur, vel successivè? si simul, agens illud determinatum est illam producere cum tali situ, sicuti determinatum est illas producere extensas, five cum extensione locali, ut patet: si successivè, ex se determinatum est ad producendam hanc vel has prius quàm illas. Quare aliter

LXI. Respondeo id provenire ex determinatione ipsius producentis formam: cum enim ex dictis in Physica creatura determinet ad individuum & seipsa determinata sit ad certam seriem effectuum tali vel tali ordine producendorum, consequenter etiam determinata erit, ut ex illa parte subjecti, hanc potius partem formæ educat, quàm aliam.

LXII. Adde, quòd hoc argumentum æquè præmat adversarios nostros, qui ideo heterogeneitatem admittunt. Quia inter partes heterogeneas multæ sunt homogeneæ, de quibus queritur, cur potius hæc, quàm illa de hac parte subjecti educatur.

LXIII. Objicies 2^o, si in materiam oculi introducatur dispositiones carnis, & fiat caro, numquàm poterit oculus se reducere ad pristinum statum; sed hoc fit, quia pars animæ heterogenea perit: ergo, &c.

LXIV. Resp. negando minorem; quia, ut patet, in oculo hominis, nulla perit pars heterogenea animæ; id igitur fit, quia perierit dispositiones aliquæ à sola virtute in utroque conformatrice producibiles.

LXV. Objicies 3^o, Oculus bovis & Leonis differunt specie per diversas specie animas: ergo oculus & cor bovis specie quoque differunt per diversas specie animas. Probatur consequentia, quia oculus bovis, & Leonis temperie, & cæteris accidentibus naturalibus similiores sunt, quàm oculus & cor ejusdem bovis: ergo, &c.

LXVI. Respondeo distinguendo assumptum, oculus bovis, & oculus Leonis, quæ oculus specie differunt, nego assumptum: quæ oculus animatus substantialiter specie differunt, concedo assumptum. Ergo oculus & cor bovis, quæ oculus & cor animati specie differunt, nego consequentiam: hujus Rationem dat D. Fromondus de Animalib. 1. cap. 5^o. quia oculus bovis & cor bovis harmonicâ quadam proportione quæ sub eadem anima devinciuntur & colligantur, magis inter se concordant quàm oculi

oculi bovis & leonis. Sed

LXVII. Contra est, quòd oculus Petri & cor Pauli, sive oculus bovis A. & cor bovis B. sint ejusdem speciei cum oculo & corde ejusdem Petri, sive cum oculo & corde ejusdem bovis; harmonicam tamen istam proportionem non dicunt, quà sub eodem colligentur. Deinde oculus bovis & cor leonis magis differunt, quàm oculus bovis & oculus leonis; sed hi specie differunt, ergo & à fortiori isti.

LXVIII. Respondebit negando consequentiam, quia propter harmonicam proportionem ad ejusdem speciei formam, magis concordant inter se: sed revera hinc gravia sequuntur absurda, ut animam rationalem & corpus propter harmonicam proportionem ad idem totum, minùs inter se distingui, quàm duas animas bovis: item oculum, cor, & ventrem Petri, minùs inter se distingui, quàm quatuor

oculos Petri & Pauli inter se; quia in istis est harmonica proportio ad Petrum, in his non. Quæ sunt valde absurda. Neque pro ipso facit S. Thomas de Spiritu creat. q. 1. art. 4. *Caro mea cum carne tua magis convenit secundum rationem speciei, quàm caro mea cum osse meo; sed secundum analogiam ad totum, est e converso; nam caro mea & os meum possunt ordinari ad unum totum constituendum, non autem caro mea & caro tua;* Quia ratione hujus analogiæ non mutat S. Thomas distinctionem specificam, uti D. Fromondus mutare debet per suam harmonicam proportionem, ut argumento satisfaciat.

LXIX. Ratio igitur alia est, quòd cor & oculus ejusdem bovis eadem animam informativam cordis & oculi informetur, non ita oculi bovis & leonis; quia non datur anima una informativa oculorum bovis & leonis, ut suppono, & fatentur omnes,

DISPUTATIO QUINTA

De Anima Sensitiva.

I. **D**E Anima Sensitiva, ejusdem potentis, & operationibus, pro exigentia vix tractari potest: nihil enim mirabilius fabrica organorum & varietate operationum animæ sensitivæ, nihilque scire homini delectabilius & utilius. Quia tamè pleraque ad Medicos spectant, ne videamur ultra metâ saltare, illa hic tantum discutiemus, quæ sunt magis Physica. Quare, sit

D V B I V M I.

Quid Anima Sensitiva, & an in brutis quibusdam sit rationalis?

II. **D**ari animam sensitivam omnes fatentur, & experientia docet; an autem in nonnullis brutis anima sensitiva sit rationalis, dubium est, quod hic movetur. Sed ante illius Resolutionem

III. Suppono 1^o, rationale sive potius ratiocinari, esse movere se propter rationem mediæ & finis inter duo extrema apprehensam, ab uno ad aliud per consequentiam intermediam progrediendo, sic nempe ut ratiocinans cognoscat bonitatem consequentiæ, & sciat quare actionem suam exercent.

IV. Suppono 2^o, de fide esse bruta animantia non cognoscere honestum ut honestum, sive quatenus conforme est regulis à Legislatore libero præscriptis; illud enim omnino convincit P. sal. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; id est, cognitio honesti ut honesti, alioqui, cum cognitio ista ordinetur ad electionem, hæc consequenter brutis concedi deberet, uti & paradus, vel infernus, quæ sunt hæretica.*

V. Suppono 3^o, motum per ratiocinationem prout opponitur motui per naturæ instinctum, debere esse actum liberum prout opponitur necessario; quia uti omne necessarium ut opponitur libero, est instigante naturâ, ita & per naturæ instigationem sive instinctum: unde cum dicitur bruta non moveri per ratiocinationem, sed instigari sive moveri per naturæ instinctum, in rigore idem est, ac si diceretur bruta non ratiocinari ad electionem, sed ad actus necessarios; juxta illud D. Thomæ 1. 2. q. 6. art. 2. in corpore. *Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehensio sine, aliquis potest deliberans de sine, & de his, quæ sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri. Imperfectam autem cognitionem finis sequitur*

voluntarium secundum rationem imperfectam. Prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum. Unde soli rationali naturæ competit voluntarium secundum rationem perfectam; sed secundum rationem imperfectam competit etiam brutis.

VI. Suppono 4^o, ratiocinari ut opponitur instigari, stare pro ratiocinari liberè; nam ratiocinari necessario prout opponitur ratiocinari liberè est quoddam instigari; quia, ut patet, illud est ex natura instigante & actus naturæ, &c. prout opponitur voluntati, sive principio libero. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

VII. **D**ico 1^o, anima sensitiva est principium sensationum, tam externarum, ut visionis, auditionis, &c. quàm internarum, ut imaginationis, timoris, &c. Hæc Resolutio per se patet.

R E S O L U T I O II.

VIII. **D**ico 2^o, in nullis brutis est anima sensitiva liberè rationalis, sive potius nulla bruta liberè ratiocinantur. Est de fide, & extra omnem controversiam.

R E S O L U T I O III.

IX. **D**ico 3^o, in nullis brutis est anima sensitiva rationalis simpliciter, sive potius, nulla bruta sunt simpliciter rationalia.

X. Probatur ex P. sal. 31. supra citato, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus;* igitur nec potentia ratiocinativa simpliciter: 2. Pet. 2. *irrationalia pecora, &c.*

XI. Confirmatur: quia per rationale simpliciter omnes intelligunt rationale, ut homo, Angelus, Deus, &c. Hæreticum autem est facere bruta ut sic rationalia, imò, ut ait Chryf. hom. 4. in Acta: *Per Philosophos enim hoc semper egit Diabolus, ut ostenderet nostrum genus nihil à brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia, dixerint rationalia esse, & animas nostras in musas, canes, & animalia bruta transmutare.* Ergo, &c.

R E S O L U T I O IV.

XII. **D**ico 4^o, in variis brutis est anima sensitiva necessario & secundum quid rationalis, sive potius multa bruta necessario, ex instinctu naturæ & secundum quid ratiocinantur: ita Avicenna lib. 6. natural. p. 4. cap. 2^o. Gabriell in 1^{um}. dist. 3. Niphus in Metaph. l. 1. Disp. 7. Iavellus q. 8. Conimb. 3. de Anima. Arriaga Phyl. Disp. 8. l. 7. ex aliis Plutararchus,

tarchus, Valla, Bodinus, Campanella apud D. Fromondum de Anima lib. 3. c. 10. art. 3.º idque mihi omnino certum, nisi disputetur de nomine.

XIII. Probatur, quia id infinitæ experientiæ convincunt.

XIV. 1ª, Elephantis composito gradu saltare & choreas ducere docti, apud Suet. cap. 6. Galbæ. De quo tamen plura apud Iul. Lipsium Epitola 50. Cent. 1. Miscel. quæ ibi ita miratur, ut ratione se omnino carere, fateatur, si prorsus illi.

XV. 2ª, Canis, qui in vas angusti oris, oleo semiplerum, lapidem misit ut oleum fursum extumereret, sic ut illud lingua attingere, & allambere posset: Apud Plutarchum lib. de prudentia animalium.

XVI. 3ª, Vulpis aurem glaciei admoventis, antequam concretos gelu fluvios transeat, sic ut defluentis aquæ sonum audiens, redeat; non audiens, transeat: apud eundem Plutarchum ibidem.

XVII. De similibus sunt etiam experientiæ familiarissimæ: hæc fusiùs deducta habes apud D. Fromondum de Anima lib. 3. c. 1.

XVIII. Atqui omnia ista significant bruta illa movere se propter rationem mediæ & finis inter duo extrema apprehensam, ab uno ad aliud propter consequentiam intermediam progrediendo, &c. Ergo, &c.

XIX. Confirm. 1º, Scriptura Prov. 6. *Vade ad formicam & piger & considera vias eius; idque merito extenditur ad apes: nam apes ait Campanella l. 2. de sensu c. 23. Habent regem, obedientiam, excubias, fabros, servos, magistros operum, &c. Et tantâ arte cellas fabricant, ut nostras superent & discere sapientiam. Fornicarum ehim & apum viæ & sapientia sine ratiocinatione secundum quid & necessaria ex instinctu naturæ, non videntur esse posse. Ergo, &c.*

XX. Confirmatur 2º, ex D. Thoma 1. p. q. 78. art. 4. ad 2.º. *Oporet ad sensum communem (qui est in brutis) pertinere discretionis iudicium; Atqui iudicium discretionis est quedam ratiocinatio, v. g. Illud est tale, sed hoc non est tale; ergo hoc non est illud. Vnde ad 5.º. postquam in conclusione dixerat principium memorandi esse in animalibus brutis, ait: Dicendum quod illam eminentiam (puta utendi quodam syllogismo ad inquirendum) habet memorativa in homine. Neque D. Thomas videtur à brutis aliud ratiocinari excludere, quàm in ordine ad electionem, sive ad actus liberos, ut patet ex loco supposito tertio citato.*

XXI. Objicies ex D. Fromondo de Anima l. 3. c. 10. a. 2. *Videte enim paulisper nobiscum mores bestiarum, omnes ejusdem speciei, ut ad finem aliquem perveniant, uno eodemque medio & modo uti consueverunt. Aviculas accipimus in exemplum. Univerſa unius speciei hirundines ad generationem & educationem pullorum, nidos ex luto eadem formâ construunt, & ex tectis aut fenestris domorum in propatulo suspendunt. Omnes passeris latebras præferunt, & in abdito tectorum, aut cavis arborum, plumas tantum & stramenta in nidos concimant. Omnes philomelæ è musco arborum, & seris animalium, circumjectis arborum solis, in ipsa superficie terre inter dumos vidulantur. Omnes acanthides laneos lares hirtæ arboris ramo intexunt. Omnes linariæ lanam etiam in materiam rapiunt, sed in ruborum, aut dumorum opacitate nidos abscondunt. Omnes verò galguli eos instar corbium, è ramo arboris suspendunt. Omnes turdi & merulæ fundo oblinito muscum circumadificant. Omnes pice spinis circumsepiciunt, & aliæ aves, quas longo ordine recensere possem, & in puericia callidus auceps adnotavi, omnes ejusdem generis unicam architectandi artem norunt. Vnde autem*

tanta paritas, & uniformitas? sine dubio, quia rationem mediæ & finis non cognoscunt; neque inter varias adificiorum formulas hanc vel istam in ideam futuri operis assumere, & materiam illi fini idoneam eligere possunt. Vnde falsum omnino est, quod à sine ad media aut ratiocinando, aut appetendo progrediantur. Alias enim cum innumere sint nidorum formulæ, ad pariendum & fovendum ova perinde idoneæ, quedam hirundinum ejusdem speciei (nam domesticæ ille nigra & bifida caudâ, & ripariæ à parietariis & vulgaribus specie dissidem) aliam interdum formam & materiam operi suo seligerent; ut inter homines, Belgas, Germanos, Italos, Hispanos, Francos, aliter aliterque architectantes cernimus. Quia igitur bruta animantes nullam artem architectonicam, defectu rationis & ratiocinationis discere possunt, Natura, id est Deus, unam artem, quam omnes ejusdem speciei sequantur, eis impressit.

XXII. Respondeo negando consequentiam: quia ista omnia solum convincunt bruta ista animalia necessariò & secundum quid tantum ratiocinari, non liberè & simpliciter; sive non ratiocinari ex liberatione & in ordine ad electionem, sed ad raptum unius partis. Cur obsecro, sicut dari potest cogitatio necessaria mediæ & finis, non posset dari collatio necessaria inter medium & finem? talis enim omnino datur virtualiter in Deo & Angelis, cum hoc tamen inter plurima discrimine, quod in illis sit in ordine ad electionem, non ita in brutis, ut diximus supra.

XXIII. Instabis ex S. Augustino lib. de Quantitate Animæ cap. 28. ubi dicit, *Feras non habere sapientiam, totamque illam velut imaginem scientiæ, quam miramur, vim esse sentiendi. Ergo, &c.*

XXIV. Resp. S. Augustinum per sapientiam, ibi opus rationis prout opponitur operi corporis, intelligere juxta hoc quod subdit cap. 29. sequenti, *vellem ut diceres non continud esse scientiam sive sapientiam; si quod non latet; sed si per rationem non latet, cum autem per corpus non latet sensum vocari, &c. id est, quod ante latens per discursum non latens dicitur, si discursus sit opus potentiæ spiritualis, sapientia est & scientia; si verò opus potentiæ corporalis, vis sentiendi dici debet, non sapientia, quia hæc simpliciter pro discursu opere potentiæ spiritualis fiat, quæ omnia ultro fatemur, nec volumus bruta esse rationalia simpliciter, sed cum addito ex solo instinctu naturæ & secundum quid.*

XXV. Objicies 2º, ex D. Fromondo loco supra citato art. 3. Si ex ordinata actionum serie, quæ bruta procedunt, liceret cognitionem mediæ & finis & ab uno eorum ad alterum, verum discursum & ratiocinationem colligere; profectò in arboribus quoque & rebus insensibilibus, ratio & ratiocinatio inesset. Illa enim alimenti per radices telluri infixas attractio, concoctio, & dispensatio per univèrsam arboris corpus, cum admirabili omnium partium proportionem; foliorum & florum extrusio, fructuum educatio, & tota illa animæ vegetativæ in nutritione sui corporis Oeconomia, non minùs ingenii & admirationis habet, quàm omnium vulpium, fimiariarum, canum ambagiosæ imaginationes & astutiæ.

XXVI. Deinde, quid virtute conformatrice ingeniosius? non existimo in Divino illo coelestium spherarum & astorum horologio, plus ingenii & admirationis esse, quàm in organica ista unius animalis, aut plantæ conformatione, à virtute seminis inanimâ, aut certè ab animâ quidem, sed operationem suam non intelligente. Ita ille.

xxvii. Respondeo negando sequelam, & ratio est, quòd in brutis experiamur discursus & ratiocinationes aliquo usque similes discursui & ratiocinationi hominum; quæ in plantis non magis experimur, quàm in igne & similibus, quæ ab omnibus non habentur rationalia: deinde ratiocinari supponit principium cognoscitivum, quod omnes plantis negant, & brutis concedunt: imò S. Thomas 1. p. q. 78. art. 4.º dicit, *Avic colligit paleam, non quia delectat sensum; sed quia utilis est ad nidificandum.* Et loco supra citato: *Et ideo in homine non sunt aliæ vires utendi quodam Syllogismo ad inquirendum, sed eadem, perfectiores, quam sint in aliis animalibus.*

DVBIVM II.

Quot potentia Animæ sensitivæ, & quæ sint?

RESOLUTIO I.

xxviii. **D**ico 1.º, potentia animæ sensitivæ generaliter numerantur tres, scilicet cogitativa aut cognoscitiva, & est illa, quæ objectum percipitur ab animali: 2.º appetitiva, & est illa, per quam animal objectum appetit ut bonum, vel averatur ut malum; 3.º locomotiva, & est illa, quæ animal se localiter movet, vel ut quod appetit, obrineat, vel, ut, quod averatur, fugiat; ad loco-motivam refertur fatus, seu potentia fandi.

RESOLUTIO II.

xxix. **D**ico 2.º, potentia sensitiva, sive sensus, numeratur communiter duplex, scilicet internus & externus; externus est cujus operationes immediatè pendent ab organo & objecto externis, sive extra animal apparentibus; internus è contra, cujus operationes immediatè tantum ab organo intra animal latitante pendent, cum sola dependentia mediata ab organo & objecto externis; propter quod fit, quòd sensus internus plerumque ab objecto absente moveatur, non item externus.

RESOLUTIO III.

xxx. **D**ico 3.º, sensus externus numeratur quintuplex, scilicet visus, auditus, tactus, gustus, odoratus, de quibus infra fusius.

Dices sitis & fames, dolor & voluptas, gravitas & levitas, sunt objecta sensus externi, nullius tamè ex illis, ergo sensus numerari debet plusquàm quintuplex.

xxxi. Respondeo sitim & famem, pro contractione ventriculi, esse objecta tactus; pro dolore verò inde orto, esse objecta potentia appetitivæ; sicut & voluptatem formaliter pro actu formali appetitus sumptam; secus pro objecto talis actus; sic enim ad illum sensum externum spectant, ad quem spectat illud objectum; gravitas denique & levitas secundum se, non sunt objecta alicujus sensus, sed ratione majoris vel minoris compressionis ipsius corporis, quomodo spectant ad tactum.

RESOLUTIO IV.

xxxii. **D**ico 4.º, sensus internus à variis etiam, apud Rubium, numeratur quintuplex, scilicet sensus communis, memoria æstimatoria, imaginativa & phantasia; per sensum communem percipiuntur omnia objecta sensuum externorum; per memoriam actuantur species objecti externi aliquando percepti in sensu interno existentes; per imaginativam formantur ex diversis speciebus rerum aliquando sensu perceptarum; imperceptarum imagines: per æstimatoriam percipitur ratio convenientiæ vel inconvenientiæ, quæ sub sen-

sum externum non cadit; sic enim movetur canis ad comedendum movente æstimatoria, quòd conveniat cani manducare; phantasia verò melius cum imaginativa confunditur, quàm distinguatur, sic ut cum D. Thoma 1. p. q. 78. art. 4.º quatuor tantum sensus internos agnoscamus, videlicet *sensum communem, imaginativam sive phantasticam, æstimatoriam & memorativam.* Hic tamen advertere debes omnes illas potentias esse eandem animæ entitatem, quatenus talis vel talis actus elicitivam, ac proinde dicimus cum S. Augustino de libero Arbitrio lib. 2.º cap. 3.º unicum esse sensum internum ad quem (inquit) *ab istis quinque notissimis sensibus omnia referuntur, qui omnibus communiter præsidet, præcellens sensibus corporis, &c.*

DVBIVM III.

Quæ, & quibus animalibus potentia assignata convenient?

RESOLUTIO.

xxxiii. **D**ico hoc dubium non esse nostri fori, ut tamen tantillum curiosis satisfaciam, valde probabile puto omne animal habere sensus aliquos internos & externos, nam quodlibet animal, si pungatur, læsionem percipit, in quo est tactus, & ut læsionem evitet, se contrahit, in quo est potentia æstimatoria; imò vel in limace, tactum, æstimatoriam, & memoriam notamus; tactum imprimis & æstimatoriam, quia læsus cornua contrahit ut læsionem vitet, deinde aliquamdiu illa intus continet, in quo est memoria præteritæ læsionis: de gustu verò videtur probabilius, quia omnia quærunt alimentum tibi conveniens; sed quid de piscibus? an auditum & odoratum habeant, de visu vix ullus dubitat, qui cum Aristotele de Historia animalium l. 4.º c. 8.º in talpis subtilem visum agnoscit: de auditu aliquid colligere est ex piscatorum silentio & furtivo gradu, quo ad pisces accedunt: de odoratu videtur certius, cum nonnulli ut lupi pisces aquam fetidam averfentur, anguillæ verò appetant. Sed Quæres an homo sensibus præstet cæteris animalibus?

Respondeo negando juxta hos versus:

*Nos aper auditu, limæ visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.*

Sensus tamen hominis utpote nobiliorem formam sequentes, & in entitate saltem inadæquatè spirituales, sunt aliis nobiliores.

DVBIVM IV.

An sensus sint potentia activæ & passivæ?

RESOLUTIO.

xxxiv. **D**ico, sive sensus sumatur pro eo, quod præcisè dicitur ex parte animæ, sive præcisè pro eo, quod dicitur ex parte corporis seu organi est partialiter activus & partialiter passivus ipsius sensationis.

xxxv. Probatur, quia sensus, tam ex parte animæ, etiam rationalis, quàm ex parte organi, est sufficienter proportionatus ad partialiter agendum & partialiter patiendum ipsam sensationem; ergo, &c.

xxxvi. Probatur antecessè pro 1.ª parte (pro secundâ enim satis inter omnes cõvenit) quia anima, etiam rationalis, est sufficienter proportionata ad producendam sensationem, quidni & ad illam partialiter

tialiter recipiendam? nam plus perfectionis requiritur ad agendum, quam ad patiendum, ut patet ex materia 1a, ergo, &c.

xxxvii. Objicies 1^o, ex P. Ovidio: anima rationalis non potest esse adæquatum subiectum ullius formæ materialis, ac per consequens, nec sensationis, ergo nec inadæquatum seu parziale: Probatur consequentia; quia ideo non potest esse adæquatum; quia inter rem spirituales & materialem est improprio; sed eadem improprio remanet respectu subiecti adæquati; ergo, &c.

xxxviii. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in accidens & phantasma; accidens non potest esse adæquatum principium substantiæ, phantasma principium adæquatum speciei intellectualis spiritualis; quia inter accidens & substantiam, inter phantasma materiale & speciem spirituales est improprio; sed eadem improprio remanet respectu principii inadæquati, ergo, &c. consequentia hæc est contra ipsummet Ovidium Physicæ controversia 9. puncto 4. pro accidente: Pro phantasmate verò de Anima controversia 1. puncto 5. ubi dicit illa posse esse principia inadæquata, non obstante suâ improprio; ergo & hic idem in principio passivo, non obstante suâ improprio, admittere debet. Vndè

xxxix. Respondeo 2^o, concessio antecedente negando consequentiam ad ejus probationem distinguo; ideo non potest esse adæquatum, quia inter rem spirituales & materialem est improprio subiecti adæquati ad formam, concedo, subiecti inadæquati, nego: sicut enim inter causam & effectum potest esse improprio causæ adæquatæ & portio causæ inadæquatæ, ita inter subiectum & formam potest esse improprio subiecti adæquati, & portio subiecti inadæquati.

xl. Objicies 2^o, sensatio non distinguitur à speciebus impressis, vel saltem (si realiter distinguatur) ab illis loco organi producitur; ergo, &c.

xli. Respondeo negando antecedens pro 1^a parte, quia quantum experimur, qui dormiunt oculis apertis, ut lepores, vel qui vehementi distractione oculis apertis detinentur, habent species impressas, non tamen visionem, ergo visio ab illis distinguitur, nec ab illis realiter distinctis producitur.

D V B I V M V.

Quid sit objectum sensibile & an detur objectum sensibile commune?

R E S O L U T I O I.

xlii. Dico 1^o, objectum sensibile est illud, quod aliquo sensu percipitur; vel ratione sui, ut color respectu visus, sapor respectu gustus; vel ratione qualitatis superadditæ, ut paries respectu coloris, pomum ratione saporis; vel ex comparatione diversarum sensationum inter se, ut motus respectu sensus interni; de quo statim fusius.

R E S O L U T I O I I.

Ante hanc Resolutionem
xliii. Suppono 1^o, esse apud omnes certum dari sensibile proprium, id est, objectum, quod ratione sui unicum objectum movere potest ut color visum, sonus auditum, &c. de quo dubiis sequentibus.

xliii. Suppono 2^o, per sensibile commune hæc intelligi objectum ratione sui, sive secundum se im-

mediate, à duobus saltem, aut pluribus sensibus externis perceptibile; non verò objectum sensus communis, quia omnibus certum est illud dari.

xlv. Dixi à duobus saltem aut pluribus sensibus, quia certum est quinque sensibilia communia ab Aristotele enumerata, quæ sunt figura, magnitudo, numerus, motus, quies, non esse ab omnibus sensibus externis perceptibilia; nam figura, nec auditu, nec odoratu percipitur; nec quies ab illis, vel ab ullo alio sensu externo, sive sumatur pro negatione motus, sive pro permanentia in esse, prout importat fuisse in eodem loco, quorum alterutro modo sumi debet, percipitur. His suppositis,

xlvi. Dico 2^o, non datur sensibile commune ratione sui, sive secundum se immediate, à duobus saltem, aut pluribus sensibus externis perceptibile.

xlvii. Probatur, quia, vel illud perciperetur per speciem propriam, ut vult Scotus, Egidius, Iandunus, vel per alienam & sensibilis proprii, sed modificatam à sensibili communi, ita ut ipsum simul etiam repræsentet, ut docent Thomistæ, Bannes, Mursia, Conimb. Suarez, & plures alii, quos respiciunt Ovidius, Arriaga, Poncius & nuperrimè D. Fromondus de Anima lib. 3. cap. 2. art. 2. negantes aliud sensibile commune præter præsentiam objecti, sive ubicationem, & docentes hanc à visu & auditu simul cum objecto, in quo est, percipi: sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor pro 1^a parte; quia non datur species propria sensibilis communis, ergo, &c. Probatur hoc antecedens 1^o, quia alioqui non est cur sicut in vehementi distractione quandoque videtur aliquis color sine figura, quandoque etiam non videretur figura sine colore aliquo, contra experientiam & rationem. 2^o sicut videns potest intra colorem ita constitui, ut illius extremitates & figuram non videat, ita posset constitui intra figuram ut illius colorem non videret, hoc iterum est contra experientiam & rationem: cur enim hoc, non verò illud, nisi quia figura non habet speciem propriam, bene autem color? 3^o figura non distinguitur realiter à sit 1, situs verò ab ubi; sed ubi non datur species propria, quia alioqui contra Copernicum non dubitarem, an terra moveretur, aut an idem in eodem loco vertendo se motum esset; an sit idem & non omnino simile in locum prioris suffectum, &c. item navi inclusi non dubitarem de motu aut quiete navis, contra experientiam. 4^o esset alia species conservationis rei, (si haberent species:) Sed dubitant Philosophi, an ubi sit distinctum realiter à conservatione rei, an indistinctum, ergo non datur species propria ubi: alioqui de eo non dubitaretur, nisi velis visum habere etiam speciem propriam conservationis, quod nullus huc usque dixit; quia alioqui ad oculum pariter conservationem realiter distingui à causa conservante, & re conservata, quod nullus admisit.

xlviii. Adde quòd aliqui dubitent an ubi sit realiter distinctum à negatione motus localis, quæ cum admittere non possit species, clarum est, nequidem ubi illas emittere, alioqui illud dubium esset, contra visum quod nemo dixit.

xlix. 5^o. Datur species sensibilis proprii separata à specie sensibilis communis (ut constat ex statim præmissis) & numquam datur species sensibilis communis, saltem attendendo ad ubi & numerum, sine specie sensibilis proprii, ergo verisimilius est hoc habere speciem propriam, & illud non habere; alioqui similiter dicerem conservationem, durationem,

nem, (si distincta) & hæc ceitates, etiam habere propriam speciem, quod unanimiter negant adversarii.

L. Adde nullam esse necessitatem admittendi species proprias sensibilis communis, imò esse inutiles, ut constat ex confirmatione secundæ partis.

LI. Probatur minor pro 2^a parte; quia non datur modificatio propriæ speciei sensibilis proprii, ergo, &c. Probatur antecedens 1^o ut ante, quia alioqui non esset, cur sicut in vehementi distractione quandoque videtur aliquis sine figura modificante, ita quandoque etiam non videretur figura modificans sine aliquo colore.

LII. Nec dicas modificatum posse separari à modificante, non verò modificans à modificato: Quia, vel est idem specie modificans objectum visus & auditus secundum te; vel non? si sic, est separabile à modificato; quia dum modificat objectum visus v. g. præsentia colorem, non modificat objectum auditus v. g. similis præsentia sonum: si non, ergo non est idem sensibile commune, quia nequidè modificans est cõmune multis sensibus externis.

LIII. Probatur antecedens 2^o: vel modificans est per se & secundum se separatam à sensibili proprio, vel non? non primum, quia alioqui haberet speciem propriam, quod statim impugnatum est: neque secundum, quia alioqui non aliter esset sensibile, quàm quia inseparabiliter conjunctum cum sensibili proprio, & consequenter, quàm substantia, aut quàm conservatio rei, duratio, &c. ac proinde non esset sensibile commune per se, sed per accidens, ut contendimus.

Huc etiam confer alias probationes allatas pro probatione minoris pro 1^a parte, mutando *ly species in ly modificatio*, dum est mentio speciei sensibilis communis.

LIV. Confirmatur 1^o, vel *ubi* est ultima determinatio ipsius speciei sensibilis proprii ut per ipsam *ut quo* sentiat, vel non? si non, debet per aliud ad hoc determinari, & hoc aliud per aliud, & sic in infinitum: si sic, tam deberet esse ultima determinatio ipsius speciei sensibilis proprii ut per ipsam *ut quo* sentiat secundum quod dat præsentiam, distantiam, dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, &c. quàm secundum quod dicitur esse in loco; quia omnia illa æquè *ubi* identificantur; sed non est ultima determinatio ut per speciem sensibilis proprii sentiat, secundum quod dat præsentiam, distantiam, &c. quia sæpius videmus objectum, & non videmus esse præsens omni corpori, cui præsens est; uti nec esse distans ab omni corpore cui distans est; ergo nullo modo est ultima determinatio ipsius speciei sensibilis proprii, ut per ipsam *ut quo* sentiat.

LV. Confirmatur 2^o, illa modificatio est omnino superflua & inutilis, ergo, &c. Probatur antecedens, sine ipsa habetur sensibile proprium ut sensibile proprium (ut omnes fateri debent,) & per illam non habetur sensibile commune ut commune, propter quod à suis auctoribus defenditur. Probatur hæc ultima pars assumpti; quia nec per illam separatam à specie sensibilis proprii habetur sensibile commune, ut statim ostensum est; nec per illam ut conjunctam speciei sensibilis proprii, quia conjuncta cū albedine non potest facere objectum auditus, aut alterius sensus, quàm visus, ut patet, ergo, &c. Hinc

LVI. Patet, quid dicendum sit de aliis sensibilibus communibus, quia fundantur in *ubi*, vel important negationem aliquam, ut motus, desertionem termini à quo; quies negationem motus; numerus

negationem conjunctionis; parvitas absentiam partium aliarum; & idem est de figura; negatio autem, nec emittit speciem positivam nec positivè speciem proprii sensibilis modificare potest.

LVII. Objicies 1^o, auctoritatem Aristotelis, & jam receptam omnium Philosophorum doctrinam, admittentium sensibile commune.

LVIII. Respondeo Aristotelem non admittere sensibile per se & ratione sui diversis sensibus externis commune; sed tantum per se, & ratione sui commune diversis objectis sensibilibus propriis: nam ut constat ex quinque sensibilibus communibus, quæ enumerat Aristoteles, sunt quidem per se & ratione sui communià diversis objectis sensibilibus propriis, non verò diversis sensibus externis; quia alioqui, cum juxta hos auctores per eandem speciem sensus externus feratur in sensibile commune & proprium, non posset magis sensus externus errare circa sensibile commune, quàm circa proprium, quod expressè negat hîc l. 2^o. Aristoteles.

LIX. Adde quòd, nec ipse, nec alii Philosophi aliter juxta rectam rationem loqui possint, ut constat ex probationibus Resolutionis.

LX. Objicies 2^o, ex Murcia, color v. g. non percipitur in abstracto, sed prout hîc & nunc jacet à parte rei, cum tali vel tali præsentia locali, ita ut color & præsentia talis sint unum objectum per speciem repræsentatum. Ergo, &c.

LXI. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in durationem distinctam in sententia ipsorum, conservationem; hæc ceitates, &c. Item in distantiam à cæteris corporibus, præsentiam dextram vel sinistram illis, quibus præsens est; tam enim jacet à parte rei cum illis, quàm cum præsentia locali; & tamen secundum omnes color & illa non sunt unum objectum per speciem repræsentatum.

LXII. Respondeo 2^o, negando antecedens, cujus falsitas satis declaratur ex præmissis.

LXIII. Instabis ex Attriaga & Oviedo post ipsum, si visus non perciperet ubicationem sui objecti, sed tantum entitatem coloris; non illum cognosceret ad hoc latus, potius quàm ad illud; sursum potius, quàm deorsum; in hac vel illa distantia, &c. sed præcisè apprehenderet albedinem, sicut apprehendimus Turcam aut Angelum, præcisè abstrahendo à loco? Hoc autem est apertè falsum & contra experientiam, ergo, &c.

LXIV. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum: si tactus, gustus & olfactus non perciperent ubicationem sui objecti, sed tantum entitatem, non illud cognoscerent ad hoc latus, potius quàm ad illud, &c. sed præcisè apprehenderent entitatem sui objecti, sicut apprehenderent Turcam, Angelum, &c. abstrahendo præcisè à loco: hoc autem est apertè falsum & contra experientiam; admittere verò *ubi* esse objectum quinque sensuum, est ridiculum; quia consequenter dicendum esset gustum, auditum, olfactum, &c. percipere figuram sui objecti, quia illa ab *ubi* non distinguitur realiter; id verò est contra omnem experientiam.

LXV. Respondeo 2^o, negando assumptum; quòd enim albedo cognoscat potius esse ad hoc latus, quàm ad illud, sursum potius quàm deorsum, in hac vel illa distantia, non provenit à visu, sed ab intellectu aut sensu communi, per diversas sensationes ex diversis speciebus aliter atque aliter in oculo incidentibus v. g. ex hoc latere potius quàm ex illo, de sursum potius quàm deorsum ex tali vel tali loco

loco distanti (quo enim magis distat objectum, eò minus species feriunt potentiam) inter se comparante; vel etiam diversas pupillarum inter se divaricationes, quæ sunt majores vel minores pro majori vel minori objectorum inter se distantia; ad hanc intellectus seu sensus communis comparationem, communiter refugium etiam ipsi adversarii, ut quando dubitant, an Petrus, verbi gratia tale objectum viderit, talem pulsum audiverit, &c. conferunt enim per intellectum, vel per sensum communem dispositionem præsentem corporis, oculorum, & aurium ipsius Petri, cum ea dispositione corporis, oculorum, aurium, &c. quam habere solet, dum videt & audit, & ex illa collatione cognoscunt visionem & auditionem Petri, quæ tamen in se & ratione sui non emittit speciem visivalem aut audibilem, nec modificat speciem sensibilis proprii, quia ad extra nihil agit.

LXVI. Urgebis, si simul cum entitate coloris non videatur ubi coloris, ut quid boves pontem transcuntentes in aqua repræsentantur cum dorso cælo affixo & pedibus in aëre, & sic progredi?

LXVII. Respondeo, quia simul cum specie bovis in aqua habemus speciem cælorum, & sensus communis per collationem illarum inter se cognoscit boves habere dorsum versum cælum.

LXVIII. Objicies 3., nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: atqui intelligimus omnia sensibilia communia ab Aristotele allata; ergo, &c.

LXIX. Respondeo distinguendo majorem, nihil est in intellectu, quod prius secundum se & ratione sui, non fuerit in sensu (scilicet externo) nego majorem: negationes enim & entia rationis sunt in intellectu, secundum se tamen, & ratione sui, nunquam fuerunt in sensu externo: secundum aliud & ratione ejus, quod præbet occasionem intellectui aliud ex ipso sensato inferendi, concedo majorem: unde dic nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu externo ipsum occasionante, bene autem quod prius non fuerit in sensu externo ipsum sentiente; quod clare insinuat D. Thomas 1. p. q. 84. art. 7. *Alias etiam incorporeas substantias, in statu præsentis vite cognoscere non possumus nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia: & ideo cum de hujusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus converti ad phantasmas corporum, licet (nota) ipsorum non sint phantasmata.*

LXX. Adde quod major alio modo distingui possit, scilicet, nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu externo vel interno occasionante, concedo, externo nego; cum enim sensus internus sit supra sensationes externas reflexivus & earum inter se comparativus, potest ex illis aliquid colligere & inferre, quod postmodum potest intellectus cognoscere & inde aliud, illud autem collectum & illatum secundum se & ratione sui non fuit in sensu externo sentiente, sed occasionante tantum, quomodo lubenter admittimus nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

LXXI. Objicies 4., ridiculum est me non videre Petrum currentem, quod sequitur ex nostra Resolutione, ut quid enim vacca in pratis & oves in campis currunt post invicem, nisi quia vident priores currentes?

LXXII. Respondeo ridiculum non esse, non videre quod est invisibile, ut est cursus; distinguo tamen assumptum, ridiculum est me non videre Petrum currentem materialiter & secundum se, con-

cedo: formaliter & secundum cursum, nego assumptum, quia ille invisibilis est, sensibilis tamen: unde dum video materialiter currentem, sensus internus ex comparatione diversarum sensationum à diversis speciebus aliter atque aliter in oculum incidentibus causarum sentit Petrum currere; & sic est de vaccis & ovibus, ex quo moventur ad similiter currendum.

DUBIUM VI.

An sensus externi circa proprium objectum falli possint?

ANte Resolutionem LXIII. Suppono falsitatem hinc non proprie sumi prout est falsitas compositionis; sed improprie, prout est repræsentatio objecti aliter quam sit; clara enim est sensum non posse falli primo modo, quia talis falsitas est propositionalis. Hoc supposito, sic

RESOLUTIO I.

LXXIV. **D**ico 1º, sensus externus circa rationem communem proprii sensibilis falli non potest.

LXXV. Probatur, quia quidquid percipit auditus, sonus est; quidquid visus color, quidquid gustus, sapor, &c. ergo, &c. Probatur antecedens, quia alioqui ferretur extra latitudinem sui objecti, quod repugnat; Ergo, &c.

LXXVI. Confirmatur ex Aristotele qui hic dicit sensum externum *circa sensibile proprium non errare, bene autem circa sensibile commune*, id est, sensus externus, visus v. g. circa colorem quæ color est, errare non potest, bene autem circa objectum quod est commune pluribus sensibus, ut ubi, duratio, &c. quia horum species non habet.

LXXVII. Dices forte Aristotelem commodius hoc modo intelligi, *Circa sensibile proprium particulare, id est, quod uni soli sensui est proportionatum, non errare; bene autem circa sensibile commune, id est, quod pluribus sensibus est proportionatum.* Nam ut docet Fromondus de Anima lib. 3. cap. 2. art. 3. in sensu quoque errores quidam cadunt, ut cum remus in aqua inflexus videtur, qui in aëre & oculis & tactu deprehenditur esse rectus: Item cum in collo columbæ ad solem inflexo, varii apparent colores, sive in lumine solis, sive in diversis plumulis varietas ista depicta sit; Ergo, &c.

LXXVIII. Respondeo Aristotelem ibi non accipere sensibile proprium prout est uni tantum sensui proportionatum; alioqui manifestè falsum doceret: quia manifestum est sensum interdum circa sensibile proprium in particulari v. g. circa hujus speciei colorem, errare: sensibile autem commune ab eodem non accipi prout est plurimum sensuum; patet ex dubio præcedenti.

LXXIX. Ad exempla autem Doctoris Fromondi Respondeo sensum ibi non errare, circa sensibile proprium, aut commune sibi & alteri sensui externo; sed circa sensibile sensui interno proprium prout est dicta remi inflexio in aqua, & apparentes illi colores in columbæ collo, aut Inde: unde etiam pro nobis faciunt.

RESOLUTIO II.

LXXX. **D**ico 2º, sensus externus per se etiam falli non potest circa rationem particularem sensibilis proprii, per accidens potest, v. g. si sensibile nimium distet; ob distantiam enim non satis distinguimus inter ceruleum & viride; &c. Item si medium

medium non bene fit proportionatum, propter quod baculus non fractus apparet in aqua fractus, in vitro trigono omnia variegata, &c. Item si organum non sit bene dispositum per qualitates illi debitas, defectu cuius infirmi malè iudicant de saporibus, &c.

LXXXI. Probatur 1^a Pars, quia sensus externus repræsentat suum objectum in particulari, prout species nata est illud sensui applicare; sed nata est illud sensui applicare prout à parte rei, ergo illud repræsentat sensus externus prout est à parte rei, ac per consequens per se circa illud falli non potest.

LXXXII. 2^a Pars patet ex præmissis.

D V B I V M V I I.

An sensibile positum supra sensorium, sive sensum, sentiiri possit?

R E S O L U T I O.

LXXXIII. **D**ico contra Scotum quæst. 4. de Anima, Conimbricenses, Cavelum, nostros Complutenses, & alios peripatheticos ac Thomistas, sensibile positum supra quemvis sensum externum per se loquendo sentiiri potest.

LXXXIV. Probatur 1^o, de visu contra P. Poncium; quia illis, qui dispersione flavæ bilis laborant, omnia apparent flava, eò quòd medio colore flavo in retina existente, omnia intueantur; deinde convertentes faciem ad solem, in oculis, etiam clausis, aliquid luminis percipimus, ut experientia docet. 2^o de tactu contra Complutenses nostros, quia calidum & frigidum supra manum sentiitur; dicere autem quòd sensatio tactus non fiat in pelle, sed in carne, est longè petium; quia si detrahatur pellis calidum aut frigidum immediatè sentiitur à carne, imò illà non detractà, jam immediatè per poros pellis, sentiitur à carne, aut quovis nervo organo tactus. 3^o de odoratu & auditu contra Conimbricenses, quia fumus odoriferus intra nates ab olfactu odoratur, & sonus diffusus usque ad organum, ab auditu sentiitur, ut experientia docet. 4^o de gustu similiter experientia docet cibum supra linguam sentiiri: Ergo, &c.

LXXXV. Dixi per se loquendo, quia si sensibile sit opacum, & supra sensorium, opacitate sua impedit illuminationem objecti necessariò requisitam ad visionem, & de hoc sensibili intelligendus est Aristoteles, cum dicit *sensibile supra sensum positum non facere sensationem*: quòd verò loquatur indefinitè, non obstat; quia cum de uno solo sensibili visus, videret posse esse dubium, non debuit, an definitè, an indefinitè loqueretur, attendere.

D V B I V M V I I I.

An sensorium lædatur à vehemènti sensibili?

R E S O L U T I O.

LXXXVI. **D**ico contra Rubium, Ioannem à Sancto Thoma, Arriagam, Poncium & alios recentiores, sensorium interdum lædatur à vehemènti sensibili ut sensibili.

LXXXVII. Probatur quia ex calligatione læditur oculus, & ex disgregatione nimia visus; oculi enim nimia luce ut luce calligant, & visus nimia albedine ut albedine disgregatur. 2^o tactus à nimio calore ut calore, à vehemèntiori sono ut sono auditus, à nimio fœtore ut fœtore odoratus, à nimia amaritudine ut amaritudine gustus, interdum læditur, ergo & à vehemèntiori sensibili ut sensibili sensorium interdum læditur: consequentia patet. Antecedens experientia probatur.

LXXXVIII. Confirmatur ex Philosopho, qui dicit hïc, *à vehemèntiori sensibili lædi sensum, sive sensorium.*

LXXXIX. Dices nimium sensibile lædere sensorium, non ut sensibile, sed quatenus producit aliquas qualitates nocivas distinctas à sua specie: ita Ovidius & Poncius; alii autem ut Arriaga, quatenus rapiendo potentiam ad internam operationem attrahit ad illam plures spiritus vitales. Sed

xc. Contra, licet per possibile, vel impossibile, sensibile vehemèntius, nullas alias qualitates præter suas species in sensorium emitteret, adhuc illud læderet; quia credibile non est, non calligatos oculos in summâ luce non productivâ aliarum qualitatum; visum non disgregandum intuendo summam albedinem, quæ verisimilius non est productiva aliarum qualitatum, quàm speciei: auditum ex vehemèntiori sono in vacuo editum non turbandum: tactum ex nimio calore non productivo alterius, quàm suæ speciei, non lædendum, &c. illa enim objecta in quantum non sunt redacta ad mediocritatem & temperiem proportionatam temperiei & activitati mediocri sensus, sunt lætiva & dolorifera: ex quibus ulterius patet ad Arriagam, quia, adhuc immotis illis spiritibus, illa contingerent.

xc. i. Objicies tamen, species non sunt contrariæ sensorio, sed perfectivæ; vel, ut loquitur P. Poncius, species non sentiuntur à sensui, nec tollunt aliquam qualitatem ex qualitatibus naturalibus illius; Sed si sensorium interdum læderetur à vehemèntiori sensibili ut sensibili læderetur ratione specierum, &c. ergo, &c.

xc. ii. Respondeo species vehemèntiores seu vehemèntioris sensibilis ut sensibilis esse contrarias debite temperiei sensorii; ac proinde tollere aliquam qualitatem ex qualitatibus connaturalibus illius, quatenus scilicet nimis vehementes sunt, & improporionate secundum mediocritatem mediocri temperiei sensorii, ut experientia docet.

xc. iii. Instabis ex P. Poncio, oculus cæci, non minus offenditur à sole, quàm oculus videntis; sed non offenditur ratione sensationis; ergo nec oculus videntis sic offenditur.

xc. iv. Respondeo concedendo totum, quia non dicimus oculum lædi à visione, sed à specie visibili; quæ cum recipiatur, tam in organo visuali cæci, quàm non cæci, utrumque lædit; hujus tamen magis, quàm illius; quia cum in cæco sint corruptæ qualitates ad videndum necessariæ, illas non corrumpit, sed tantum aliquas ex remanentibus: in non cæco verò illas corrumpit, vel saltem debilitat. Sed quid de vehemèntiori specie soni in aure surdi? verisimilius est illam, vel potius sonum, ut infra, pertinere ad organum particulare, cum illud non lædat, ut species visuales oculum cæci.

DISPUTATIO SEXTA.

De Visu ejusque Objecto.

I. Princeps inter sensus alios externos est visus, cujus organum est oculus, qui constat tribus humoribus, tunicis quinque, musculis septem, &c. Sed quia de oculi fabrica, inter cetera Dei opera multum sanè mirabili, ad medicos spectat tractare, id consultò hìc omitto. Quare sit

DUBIUM I.

Quid visus, & quodnam ejus objectum?

RESOLUTIO I.

II. Dico 1^o. visus est potentia sensitiva coloris. Ita omnes communiter.

RESOLUTIO II.

II. Dico 2^o. Objectum visus est color.
IV. Probatur experientia, quia quidquid per visum sentimus, color est & lumen: ergo, &c. Vnde etiam visum non malè definies sensum externum perceptivum coloris.

DUBIUM II.

An color & lumen realiter inter se distinguantur?

RESOLUTIO.

V. Dico contra Suarem, Conimb. Rubium, Murciam, Toletum, Comptonum, & è Thomistis nominatim PP. nostros Complutenses: color & lumen inter se realiter non distinguuntur, sed color est lumen in subiecto receptum, ab eoque prout talis vel talis natura specificatum. Quare de nocte, nec sanguis est ruber, nec cygnus albus, sed noctu colores omnes, abeunte sole, pereunt: Ita Plato in Timæo, Avicenna lib. 6. p. 3. cap. 1. Averroës hic textu 7. Coment. 65. Alexander lib. 1. qq. naal. q. 1. Virgilius Æneidos 6. *Rebus nox abstulit atra colores.* Albertus Magnus lib. de sensu & sensibili tract. 2. cap. 1. Cajetanus hìc lib. 2. cap. 7. Iavel. Soncinas, Capreolus, Cardanus lib. de Gem. & color. &c. Et nuperrimè D. Fromondus de Anima lib. 3. cap. 3. art. 3. ubi sic habet: *Et sanè si res revocetur ad limam, non erit tam absurdus, quam apparet primà fronte, qui dixerit à nocte auferri & extinguere colores rerum, sicut ipsa extinguit diem & solis lumen: imò Albertus rerum naturalium scientià verè Magnus Opinionem vulgi appellat illam, quæ tenebris colores regi, non auferri, existimat.* Sed ante hujus resolutionis probationem, quæ non satis sanè, hodie à nonnullis, contra omnem experientiam insana dicitur, & contra omnem autoritatem exotica: audiant isti, obsecro, Apostolum ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur lumen est:* Augustinum lib. 10. Confess. cap. 34. ubi lumen vocat *reginam colorum;* imò Ecclesia canit: *Rebusque jam color redit; vultu nitentis syderis.*

v. 1. Suppono nihil esse contra experientiam & rationem, si dicatur cujuslibet corporis luminosi

R. P. Francisci Bone Spei Physica.

lumen posse, simul efficienter concurrente subiecto, in quo est, emittere in oculum speciem diversæ speciei, pro diversitate specifica temperiei subiectorum, in quibus est, sufficientis ad producendos diversos colores, ut rectè probat Thomas Hurtadus præcurf. Philosoph. S. Thomæ, Meteorum cont. 1. memb. 9. *Principium veri coloris in actu, inquit, est perspicuum aliquo modo terminatum in ratione materie, & lumen ibi existens actu, in ratione forme. Sed ista ambo sunt in Iride, sive in eo, in quo apparet Iris. Ergo sequitur, quòd cum in Iride sint actu omnia principia veri coloris, sint ibi veri colores. Licet color ibi habeat esse debile, quia principia ejus non sunt ita permanentia, sicut in corporibus mixtis terminatis; in quibus principia coloris consequuntur principia intrinseca corporis mixti.* Si enim in genere causæ efficientis, secundum omnes, possit sol pro diversitate concausæ diversos effectus producere, quorum aliqui ipsum significant ut ranæ productivum, alii ut auri, gemmarum, &c. quidni in genere causæ exemplaris objectivæ poterit lumen, pro diversitate concausæ specierum visualium productivæ, diversas sui species emittere quarum aliqua ipsum repræsentent ut nigrum, aliqua ut album, &c. Videtur enim omnimoda paritas, idque experientia, quæ domos videmus virides ex reflexione arboris viridis, & objecta rubra per vinum aut vitrum rubrum, convincit: neque hinc magis sequitur, temperiem illam speciei visualis concausam, fore visibilem, quàm causam gravitatis sui ipsius speciem fore tangibilem, aut causam soni sui ipsius speciem fore audibilem; quia sicuti quantum experientia docet, hæ non sunt tangibiles vel audibiles, ita nec illa visibilis. Hoc supposito,

VII. Probatur 1^o. nec ratio, nec experientia docet colorem & lumen inter se realiter distingui, sed contrarium: Atqui entia non sunt citra rationem, aut experientiam, realiter distinguenda; ergo, &c. Consequentia patet. Minor passim admittitur.

VIII. Probatur major 1^o. quia ratio docet nos eodem jure, quo adversarii cognoscunt temperiem aliquam accidentium sufficere ad conproducendos in entibus diversos colores, dicere posse illam ipsam temperiem ad conproducendas luminis in entibus recepti diversas species sufficere: non enim major virtus ad has species, quàm ad illos colores conproducendos requiritur: sed hoc dato, frustra sunt colores distincti à lumine; quia tales species lumen repræsentabunt coloratum, album, nigrum, &c. ut in supposito ostensum est: unde colores non erunt quid aliud, quàm ipsum lumen à tali, vel tali temperie subiecti luminis specificatum, ergo, &c.

IX. Probatur major 2^o. quia ratio & experientia docet illud esse realiter colorem, quo præcisè posito quantum experimur, est color, & quo præcisè ablato, quantum experimur, non est color: sed præcisè posito lumine à tali vel tali dicta temperie subiecti specificato, quantum experimur, est color, & eo ut sic præcisè ablato, quantum experimur, non est color (siquidem experientia actualis, quam pro illo tempore habemus, non fertur in colorem, unde si lumen numquam nos illuminasset, de coloribus nihil unquam cogitasset) ergo, &c.

H h

Nec

x. Nec respondeas numquam præcisè poni lumen à tali temperie subjecti specificatum; sed semper cum colore ante posito, & novâ specie coloris ab illis realiter distinctâ. Quia (præterquam quòd nulla sit necessitas colores & oculorum species ibi sine numero multiplicandi, ut constat ex præmissis) talem distinctionem realem per experientiam non cognoscimus; siquidem numquam experimur colorem realiter separari à lumine à tali dictâ temperie specificato; imò nec per rationem, quia docet ratio esse superfluum illud, quo absente, habetur totum, quod haberetur ipso præsentè: sive verò adsint, sive absint colores & colorum species à lumine realiter distinctæ, habetur objectum medio lumine album, nigrum, &c. item consequenter, tam diversarum visionum, ac si adefsent, ut ante diximus.

x. i. Probatur 2^o. resolutio; fundamentum nullum est distinguendi colores in veros & apparentes; sed juxta contrariam sententiam oportet illos ita distinguere, ergo, &c. Probatur major, quia non est ratio cur dicamus in iride non esse, tam veros colores, quàm sint in herba, igne, &c. nam idem lumen directum, quod in herba dicitur color viridis; item idem lumen directum, quod in igne dicitur color ruber; in iride ex herba, vel simili corpore reflexum, similiter dici potest color viridis, & sic de aliis, ergo, &c.

xii. Nec dicas cum P. Poncio hoc esse fundamentum distinguendi colores in veros & apparentes, quòd apparentes non sint stabiles, sed ad diversam applicationem lucis apparent diversi; veri autem sunt stabiles. In contrariu enim est, quòd illi, quos Poncius vocat veros colores, non sint stabiles, sed ad diversam applicationem luminis apparent diversi; nam si albedinem parietis videas medio lumine recepto in vitro flavo, videbis flavam, si in vitro rubro, rubram; unde mirum non est, si illi, quos vocat apparentes colores, non sint stabiles, sed ad diversam applicationem luminis reflexi ex diversis corporibus apparent diversi: deinde sicut colores, quos vocat veros, desinunt, desinente lumine reflexo in ipsorum subjecto recepto, & ipso manente manent; ita illi colores, quos vocat apparentes, desinunt tantum desinente lumine reflexo in ipsorum subjecto recepto, & ipso manente manent.

xiii. Quæres an sit verus color, quem video, dum video per vitrum rubrum parietem album ut rubrum?

xiv. Respondeo me videre verum colorem tantum, scilicet lumen vitri, quod est rubrum, & lumen parietis, quod est album; cum hoc tamen discrimine, quòd lumen parietis mihi non distinctè appareat, quia illud intueor medio lumine rubro, quod visui, quantum experientia docet, omnia representat rubra.

xv. Confirmatur ex Aristotele 2. de anima, textu 67. color est movens, id est ponens diaphanum in actu, & hæc est ipsius natura; atqui juxta eundem ibidem textu 68. diaphanum est in actu per lumen, & id secundum quod diaphanum est in actu, est color juxta hæc, quæ subdit, lumen autem ut color, est diaphani secundum quod actu diaphanum est; non enim posset clariùs loqui Philosophus: idem tamen videtur confirmare velle de sensu & sensato, cap. 3^o. quare color utique erit perspicui (scilicet actu) extremus; perspicuum verò secundum quod actu tale ut vidimus, est lumen ut color; & hinc est 1^o. quòd

oculus in luce existens non videat objectum in tenebris existens: quòd enim alii respondeant debere objectum esse illuminatum ad hoc ut emittat speciem, pro nostra sententia facit, quia cur hoc? nisi quia lumen solum est visibile: hinc è contra est 2^o. quòd oculus in tenebris existens videat objectum in luce existens, ut experientia patet; incredibile enim est candelam noctu eminus mediâ leucâ visam illuminare totum medium, quod alioqui dicere deberent, quia juxta illos objectum non producit speciem, nisi per medium illuminatum; alioqui, inquit, objectum videretur in tenebris existens, contra experientiam, quod contra nos dicentes colorem esse lumen, nil urget; ergo, &c.

xvi. Nec dicas Aristotelem ibidem clarè supponere lumen distinguere realiter à colore, cum dicat, unde color non est visibilis sine lumine, propter quòd de lumine 1^o. dicendum est: Quia ad hoc ut Aristoteles 1^o. dicat de lumine, non est necessaria distinctio realis inter lumen & colorem, sed sufficit rationis, quantum libenter admittimus esse; cum verò ibidem textu 71. dicit: non autem omnia visibilia sunt in lumine, agit de visibilibus remotè & potentiâ; subdit enim: sed solum uniuscujusque proprius color, quasi diceret non omnia visibilia esse visibilia proximè, sed solum uniuscujusque colorem, visibile autem proximum est ipsum lumen, ac proinde uniuscujusque proprium colorem à lumine non distinguit.

xvii. Objicies 1^o. ex Poncio quòd terè est fundamentum Arriagæ Disp. 5. de anima; num. 41. si veri colores non distinguuntur à lumine, non deberent semper apparere eodem modo ad quamcumque illuminationem lucis, aut luminis; sed secundum experientiam apparent semper eodem modo, ergo, &c.

xviii. Respondeo negando sequelam majoris: quòd enim semper apparent eodem modo, ratio est. quòd semper sit lumen, cui identificantur in eodem subjecto; nam illud (utpote accidens) naturaliter non migrat de subjecto in subjectum; subjectum verò, ut supra diximus, secundum suam temperiem concurrat cum lumine inadæquatè efficienter ad productionem speciei luminis, quæ est luminis diversimode representativa, pro diversitate subjecti temperiei, sufficientis, in communi sententia, hunc vel illum colorem producere. Hinc

xix. Ulterius patet ad id, quod addit Arriagæ, si albedo v.g. papyri, non distingueretur à lumine, esset impossibile, ut in quacumque luce semper apparet albedo. Dum verò confirmat, quia color iridis non est distinctus à luce, ideo non est fixus ac permanens, decipitur, non attendens colorem iridis, seu lumen iridis, non esse quamcumque lucem, sed reflexam ex alio lumine solo colorato, modo supra dicto; quo fixo & permanente, fixus est & permanens etiam color iridis, utpote ab eo solo nomine distinctus. Deinde ex allata solutione ulterius

xx. Patet ad fundamentum P. Telles ab experientia: visus distinguit in objecto lumen & colorem; videt enim duo objecta æqualiter illuminata & æqualiter à luce distantia, quorum unum est album, aliud nigrum, vel quorum unum intense est album, aliud remissè: Respondeo enim id provenire ex diversâ & activiori temperie subjecti inadæquatè concurrentis ad speciem producendam, ac proinde, experientiam quidem docere, visum attingere lucem, cui identificatur color, non verò distin-

distinguere in objecto lumen & colorem.

Denique ex eadem solutione

xxi. Patet ad fundamentum P. Hurtadi: homo ad solis lumen colores mutat, & in ipsis radiis solaribus nigrescit immutata manente luce. Quando enim nigrescit homo ad lucem solis, non quidem mutat lucem ut lucem, sed mutat lucem ut tali vel tali temperie specificatam, quæ species tunc mutatur, sicut & subjecti temperies, à quâ inadæquatè producitur; unde & mutatur color, sive lux: sicut enim color in genere, nihil est aliud, quàm lux sub sua specie impressa in genere, ita lux in particulari nihil est aliud, quàm lux sub tali specie impressa in particulari, quæ tunc mutatur: è contra, quia in marmore temperies sufficiens ad producendos & conservandos marmoris colores, non mutatur in luce, fit ut in luce semper idem sit marmoris color.

xxii. Objicies 2º. valde ridiculum est scripturas noctu non esse & deleri, accedenteque luce esse de novo & reponi; an forte lux est scriba? ergo consequenter allata sententia est ridicula.

Respondeo distinguendo antecedens, valde ridiculum est scripturas omnes de nocte non esse & deleri, quoad subjectum immediatum suorum colorum, concedo; nam non est causa, quæ illa subjecta, in quibus immediatè sunt scripturarum colores, destruat: quoad colores suos remanentibus subjectis immediatis, ita dispositis & localiter sitis, ut erant sub suis coloribus, nego; quia cum à luce non distinguantur, id necessarium est. Quod verò luce accedente reponantur ut antè, & sint ejusdem coloris & eodem modo formatæ quo antè, mihi non mirum; quia id provenit ex determinatione ipsius subjecti istorum colorum immediati quod manet formatum ut antè: hic enim advertendum est colores scripturæ non esse immediatè in charta tanquam subjecto, sed in illa materia, in qua sunt, scilicet atramento.

xxiii. Objicies 3º. ex P. Comptono de anima Disp. 14. sect. 2. Decremente lumine, imò valde jam imminuto ac remisso, color, rubedo, ex gr. apparet æquè intensa, licet minus clarè cernatur, ergo manifestè videtur rubedinem, & alios colores permanentes, esse aliquid realiter distinctum à lumine: alioqui, quò gradu lux decrevit, decre-

ret color, cum forent idem; clarissimà tamen experientià constat contrarium; nec ad id probandum alio opus est quàm oculis. Hoc argumentum (inquit) existimo esse efficacissimum. Secundò, sequitur in interioribus partibus auri, argenti, æris, marmoris, & similibus, nullum omninò esse colorem, cum lux eò non pertingat. Ita ille.

xxiv. Respondeo decremente lumine non decretere colorem, quoad intensiorem, quia species visualis colorum non est à solo lumine sed partim etiam à luminis subjecto, quâ diaphano, sive perspicuo: unde, cum semper fit eadem subjecti diaphaneitas, nisi lumen notabiliter decrescat, non apparet notabilis decretio coloris, sed modica valde, prout omnes vesperi experiuntur. Vnde non video quâ ratione hoc argumentum putetur efficacissimum. Totum verò quod de interioribus partibus, auri, argenti, &c. experiri possumus, est quòd sint intra diaphana, sicut extra, non verò quòd sint se solis colorata, quia nequidem extra talia esse, probatum est supra.

D V B I V M III.

Quid lumen?

RESOLUTIO.

xxv. **D**ico lumen, quod solo nomine à luce distinguitur, est qualitas solo visu sensibilis: vel juxta Aristotelem de anima lib. 2. cap. 3. est actus diaphani, sive perspicui, quâ ratione perspicuum est: perspicuitas enim, saltem negativa, omnino est necessaria dispositio ad lumen recipiendum. Hinc

xxvi. Collige 1º. contra nostros Complutenses lumen malè definiti actum perspicui ut illuminati; quia cum illuminatum involvat lumen, definitum ingreditur suam definitionem, & definitio manet æquè obscura, ac ipsum definitum.

xxvii. Collige 2º. contra P. Poncium malè defini niri lucem, qualitatem ex se visibilem independenter ab alia qualitate, quæ non sit species intentionalis consequens naturam sui subjecti, &c. quia continet multa superflua, sufficitque, si dicat esse qualitatem ex se visibilem; nam cætera addit, ut excludat colorem, quem malè à luce realiter, ut vidimus, distinguit.

A P P E N D I X

Circa Species Visus.

D V B I V M I.

An lumen, sive color visui immediatus sit sibi ipsi species impressa sic ut sine alia realiter distincta videatur.

RESOLUTIO.

xxviii. **D**ico, lumen sive color visui immediatus sine specie impressa videtur. Sed ante hujus Resolutionis probationem,

xxix. Suppono per speciem visibilem hic intelligi qualitatem luminis, sive coloris, repræsentativam; quia ob id muneris rectè à nonnullis dicitur luminis, sive coloris, imago, similitudo, vicaria, &c.

non quidem in essendo, sed in repræsentando: dicitur autem communiter in impressam & expressam; impressa est illa, quam lumen, sive color immediatus, in visum imprimit ad causandam sui visionem: expressa verò est visio luminis, sive coloris, quam anima in se exprimit. Hoc supposito,

xxx. Probatur, quia lumen, sive color visui immediatus, est ex se visibilis, & sufficienter potentia visivæ approximatus; ergo, &c.

xxxi. Confirmatur, communiter negant auctores objectum gustus & tactus sentiri per speciem realiter distinctam, quia non sentiuntur nisi realiter contigua & proximè applicata sensui; ergo, &c.

D V B I V M II.

An ad videndum lumen, sive colorem à visu distantem, sit necessaria species impressa ab objecto in oculum emissa.

R E S O L U T I O.

xxxii. **D**ico, ad videndum lumen, sive colorem à visu distantem seu mediatum, est necessaria species impressa ab objecto in oculum emissa: est jam communis opinio contra Galenum lib. 7. de Plac. Hippocrat. Durandum, & Nominales.

xxxiii. Probatur 1^o. quia si inter lumen, sive colorem mediatum, fiat vacuum, vel interjiciatur corpus opacum, impeditur visio; sed non ob aliam rationem, quam quia tali vacuo, vel corpore opaco, impeditur propagatio specierum ab objecto ad oculum usque, ergo, &c. Major videtur per experientiam certa. Probatur minor: visio non fit per emissionem luminis à visu (alioqui omnes homines haberent oculos felinos, viderentque in tenebris) nec credibile est visum nostrum posse noctu ad stellas usque lumen emittere: deinde illud lumen non sufficeret ad percipiendum lumen remotum coloratum, quia non esset illius similitudo & imago; curenim potius hujus, quam illius? nam sicut visus est de se indeterminatus ad hujus potius subiecti, quam illius speciem expressam producendam, ita & ad impressam; ergo fit per emissionem speciei ab objecto; & per consequens, per vacuum vel corpus opacum interjectum, non ob aliam rationem impeditur visio, quam quia, tali vacuo aut corpore opaco interjecto, impeditur propagatio specierum ab objecto ad oculum usque, ergo, &c. Hinc

xxxiv. Probatur 2^o. cum visus non agat in objectum, si ad visionem objectum distans non debeat per speciem impressam sui vicariam concurrere in visum, poterit esse visio objecti ad quamcumque distantiam; sed hoc est absurdum & contra experientiam; ergo, &c. Probatur sequela, quia, nec virtus potentia visiva, nec virtus objecti consumi debet in medio, ob quod agentia sunt limitatæ virtutis; ergo poterit esse ad quamlibet distantiam.

xxxv. Nec dicas cum P. Poncio optimè negari posse istam sequelam, eò quòd objectum habeat virtutem ita limitatam, ut non possit cum visu producere visionem æquè perfectam, in quacumque distantia: Quia istius ratio alia esse non potest, quam quia consumit virtutem suam producendo speciem impressam per medium: si enim nihil debeat per medium producere, ut cum visu distante visionem producat; non est, cur ad quamlibet distantiam cum visu visionem non comproducat.

xxxvi. Confirmatur Resolutio variis experientiiis, quarum ratio sine speciebus vix reddi potest, 1^o. cur videam in speculo hominem retro me existentem: cur homines sub arbore viridi appareant virides; fit enim per reflexionem speciei hominis in speculo, & frondium viridum in hominibus; nam talis naturæ sunt species, ut ibi repræsentent objectum, ubi incipit reflexio ipsarum. 2^o. cur tubo optico, res scjunctæ majores appareant, quam sint; id enim fit, quia in tubo collectæ species, plures sunt simul in oculo, quam extra dispersæ, & ideo objectum majus repræsentant: Item cur per

intercisa perspicilla toties objectum videatur, quot sunt perspicillorum intercisiones; fit id etiam, quia disperguntur & interciduntur species objecti, simul in oculo existentes: idem etiam contingit, si quis palpebram attollat, & intorqueat, ille enim bis objectum videbit, quia species ejusdem objecti per duas lineas diversas intrant oculum: & sic de multis similibus experientiis. 3^o. cur per vitrum rubrum visa appareant rubra, & ex variatione medii, variè videantur. 4^o. cur magis distantia minus videantur: ergo, &c.

xxxvii. Objicies 1^o. ratio speciei sufficienter salvatur in lumine reflexo ex objecto; ergo nec est necesse multiplicare tot species, nec est credibile singula objecta emittere sui speciem quaquà versum ad illam distantiam, in qua videtur objectum.

xxxviii. Respondeo negando assumptum: quia alioqui contra experientiam allatam in confirmatione Resolutionis Dub. 2^o. oculus in tenebris existens, non videret objectum existens in luce; deinde alioqui (cum lumen reflexum ex objecto fit ipse color objecti) totum medium deberet esse coloratum, eodem modo, ac est objectum, contra experientiam: unde nego consequentiam pro prima parte: pro secunda verò, Respondeo id non esse magis incredibile, quam ex objecto reflecti lumen quaquà versum, ad illam distantiam, in qua videtur objectum, nam species in sui diffusionem lumen imitatur.

xxxix. Objicies 2^o. species ipsæ non videntur, ergo illis mediantibus non videtur objectum. Probatur consequentia, quia incognitum non potest esse medium, quò aliud cognoscitur.

xl. Respondeo distinguendo antecedens, species ipsæ non videntur tamquam medium in quo objectum videtur, concedo: quia medium in quo, videri debet *ut quod*, quomodo non videntur species: tamquam medium *quò*, sive tamquam ratio formalis cognoscendi, nego antecedens; illud enim non debet videri *ut quod*, sed *ut quò* tantum, sive debet tantum esse id *quò* alia *ut quod* videntur.

Q V Æ S T I V N C V L A I.

xli. **Q**uæres 1^o. quomodo species pendant ab objecto.

xl.ii. Respondeo pendere in genere causæ efficientis: ita quidem ut eo amoto statim evanescant; quia quantum experientia docet, continuo indigent naturaliter objecti influxu.

xl.iii. Dixi *naturaliter*, quia non videtur esse tanta necessitas istius influxus, ut, sicut Deus objecti speciem non concurrente objecto 1^o. producere potest, non possit etiam jam ab objecto productam se solo in absentia objecti conservare: sed difficultas est, an per illam tunc videretur objectum eodem modo ac si existeret? Respondent Durandus in quartum sent. q. 1. dist. 12. Gabriël in 2^{um} dist. 3. q. 2. conclus. 2. quòd non, quia de ratione speciei intuitivæ (qualis esset) est repræsentare objectum prout est existens, quod non faceret: idem, & ob eandem rationem respondet P. Poncius quoad visionem, de anima dist. 8. q. 1. concl. 3. sub initium, sed sub finem addit magis aridere, si dicatur incertum esse, an videret potentia per visionem, quæ conservaretur in illa, sine existentia objecti, aut speciei ejus, eumque solum posse ea de re sententiam ferre, in quo sic conservaretur: verum puto idem dicendum de visione, ac de specie. Quare

Respon-

XLIV. Respondeo pro utraque non esse ullam repugnantiam in eo, quod objectum non existens videatur per speciem suam, aut solam visionem sui, in oculo supernaturaliter, in ejus absentia conservatam: Ratio est, quia *idem manens idem, semper idem facit ex parte sua*: sed illa visio, aut species ex natura sua repræsentat objectum ut existens; non quidem in se (unde suppleri potest, licet concurrat in genere causæ formalis) sed in repræsentatione sua expressa, vel impressa (& hinc dicitur intuitiva, ex quo patet ad fundamentum oppositæ) & semper eadem manet, ergo, &c.

XLV. Nec dicas 1^o. hinc fore, ut semper dubitemus de existentia objectorum; si enim objectum non existens eodem modo terminet actum, ac si existeret, quæ de illius existentia certitudo? Retorquedo in primis argumentum in dependentiam effectuum à causis secundis; si enim effectus eodem modo à Deo solo pendeant, ac si simul à causis secundis penderent, semper erit quod dubitemus, an à causis secundis simul & à Deo pendeant, an à solo Deo.

XLVI. Deinde dico non esse rationem dubitandi, quia naturaliter, ac proinde ordinariè id Deus non faceret, sed supernaturaliter & extraordinariè tantum: argumentum tamen retinet vim contra Fromondum, qui lib. 30. de Anima cap. 4^o. art. 8^o. docet speciem soni naturaliter conservari non conservato sono, ac proinde naturaliter sonum non existentem audiri.

XLVII. Nec dicas 2^o. sic nullam fore distinctionem inter cognitionem intuitivam & abstractivam, quia, inquires, per abstractivam potest etiam cognosci res non existens ut existens. Nam potest quidem per cognitionem abstractivam cognosci res non existens ut existens, mediâ specie alienâ, sed non mediâ specie propriâ, ut ibi, in quo distinguitur cognitio intuitiva ab abstractiva.

QVÆSTIVNCVLA II.

XLVIII. **Q**uæres 2^o. an species concurrat effectivè ad visionem?

XLIX. Respondeo cum D. Fromondo de Anima lib. 30. cap. 3^o. art. 10. negativè: quia non se tenet ex parte potentia, quam proinde confortet ut habitus, sed ex parte objecti, supplendo ejus absentiam; unde dicitur vicaria objecti; objectum verò non efficienter, sed objectivè tantum ad sui visionem concurrat: Deinde non est ratio dicendi speciem objecti aliter concurrere ad visionem objecti, quam approximationem passivi ad combustionem passivi; nullus autem dicit hanc concurrere efficienter; denique aliqui species esset ultima determinatio animæ ad visionem ex parte causæ efficientis, sicut est ex parte objecti; ac proinde, illa positâ, non posset magis ex parte animæ impediri visio, quam ex parte objecti, cujus contrarium patet in dormientibus, oculis apertis.

QVÆSTIVNCVLA III.

L. **Q**uæres 3^o. an colorum contrariorum species sint contrariæ?

LI. Respondeo negativè, nam in eadem indivisibili parte aëris sese compatiuntur.

LII. Nec obstat quod procedant à causis contrariis; quia si ab eadem anima possint produci effectus contrarii v.g. assensus & dissensus, à fortiori à duabus causis contrariis poterunt produci effectus non contrarii.

QVÆSTIVNCVLA IV.

LIII. **Q**uæres 4^o. an res spiritualis possit attingi à potentia materiali & corporea?

LIV. Respondeo potentias materiales existentes posse supernaturaliter & secundum potentiam obedientialem res spirituales attingere: possibilem tamen esse aliquam materialem, quæ naturaliter eas attingat. 2^a. pars est contra P. Ponc. 1^a. verò pars contra Theol. varios negantes oculum corporeum posse supernaturaliter elevari ad videndum Deum, de quo proinde fusiùs 1^a. parte, & aliquid in octo libris, Phys. dū de potentia obedientiali ageremus.

LV. Probatur 1^a. pars, quia potentia materialis de facto existens secundum potentiam obedientialem spectata, habet rem spirituales pro objecto, sicut auditus visibile, visus sonorum, &c. licet enim auditus secundum potentiam naturalem sit incapax visionis & denominationis videntis; visus auditionis, &c. est tamen illorum capax secundum potentiam obedientialem, cum sine dubio ad plura extendi debeat, quam potentia naturalis: unde similiter, licet naturalis potentia existens de facto, secundum potentiam naturalem sit incapax visionis rei spiritualis, est tamen capax secundum potentiam obedientialem; alioqui sequeretur intellectum non posse secundum potentiam obedientialem Deum intuitivè cognoscere, quia secundum potentiam naturalem Deum non potest cognoscere intuitivè: quod autem aliqui dicunt intellectum posse secundum potentiam naturalem Deum abstractivè cognoscere ut spirituales, & ideo habere potentiam inchoatam naturalem ad videndum Deum supernaturaliter, confirmat nostram sententiam; quia cum nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, necessarium est talem cognitionem Dei abstractivam in intellectu existentem prius fuisse inchoatam in sensu, vel ex visu Bibliorum, vel ex auditu Biblia & principia fidei explicantium; unde similiter in sensu erit potentia naturalis inchoata ad videndum Deum supernaturaliter; quantumvis tamen talem potentiam naturalem inchoatam potentia materialis non haberet, non apparet repugnantia in eo, quod secundum potentiam obedientialem elevaretur ad aliquid, ad quod non habet potentiam naturalem inchoatam, uti posse semen humanum ad producendam animam rationalem spirituales, docet D. Fromondus libro 4^o. capite 3^o. articulo 1^o. Hoc enim Dei omnipotentia & creaturæ ad Deum obedientiam non videtur transcendere: Denique omnis potentia à forma naturaliter denominatur informata, ergo habet potentiam inchoatam naturalem ad denominari informatam à qualibet forma.

LVI. Probatur 2^a. pars, quia uti probavimus disp. 1. dub. 5^o. de infinito, potest Deus communicare creaturæ alicui omnem suam perfectionem citra independentiam, ac proinde esse naturaliter rei supernaturalis visivum, ergo, &c.

LVII. Dices cum P. Poncio illud repugnat naturaliter, ad quod sequitur naturaliter aliquid superfluum, ut hinc; nam res supernaturalis per potentiam naturalem deberet videri per speciem supernaturalem existentem totam in tota potentia naturali, & totam in qualibet parte, quod est superfluum, ergo, &c.

LVIII. Respondeo inde nihil sequi naturaliter superfluum; quia in primis posset res spiritualis à potentia naturali videri per speciem naturalem eo

modo quò potest locari per ubi materiale, vel potius divisibile, quod producit: Deinde nulla major superfluitas in eo, quòd species supernaturalis esset tota in tota materiali potentia, & tota in qualibet ejus parte, quàm sit in eo quòd anima ra-

tionalis sit tota in toto corpore & tota in qualibet parte corporis: sicut enim hæc non est nisi semel in corpore, ita nec illa species esset plusquam semel in illa potentia materiali.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Auditu, ejusque Objecto.

D V B I V M I.

Quid Auditus, & quòdnam ejus objectum?

R E S O L U T I O.

I. **D**ico auditus est potentia sensitiva soni; ac proinde objectum ejus est sonus: ita omnes.

D V B I V M II.

Quid sonus, & an mediantibus speciebus impressis, an immediatè per se ad auditum deferatur.

R E S O L U T I O I.

II. **D**ico 1^o. sonus est qualitas solo auditu sensibilis, ad localem motum corporis resilientis, ex percussione corporum se collidentium, seu trudentium, & fractione medii, per actionem ab illis (utpote motibus tantum localibus) distinctam, producta.

III. Probatur 1^a pars: quia sic sufficienter ab aliis qualitatibus omnibus distinguitur, non verò per hanc definitionem; sonus est qualitas producta per verberationem aeris duobus corporibus se invicem trudentibus, quam adfert Ovièdus, & ferè omnes alii, saltem secundum substantiam; quia calor ita producit, ut experitur tangens corpora sese sapius trudentia; Item ubi, &c. deinde verberatio & trusio, vel sunt ubi, vel præter ubi, alium terminum non habent.

IV. Probatur secunda pars: quia illæ actiones sunt tantum motus localis, qui, licet velocissimus corporis resilientis, vel est ipsum ubi in nostra sententia, vel tendentia ad ubi in aliorum, ut fateri debent omnes, ergo sonus est per actionem ab illis realiter distinctam & ad sonum immediatè terminatam. Aliorum, & nominatim Murciae hic, motus ad sonum improbationes omitto; quia inefficaces: ut primò, quòd motus sit sensibile commune; quia, præterquam quòd id paulò ante negaverimus, facillè responderetur illum motum corporis resilientis ex percussione corporum se collidentium, ut talem esse sensibile proprium auditus, quia ut talis ab alia potentia externa percipi non potest. Secundò quòd dari possit motus tardus & velox sine sono: quia etiam facillè responderetur quòd dari non possit motus tardus & velox resilientis corporis ex percussione corporum, &c. qui non sit sonus; quia numquam resilit corpus sine sono. 3^o. quòd proprietates soni sint maximè diverse à proprietatibus motus localis, eò quòd motus dicatur tardus & velox, sonus verò gravis & acutus: verum etiam facillè responderetur motum localem quidem præcisè, ut motum localem, dici tardum & velocem, attamen ut motum localem corporis resilientis ex percussione, &c. rectè dici gravem & acutum.

v. Nec dicas 1^o. Aristotelem hic docere sonum esse aeris ictum & motum corporum se collidentium, quia Aristotelem hic omnes ita explicant, ut non

sit intelligendus in sensu formali, sed in sensu casuali, quati ictus & motus sit id, mediante quò, producit sonus; sed melius explicatur in sensu conditionali, sic ut ictus sit conditio sine qua non corpora sonora sonum producerent, ut patet ex dictis in libris de Generat. Disp. 6. dub. 3^o. Resol. 2.

VI. Nec dicas 2^o. sonum non esse qualitatem, quia non est una ex primis, cum juxta Aristotelem 2^o. de Generat. sint tantum quatuor, calor, frigus, siccitas & humiditas; neque una ex aliis, quia aliæ ex primis inter se attemperatis oriuntur, non verò sonus, sed ex corporum se collidentium trusione & fractione medii.

VII. Respondeo enim sonum nec esse primam qualitatem, nec 2^{am} isto sensu, sed 3^{am} uno tantum sensu externo perceptibilem, uti est lux.

VIII. Probatur 3^a pars; nunquam est sonus sine illorum corporum trusione & fractione medii, illisque positus, semper est; unde productivæ causæ soni semper sunt tria corpora, duo scilicet allidentia & trudentia, & medium fluidum ex collisione illorum resilientis: Quòd autem aliqui putent virgà verberando aerem, sonum produci sine tribus illis corporibus, falluntur; quia ex aère sunt nonnullæ partes, quæ virgàm collidunt, & aliæ, quæ ex collisione illa resiliunt; unde aër agit vices duorum corporum se collidentium; quando verò aër in periculo vacui dum movetur, excitat sonum, agit vices trium corporum, duorum scilicet se collidentium & medii secundum diversas sui partes; hinc ad sonum non necessariò requiruntur corpora dura & diversæ rationis; licet illa regulariter sint aptiora ad primum motum aeris, necessarium ad producendum sonum.

R E S O L U T I O II.

IX. **D**ico 2^o. sonus non deferatur ad auditum mediantibus speciebus impressis, sed immediatè per seipsum & secundum suum esse reale; est contra Tolerum, Conimb. Compl. nostros, Suarezem, Hurtad. Arriag. Murc. Poncium, Tellem, & Fromondum nuperrimè de Anima lib. 3^o. cap. 4^o.

x. Probatur prima pars cum Nominalibus, non dantur species audibiles, ut probatum est de Generatione Dub. 3. Disp. 6. Resol. 2. ergo, &c.

XI. Confirmatur, sonus est omni casu sufficienter approximatus per se ipsum, & proportionatus auditui; sed species non requiruntur nisi ad approximandum & proportionandum objectum suæ potentia; ergo, &c. Minor patet in gustu & tactu, in quibus omnes communiter negant species distinctas, quia ipsorum objectum est sufficienter per seipsum approximatum & proportionatum. Pro probatione majoris,

XII. Suppono primò, quòd aër sit valde facillè in orbem per gyrum mobilis, imò celerius & celerius in infinitum pro activitate ipsius moventis; quia sine comparatione fluidior est aqua, & for-

est non minus fluidus quam flamma, quæ proculdubio, ferè in instanti rarefcere potest ad mille pedes, & amplius.

xiii. Suppono 2^o. sonum, quotiescumque auditur, prius à proximioribus, posterius à remotioribus interruptè produci; non verò successivè continuè, ita ut sonus sonum producat in instanti ad certam spheram. & immediatè post, moto aère primæ spheræ, ad secundam, secundæ ad tertiam, & sic consequenter, ut ibi tandem audiatur: hæc videtur omnino esse sententia P. Oviedii hîc, & in libris de Generat. controv. 5. punct. 4. Quòd interruptè producat, probavimus in libris de Generat. disp. 5. dub. 3. Quòd verò non successivè continuè, ibidem contra Ovied. insinuavimus, & ratio est 1^o. quia non est cur sonus minus in instanti propagetur ad totum spatium, in quo auditur, quam lux & species lucis ad totum spatium, in quo videtur, cum propagatio, secundum ipsum, fiat per productionem soni à sono, sicut propagatio lucis & specierum lucis per productionem lucis à luce, & speciei lucis à specie lucis, nec sonus magis habeat contrarium, quàm lux aut species lucis. 2^o. si moto aère 1^a. spheræ ad 2^{am}, eò transferatur sonus sine nova productione, quidam & moto aère apud corpora se collidentia, sonus illius ad totam 1^{am} spheram transferetur sine nova productione? 3^o. ubi movetur aër à prima spheræ ad 2^{am}, audiri debet idè sonus pluries, & idem est de spheræ 2^a; nam locum aëris è 1^a. spheræ pulsus ad 2^{am}, debet replere aër illi immediatior versus corpora se collidentia, & in locum hujus adhuc immediatior succedere, & sic semper succedentibus de loco in locum & de spheræ in spheram; quia aër, cum habeat sonum permanentè certis instantibus (ut docet ex illo, qui à 1^a. spheræ ad 2^{am} transferitur) idem sonus audiri debet pluries, ubi movebitur aër 1^a. spheræ ad 2^{am}, & idem est de spheræ 2^a. 4^o. Quis conservabit sonum absente causâ à qua est 1^o. productus? si enim ad Deum recurras, à te tanquam non Physico abscurimus: si verò ad actionem permanentem absente suâ causâ 1^o. productivâ, manû damus: sed præterquâ quòd talem actionem in 8^o. lib. Phys. negaris; si illa actio possit perseverare pluribus instantibus, cum nec ipsa, nec ipsius terminus contrarium habeat, non est cur non perseveret toto tempore, quò ipsius subjectum perseverat, contra evidentem experientiam; quæ enim sunt fluxæ naturæ, ut tempus, statim cum pereunte causâ ad non esse fluunt.

xiv. Suppono 3^o. sonum in toto spatio, in quo æque citò à remotioribus ac à proximioribus auditur, in instanti diffundi, non quidem (ut voluerunt Avicenna & Egidius) per hoc quòd aër illis corporibus immediatus (qui est subjectum soni illius immediati) perrumpat reliquum aërem, & transeat ad aures uniuscujusque audientis, quia incredibile est tantillum aëris posse ex collisione corporum illud spatium in orbem occupare, sed quia (sive moveatur & tremat aër, sive non) sonus in toto illo spatio producitur immediatè à corporibus se collidentibus, sicut species luminis ab objecto immediatè producentur in toto illo spatio, in quo æque citò à remotioribus ac à proximioribus lumen videtur; unde optimè verificatur illud Augustini epist. 3^a. omne quod sonat, & omnibus totum est, & singularis totum. qualis non est ille aër.

xv. Dixi, sive aër moveatur & tremat, sive non, per quod non volo ex collisione corporum aërem

non moveri ac tremere, quia experientiam soni à ligna findente excitati, à proximioribus citius, à remotioribus tardius audit, ita expono, ut ex collisione corporum aër qualitate sonorâ & sono informatus uno tractu moveatur, & faciat gyrum per totum illud spatium, in quo æque citò à remotioribus ac à proximioribus auditur; & in fine gyri, est pugna aëris hujus gyri cum aère ex adverso adveniente; altero instanti post pugnam (quod est instans victoriæ) ex collisione aëris utriusque partis mediâ illâ qualitate sonorâ editur novus sonus ad certum iterum spatium: eodem modo expones experientiam tonitruum auditum post visum fulguris, quod tamen, cum esse non possit ante effractionem nubis, quæ est tonitruum, præcedit; per hoc ergò quod dixi sive aër moveatur & tremat, sive non, solum volui contra Avicennam motu & tremore illo non ferri sonum ad aures audientium, quia sub aqua stagnante etiam immota, quantum experiuntur piscatores à piscibus, præsertim Delphino juxta Plin. lib. 6. cap. 8^o. auditur sonus, sub illa autem non est ullus motus aut tremor aëris, imò nec aquæ, ut dixi. His itaque suppositis,

xvi. Probatur major Confirmationis: vel sonus æque citò à remotioribus, quam proximioribus auditur? & tunc à suis causis immediatè in toto spatio producitur, prout species visuales in toto spatio ab objecto colorato producentur: vel à proximioribus citius, & à remotioribus tardius? & tunc fit interruptè nova productio soni ex nova collisione unius & alterius partis; ergo omni casu sonus est per seipsû sufficienter approximatus & proportionatus auditui.

xvii. Objicies 1^o. plures soni sese impediunt, & flante vento difficilius auditur sonus; sed non est ratio istius, nisi quia sonus transfertur ad aures audientium mediâ aère vicino corporibus se collidentibus, reliquum aërem perrumpente, ergo, &c.

xviii. Confirmatur, non est credibile aërem primi gyri ex collisione & pugna cum aère ex adverso proveniente posse tantum sonum edere, ergo dicendum est, vel sonum in aère corporibus se collidentibus vicino successivè transferri ultra, vel sonum sibi simile ulterius & ulterius producere successivè.

xix. Resp. negando minorem, quia quòd plures soni sese impediunt, fit quia auditus (utpote limitata virtutis, uti cæteræ animæ nostræ potentia) quò plura simul percipit, minus distinctè & perfectè percipit; quòd verò flante vento difficilius auditur sonus, eadem est ratio, nam ventus flans etiâ sonum & sibilum edit. Sed si ventus sit contrarius, sic aër pugnat & vincit, ut in oppositam partem mediâ qualitate sonorâ sonum producat.

Ad Confirmationem

xx. Resp. negando assumptum, id enim non est minus credibile, quàm quòd vox valde crassa & altisonans formetur ex repercussione aëris attracti per os ad laringem, ab aère à pulmonibus misso; item quàm quòd flamma, vel ex bombardâ, vel ex tormento bellico exiliens, magno impetu repercutiendo aërem vehementissimum sonum edat, & idem est de sono tonitruum ex effractione nubis facta ab exhalatione calida & sicca in illa inclusa, unde Fromondus 2^o. Meteororum c. 10. Omnis enim sonus videtur ex laceratione aëris vel alterius corporis fluidi proximè nasci, puta occasionaliter, & mediâ actione qualitatis sonoræ efficienter,

xxi. Instabis, sic fore ut nunquam audiatur sonus tormèti bellici, aut cæpanæ, vox concionatoris, &c.

sed aëris utrimq; se collidentis, quod est absurdum.

xxii. Resp. negando assumptum 1^o. quia verisimilius est sonum tormenti bellici, aut campanæ, vocem concionatoris æquè cito à remotioribus ac à proximioribus audiri: unde in mea sententia melius dicitur audiri sonus tormenti bellici, &c. quàm in sententia adversariorum dicentium sonū à sono per medium produci: in hac enim sententia sonus esset soni sonus, in nostra verò esset tormenti bellici aut campanæ, &c. sonus; utpote ab aëre ab illis immediatè moto; deindè licèt sonus tormenti bellici aut campanæ (de quo solùm potest esse dubium) non æquè cito à remotioribus ac à proximioribus audiretur, adhuc deberet dici sonus tor-

menti bellici aut campanæ, &c. utpote causæ producentis qualitatem sonoram, ac 1^o. moventis aërem, ex cuius motu sonus producitur, juxta illud Aristot. 2^o. de Anima textu 51. *id igitur sonum efficit, quod movet usque ad aurem, aërem continuatione unum.*

xxiii. Objicies 2^o. duarum testudinum motà fide unà, movetur & alia ejusdem toni, sonumque edit silentibus aliis, ergo sonus transfertur medio aëre moto, ad cuius motum alia fides movetur.

xxiv. Respondeo negando consequentiam, quia inde solùm sequitur ex repercussione corporum aërem moveri, quod docuimus supra; non verò medio aëre moto, sonum ad aures audientium transferri, quod negamus contra Avicennam.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Odore & ejus Objecto.

D V B I V M I.

Quid Odoratus & ejus Objectum.

R E S O L U T I O.

I. **D**ico, Odoratus est potentia sensitiva odoris, ac proinde proprium ejus objectum est odor. Ita omnes.

D V B I V M II.

Quid sit Odor.

II. **D**ico, Odor est qualitas solo odoratu perceptibilis. 2^a. pars hujus resolutionis experientia patet.

III. Probatur prima contra Heraclitum, & veteres Philosophos ac Medicos, qui voluerunt odorem esse vaporem è corpore odorifero emissum; & contra Avicennam, qui voluit esse spiritum humidum: objecta nobiliorum sensuum, ut visus & auditus, sunt qualitates, nec est ulla necessitas dicendi objectum olfactus esse substantiam: ergo, &c. 1^a. pars patet ex præmissis. 2^a. probatur, quia (præterquam quòd Aristot. 2. de anima c. 6. dicat substantiam non esse sensibilem per se, sed per accidens, id est, per accidentia illi superaddita) tota necessitas, quæ adferri posset, est, quòd odor nusquam perciperetur sine evaporatione, vel exhalatione substantiali, sed hoc nullo modo est; ergo, &c. Probatur minor, quia falsum est odores semper diffundi cum aliqua tenui substantia, (licèt id ad aliquod spatium fiat) nam non est ulla ratio dicendi odores potius diffundi per totum spatium cum aliqua tenui substantia, quàm sonos, colores, &c. ut solutione argumentorum patebit: ergo, &c.

IV. Confirmatur hæc minor, quia incredibile est corpora odorifera ad tantum spatium suam substantiam exhalare & evaporare ad quod odorantur: Deinde posito pane super aquam illum odorantur ex profundo maris pisces; quis autem crederet panem per exhalationes suas substantiales mare tam profundè dividere, quod fieri deberet: ergo, &c.

V. Dices 1^o. homines experiuntur sese odoribus nutriti; sed non odoribus præcisè, ergo odoribus receptis in exhalationibus substantialibus.

VI. Respondeo concedendo totum, inde tamen non sequitur odores ubique diffundi cum aliqua tenui substantia, sed ad certum spatium, v. g. quòd homines experiuntur sese nutriti odoribus: sapè enim sentiunt odores, quibus nutriti non possunt; alioqui dici oporteret vultures ad multa miliaria nu-

triri odoribus cadaverum, quod difficulter crediderim, si verum est quod hic refert Albertus cap. 25. vultures, scilicet, ad 50. miliaria distantes, sensisse odorem cadaverum in bello Trojano occisorum.

VII. Dices 2^o. corpora odorifera continuà odoris evaporatione amittunt odorem, exsiccantur, & flaccescunt, unde debent vase aliquo concludi; in humido loco servari, &c. ergo, &c.

VIII. Respondeo concedendo totum: quia omnem evaporationem non negamus, magis quàm in propagatione soni negaverimus omnem motum & tremorem aëris: sed solùm docemus sine illa evaporatione adhuc diffundendum odorem, sicut revera putamus diffundi ad spatium aliquod; in quo evaporationes & exhalationes alio sensu, quàm odoratu, non percipiuntur: & hinc ulterius patet, cur aliqui odores, ut fabarum, ad aliquod spatium caput lædant & dementent, alii sanent, ut rosarum, quamquam putem id etiam referri posse in qualitates noxias vel salutaris; alii nutriant: &c. non tamen ad omne spatium, ut docet experientia.

IX. Dices 3^o. multa corpora odorifera non emittunt odorem, nisi calefacta & manibus compressa: sed hoc ideo est; quia per calefactionem & compressionem excitantur ad evaporationem: ergo, &c.

X. Respondeo id fieri, quia in nonnullis odoriferis cortex seu superficies, habet se instar palpebrarum respectu oculorum, quæ nisi aperiantur, oculi non vident; ita similiter de illa superficie aut cortice, quia nisi per calorem ejus pori aperiantur, vel ipsa per contritionem quasi tollatur, cortex non emittit odorem.

D V B I V M III.

Quomodo odor diffundatur per totum spatium?

R E S O L U T I O.

XI. **D**ico, odor nec per species intentionales contra Murciam, Telles, Poncium, Fromondum nuper rimè, &c. nec per evaporationem substantiæ seu spiritus odoriferi contra Philoponium, Iavellum, &c. quibus videtur ad stipulam Oviædus, diffunditur per totum spatium, in quo percipitur; sed per seipsum prout de sono diximus, ita tamen ut odor odorem non producat contra Comimbrienses, Arriagam, &c. quibus etiam videtur favere Oviædus; sed sola corpora odorifera.

XII. Probatur 1^a. pars, quia non est potior ratio admittendi species odorabiles, quàm audibiles; sed

sed has non dari probatum est supra, ergo nec illa dantur.

xiii. Confirmatur ut ante de sono; odor est per seipsum omni casu sufficienter approximatus & proportionatus sensui; sed species tantum requiruntur ad approximandum & proportionandum objectum suæ potentia; ergo, &c. Probatur minor in gustu & tactu, in quibus omnes communiter negant species distinctas, quia ipsorum objectum est per seipsum sufficienter approximatum & proportionatum: ergo, &c. Probatur major solutione argumentorum.

xiv. Probatur 2^a. pars probatione primæ partis supra dubio 20.

xv. Dices, tam est credibile corpora odorifera ad tantum spatium suam substantiam exhalare, quam sit credibile particulam thuris exhalatione sua totum cubiculum infumare, ergo odor per totum spatium diffunditur per evaporationem substantia; seu spiritus odoriferi. Probatur antecedens: quia exhalationes aliorum corporum sunt multo subtiliores fumo thuris.

xvi. Respondeo negando assumptum, quia magnum quodcumque cubiculum, nihil est respectu spatii, per quod totum, odores diffunduntur, & vultures illos sentiunt: deinde etiam incredibile est odorem thuris in sola evaporatione thuris sentiri, nam si supra aquam thuris comburas, intra aquam senties odorem, non secus ac pisces sentiunt de profundo maris panem, nullus tamen fumus intrat aquam.

xvii. Probatur 3^a. pars, ultra illud spatium in quo odor in exhalatione & spiritu substantiali percipitur, non percipitur per species, uti contra Murciam, Fromondum & Poncium probavimus, pro-

bando conclusionem pro 1^a. parte; ergo immediate per seipsum.

xviii. Probatur 4^a. pars: quia cæteræ qualitates secundæ uno sensu externo perceptibiles, ut sonus, color, &c. non producunt tibi simile, ergo nec odor: quod enim P. Ovied. id refundat in particularem naturam illarum, diversam à natura odoris, nihil refert, quia, ut inquit P. Arriaga hic num. 62. *ad occultas rerum naturas recurrere, quando difficultates aliunde sufficienter possunt explicari, magis est obfirmati in aliqua sententia animi, quam Philosophi puram veritatem anhelantis.*

xix. Confirmatur, omnis experientia odorum sufficienter explicatur absque eo, quod odor odorem producat; nam quomodocumque producit odor semper adest aliquod corpus odoriferum, aut exhalationes ejus, quæ, ut corpus sonorum sonum per totam suam spheram, odorem suum diffundunt, & tamdiu durant, & tam tenaciter aliis corporibus adherent, quam ipsimet odores in sententia Arriagæ (pro quorum definitione, cum contrarium non habeant, recurrere debet ad occultam naturam fluxam ipsorum, quod in aliis reprehendit) scilicet, quamdiu aliquid suæ substantiæ exhalare possunt, nec antea, in aërem vel alia corpora convertuntur. Hinc

xx. Patet 1^o. cur canes leporem prosequantur fugientem a verso vento; exhalat enim lepus spiritus aliquos odoriferos in terram, qui aliquamdiu manent.

xxi. Patet 2^o. sic nos clare explicare quomodo desinant odores, non recurrendo ad occultam naturam fluxam ipsorum, uti recurrit Arriaga, eod quod alioqui cum contrarium non habeant, nunquam desinerent.

DISPUTATIO NONA.

De reliquis sensibus externis & eorum objectis.

DUBIUM VNICUM.

Quid gustus & tactus & qua eorum objecta?

RESOLUTIO I.

I. Ico 1^o. gustus est potentia sensitiva saporis, tactus vero potentia sensitiva quatuor primarum qualitarum, mollitiei, duritiei, gravitationis, & plurium per solam experientiam cognoscibilium: unde sapor est objectum gustus: dictæ omnes qualitates objectum tactus.

RESOLUTIO II.

II. Ico 2^o. objectorum tactus & gustus non dantur species gustabiles & tangibiles; ratio est quia non gustantur & tanguntur nisi approximata, & sunt seipsis satis proportionata ad gustationem & tactionem.

III. Dices tamen, si objectorum odoratus, de quo supra, & tactus non dantur species odorabiles & tangibiles, ut quid aperto poculo, in quo est electrum, sentimus summum odorem, aperto fornace magno igne accenso, sentimus vehementem calorem, & illis clausis, ferè nullum?

IV. Respondeo id fieri, quia illis apertis multi

spiritus odorum, & ignis emittuntur, qui quia in initio parum tenaciter hærent, fit ut ad modicum motum aëris removeantur à nobis, & illis clausis vix sentiantur.

v. Instabis, si electrum & ignem per illos spiritus sentiremus, nec electrum, nec ignem sentiremus contra commune pronuntiatum.

vi. Respondeo nos electrum & ignem sentire, eo modo, quo supra diximus nos sonum campanæ ultra primum gyrum audire, scilicet mediè ac improprie. Nec multum curandum est commune pronuntiatum, quod fundatur in vulgari apprehendendi modo, quia, ut rectè notat Oviedus de anima tract. 13. puncto 16. multoties res aliter attingit quam in se sint.

vii. Dices 2^o. Aristoteles hic cap. 2. dicit *sensum recipere formam sine materia*, per formam autem ex communi intelligit speciem.

viii. Respondeo Aristotelem ibi sensum sumere pro visu famosiore suâ specie, quomodo etiam sumit sensum, quando ibidem dicit *sensibile positum supra sensum, non sentiri*. idq; respondemus conformiter ad placitum Hippocr. & Plat. de quibus Galen. lib. 7^o. hæc refert: *ut gustus atque alii sensus fiant, opus est, ut ad animantis corpus perveniat ipsum sensibile; visus autem per medium aërem ad coloratum extenditur.*

DISPV.

DISPUTATIO DE CIMA.

De Speciebus impressis sensus interni.

3. **D**E speciebus sensuum externorum satis supra à Disputatione quinta de visu. Nunc superest ut aliquid de speciebus sensus interni similiter dicamus. Quare sit

D V B I V M I.

An in sensu interno dentur species impressæ?

R E S O L U T I O.

II. **D**ico, in sensu interno nullæ dantur species impressæ sive sensatæ, sive insensatæ à sensu interno realiter distinctæ: Est Nominalium contra Suar. Hurtad. Arriag. Oviéd. Telles, Murc. Poncium, & D. Fromond. de Anima lib. 3. cap. 8. art. 3^o. Scotistas ac Thomistas communissimè. Sed ante probationem hujus difficultatis, secretioris ferè, inter omnes Philosophiæ totiusque Theologiæ secretissimas.

III. Suppono 1^o. species sensatas esse illas, quibus sensus internus cognoscit objecta aliquo sensu externo cognita, ut colorem, odorem, &c. insensatas verò esse illas, quibus cognoscit objecta nullo sensu externo cognita, ut convenientiam, disconvenientiam, inimicitiam & amicitiam, agnus enim cognoscit amicitiam pastoris, inimicitiam lupi.

IV. Suppono 2^o. rationabiliter dici posse intellectum Angeli & hominis, sensum internum hominis & bruti in eo imitari intellectum divinum, quòd sit sibi species impressa omnium objectorum, tam existentium, quam non existentium quorum in sententia adversariorum species impressas realiter distinctas sibi naturaliter comparare potest; & consequenter abstractiva non existentium, & intuitiva existentium.

V. Ratio autem est; 1^o. quia in eo nullum est absurdum contra SS. Patres aut rationem; non inprimis contra SS. Patres, quia nec commune Axioma ex objecto & potentia paritur notitia sumptum ex Aug. 9. de Trin. c. ult. convincit species illas esse realiter distinctas; quia dici potest Augustin. tantum vel le ex objecto ut objective & exemplariter contento in potentia, & potentia pari notitiam, ad quod non requiritur ulla species realiter distincta. Nec S. Thomas aliud docet, ut clarè patet ex q. 55. de Angelis. art. 1. ubi docet in mente Angeli esse similitudines creaturarum (quod extendere potes ad alias distinctas potentias ob paritatem à ratione statim adferendam.) non quidè ab ipsis creaturis acceptas, sed à Deo, puta producendo istum Angelum, cui identificantur. Non etiam contra rationem: Quia bene passim admittitur, quòd Angelus, homo, &c. percipiant objecta sua per potètiis sibi identificatas, sicut Deus; quidni & per species impressas sibi identificatas? si aliud absurdum adferri non possit & illæ species non sint minus Angelo & homini identificabiles, quam illæ potentia: neque id superat perfectionem talis potentia: quia esse tales species bene covenit ipsis speciebus, quæ sunt entia ipsis potètiis imperfectiora.

VI. 2^o. Ratio est, quia sic vitantur infinitæ propemodum specierum internarum, & productionum earum, multiplicationes sine necessitate, nec ad Deum recurrendum contra veram Physicam pro

speciebus objectorum, quæ Angeli ab initio cognoscunt, ut communiter recurrunt Theologi, qui docent eas non posse produci ab objecto; aut quia materiale, & nimis distans ac improporionatu, aut tum quia alioqui, si immateriale, eas in omni ente immateriali, ac proinde Angelus sui speciem in anima nostra contra experientiam, produceret, nam ut suppono illam necessariò, ut cætera, in objecto produceret, & immateriale est subjectum illius proporionatum; tum quia per medium materiale diffundi non possunt.

VII. Suppono 3^o. species realiter distinctas quarumcumq; rerum, utpote sui non excitativas, debere per aliquid distinctum excitari, ut una præ alia istam ad cognitionem objecti, cujus est species, excitet: intellectus enim habet species omnium aliquando cognitorum v. g. illorum tamen omnium non recordatur simul, aut omnia illa simul non cognoscit & ad recordationem, aut cognitionem quamlibet eorum indifferens est: ita adversarii nostri, quidquid verò adferent pro excitamento speciei unius præ alia, adferemus & nos pro excitamento istius potentia: immediatè ad unam cognitionem præ alia: illud autem excitamentum distinctè cognoscere putant Philosophi, & nominatim Poncius de Anima q. 3^a. disp. 2. esse unum ex difficilioribus naturæ arcanis; Oviéd. ibi esse maximum totius Philosophiæ Sacramentum, nunquam satis ab aliquo explicandum, & verè equidem, quia nec patet causa, quæ longissimæ orationis, quam ex memoria recitamus, species excitet eo ordine, quò excitantur; nec principium à quo oriatur, quòd alicujus rei volentes non recordemur, & nolentes aliquando recordemur; unde idem Poncius loco cit. conclus. 1. dicit pro specierum excitatione, vel ad Deum recurrendum, vel ad dignam causam, quam non assignat; quia tamen similem ad Deum sine necessitate recursum ubiq; rejeci ut minus probabilem & parum Phisicum, de alio istarum specierum excitamento, infra.

VIII. Profectò resolutiones circa specierum conditionem, in qua natura miraculum posuit non nisi obscuræ esse possunt; profundè quidem ut solet D. Fromond. de speciebus sensuum internum de anima lib. 3. c. 8. art. 3. philosophatur, dum ait: Nisi imagines quedam sensibilibus externorum in cerebrum subirent, in absentia eorum, nec homines, nec bestia se vidisse, se audisse, &c. recordarentur. Per imagines, quippe in ventre memoriæ asseveratas sit eorum recordatio. Sed mihi obscurum est quòd ibi dicit imagines illas sensationum externarum esse imagines ab ipsis sensationibus externis in cerebrum jaculatas; quia sic tactio deberet per sensorios nervos à planta pedis in cerebrum ejaculari, & cum cursorum motus continui, sint tales tactiones & motus, continuæ & infinitæ essent imaginum, tactionum, & motuum istorum præteritorum ac præsentium in cerebrum ejaculationes, & consequenter de aliis totius corporis, sensationibus externis; quæ profectò, utpote fortè in eadem parte cerebri confusivè & sine ordine existentes, cerebrum turbarent, & confunderent; prout nimis multæ ac sine ordine visuales imagines in oculos apertos immixtæ visum turbant ac confundunt.

Deinde

ix. Deinde illæ sensationum externarum imagines sunt ultima ad sensationem internam determinatio; vel non? si primum, cum sensus internus sit potentia necessaria, & illæ imagines, determinationes necessariae, tot statim erunt sensationes internæ, quot illæ actiones & sensationes externæ contra experientiam: si secundum, commodius dicitur animam sensitivam esse seipsa essentialiter imagines omnium sensationum externarum & aliarum multarum determinabiles ad sensationes internas per illud ipsum, per quod imagines illæ determinari debent, ut sensum internum ad talem sensationem eliciendam determinent: sic enim omnino vitatur dicta perturbatio & confusio cerebri, & frustranea tot imaginum multiplicatio; quodque mihi in tantum verisimilius est, quod præfatus Doctor dicit in fine articuli citati *maximam imaginum turbam esse, quæ nec per sensuum externorum fenestras intraverunt, nec ex eis sunt fabricata, sed ab autore naturæ in prima generatione (ubi ad Deum pro purè naturalibus recurrit sine necessitate) infuse, tales enim in brutis, inquit, agnoscit S. Thomas de veritate q. 22. art. 7. aliis enim animalibus sunt indite, secundum naturalem estimationem, quædam substantiales conceptiones, eis necessariae, sicut ovi quod lupus ei sit inimicus, & huiusmodi.*

x. Difficiliter tamen contra obijcitur quod experientia manifestum sit ex mutata temperie cerebri nasci oblivionem; igitur species erant in cerebro. Verum

xI. Respondeo id non contingere, quia simul mutantur imagines sensibilium; sed quia cerebrum, utpote organum sensus sit sensationum internarum eliciendarum incapax, pro parte, vel toto. Unde optime ad rem nostram D. Fromondus ibidem: *Potest esse alio modo, quam per specierum abolitionem, nasci oblivio, si species incolumes quidem maneat (quod juxta nostram sententiam æquivalet, si identificentur animæ) sed humore aliquo vias sapiente, è lateribus suis ad potentiam evocari non possint.*

xII. Difficiliter adhuc obijcitur: sed quid animam sensitivam potius ad unam sensationem, quam ad aliam excitat? verum hæc est communis omnium difficultas.

xIII. Peto enim, quid in adversariorum sententia cerebrum, & existentes in cerebro imagines, præsertim de insensatis, aut diu ante sensatis, excitet? quidquid attuleris, facilius animam excitabit, quæ cerebrum ad cooperandum determinet, quam cerebrum ipsum, aut imagines in cerebro tam confusas, excitet; id autem puto, sicut & cur potius de uno, quam de alio somnietur, provenire ex determinationibus animæ ad necessarias sensationes externas, ad quas anima mediis objectis in aliis potentius, quam visu, & mediis speciebus impressis pro visu, determinatur, juxta hoc axioma, *Nihil est in intellectu, quod à fortiori verum est de sensu interno, quod prius non fuerit in sensu;* positus enim sensationibus illis, anima seipsa determinata est ad seipsa utendum specie istius, vel illius objecti, potius quam alterius. His itaque suppositis & præmissis,

xIV. Probatur Resolutio I^o. quia nequidem in intellectu dantur species realiter distinctæ, ergo multò minus in sensu interno, quia non extenditur ad tam multa objecta, quorum successivè cognitiones & recordationes habere possit. Consequentia videtur legitima, unde multi in sensu interno negant species, nulli verò præter Nominales, negant species in intellectu, præsertim Angelicis: Antecedens

patet ex præsuppositis.

xV. Probatur 2^o. quia non est à qua causa producuntur, & postea productæ excitentur illæ species, ergo, &c.

xVI. Probatur antecedens pro 1^a parte 1^o. non enim à Deo, quia frustra ad Deum recurritur ut causam particularem effectivam purè naturalium; si enim per impossibile Deus non esset, & esset homo ac alia entia, adhuc homo & bruta ea cognoscerent, & post cognitionem eorum recordarentur.

xVII. 2^o. non etiam ab objecto, 1^o. quia alioquin cum species semper essent ab objecto existente, semper repræsentarent sensui interno objectum existens contra experientiam; sæpius quippe est in nobis & brutis, quantum apparet, recordatio præteritorum. 2^o. quia sæpe phantasiamus de objectis impossibilibus, sicut & oves currentes de casu possibili, qui eas retardat à cursu celeriori; ab objecto autem possibili non possunt illæ species produci: 3^o. species ab eo conservantur à quo 1^o. producuntur; nam productio & conservatio solo connotato distinguuntur; sed in sententia omnium aliorum non conservantur ab objecto, quia objecti præteriti & longissimè absentis, recordamur, ergo, &c.

xVIII. Probat Murcia & Poncius species sensus interni nequidem produci à speciebus impressis objectorum exteriorum; quia potest esse species impressa objecti externi in potentia externa v. g. in visu dormientis oculis apertis, ut ovibus & nonnullis hominibus, vel vigilis, sed omnino ad alia attendentis, quin causetur visio externa, ergo &c., quin causetur species impressa interna objecti. Sed

xIX. Contra, etiam responderi potest tunc causari speciem impressam internam objecti, licet non causetur visio & sensatio interna defectu attentionis, quia tamen, hoc posito, aliquando in sensu interno produceretur species objecti absque specie impressa, vel expressa objecti externi, ut si color sit immediatus organo, dicendum esset contra Poncium, species sensus interni non produci à specie expressa, nisi ut concurrente partialiter & per modum conjungentis passum cum causa efficiente, ex quo ulterius patet contra eundem Poncium de anima Disp. 8. q. 8. quomodo explicari possit, quod sensatio externa habeat rationem conditionis *sine qua non* ad productionem speciei internæ.

xx. 3^o. Non à specie impressa externa objecti; quia hæc non videtur producere speciem objecti secundum aliam rationem, quam objectum attingatur à sensu exteriori, non attingitur autem sub ratione præteriti vel possibili, sub qua à sensu interno attingitur: Deinde à specie impressa externa objecti non conservatur; ergo nec 1^o. producitur.

xxI. 4^o. Contra Hurtadum, Arriag. Ovied. Murc. Ponc. & Thomistas communiter, non à specie externa objecti: 1^o. quia species impressa ex natura sua repræsentat illud, à quo principaliter producitur, ut constat de speciebus visis; quia est semen illius à quo producitur, sed sæpius recordamur objecti, & non præteritæ sensationis objecti, ergo, &c. 2^o. quia cum absit species expressa interna, dum objecti recordamur, non potest in sententia omnium aliorum species interna impressa conservari ab illa expressa, ergo neque ex dictis 1^o. produci.

xxII. 5^o. Multò minus ab ipso sensu interno; 1^o. quia commodius sine tot entium superflua multiplicatione diceretur sensum internum esse species ipsas impressas. 2^o. quia ipsum non repræsentant, ergo nec

ab ipso producantur. 3^o. quia secundum aduersarios est indifferens ad quamcumque speciem habendam; de eo autem, quod dicitur ipsius indifferentiam tollere, dicere poteris, speciem sensus interni producere, vel potius iuxta resolutionem præcedentem animam ad producendam sensationem ei correspondentem determinare.

xxiii. Confirmatur: quia in nostra sententia vitantur infinitarum propemodum specierum, & productionum specierum, earumque excitementorum sine ulla necessitate multiplicationes, & inexplicabiles difficultates; ergo, &c.

solutio Objectionum.

xxiv. **O**bjicies 1^o. ex Murcia hic, similibus rationibus probatur, necessariò species impressas ponendas in sensu interno, quibus probatum est supra, ponendas in sensu externo; hic enim applicatæ, inquit, habent eandem vim, ergo, &c.

xxv. Confirmatur ex P. Poncio, etiam hic, qui dicit contrariam nostræ esse omnium Doctorum communissimam: ideoque magis illam veram supponit, sicut & cæteri, quam probet: potentia internæ sunt indifferentes ad omnes sensationes, ergo necessariò in illis ponendæ sunt species, quibus ad aliquas, præ aliis, determinentur.

xxvi. Respondeo negando assumptum; est enim disparitas, quòd sensus internus feratur in objectum possibile, præteritum non existens, & sine ulla necessaria approximatione remotissimum (quantum experimur omnes): sensus verò externus, saltem naturaliter, non nisi in actu existens, & intra certam spheram præsens, nulloque interjecto vacuo vel opaco, quod etiam sensationem internam non impedit; deinde variæ experientia supra allatæ convincunt dari species in visu & speciem visualem non posse se tenere ex parte potentia, seu illi identificari, sed debere ab objecto emitti: nullæ verò id convincunt de speciebus sensus interni.

Ad Confirmationem

xxvii. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in species rememorativas, & insensatas congenitas, de quibus supposito ultimo; illæ enim sunt, uti ipse sensus internus, aut anima ipsa ad suas sensationes vel non sensationes, indifferentes, & tamen earum indifferentia non potest sine processu in infinitum per alias species determinari, ut patet; unde sicut non sunt necessariae species impressæ ad tollendam illarum indifferentiam; neque similiter sunt necessariae ad tollendam sensus interni aut ipsius animæ indifferentiam, ob rationis paritatem.

xxviii. Respondeo 2^o. negando consequentiam, quia eorum indifferentia sufficienter tollitur, per aliquid simile illi, per quod indifferentia specierum jam dictarum tollitur; vide suppositum ultimum supra ante dubii Resolutionem.

xxix. Objicies 2^o. si in sensu interno & intellectu non dentur species, sed sint sibi ipsis species objectorum, quorum in aliorum sententia species realiter distinctas acquirere possunt; cur infantes, non tam perfectè, ac viri phantasiant? cur dormientes, non tam perfectè intellectu discurrunt & discursu bonum, merendo, vel malum, peccando, amplectuntur? quàm sensu interno phantasiant?

xxx. Respondeo ad primum, infantes non tam perfectè ac viros phantasiare, quia (præterquam quod sit, ut docet D. Fromondus lib. 4^o. de Anima

cap. 4^o. art. 9^o. quia eorum cerebrum humore natat, secus in viris) non habent phantasiam, tam perfectè, & circa tam multa exercitatum quàm viri; quæro enim cur unus orator non tam perfectè recorderetur orationis semel habitæ, quàm alterius centies factæ. Cur unus tam perfectè de omnibus non discurrat, quàm alius, nisi quia non habet, defectu tanti exercitii, tantam facilitatem ac alius.

xxxi. Respondeo ad 2^{um} (pro quo iterum P. Poncius ad causam aliquam occultam recurrit, fateturque se notam sufficientem non posse invenire, nec etiã puto in aliqua alia, quàm nostra sententia, facile inveniri posse;) causam esse, quòd plura ad perfectè intellectu discurrendum, quàm ad perfectè sensu interno phantasiandum, cum enim phantasia phantasiat ex instinctu naturæ, & objectorum, de quibus secundum quid discurret, habeat species sibi identificatas, nihil ad phantasiandum præter phantasiam requiritur; at verò cum intellectus discurrat ex cognitione bonitatis consequentiæ saltem virtualiter contentæ in præmissis, realiter à se distincta, & non ex solo instinctu naturæ, aliquid ad perfectè discurrendum, præter se, requirit, v. g. præmissarum cognitionem, quam facile dormiens, eò quòd habeat cerebrum vaporibus, ut ebrius, gravatum & indispositum, deserit, vel si non deserat, facile aliis distrahitur, ut vel conclusionem omittat, defectu attentionis; vel illegitimam & cornutam eliciat; quòd idem extendere poteris ad ebrios: & hinc fit quòd ex communi Theologorum sententia & fori confessionalis praxi discurretis dormientium & ebriorum ex inculpabili ebrietate pro peccatis non reputentur.

xxxii. Objicies 3^o. ex August. lib. 2. super Gen. ad litteram: *Deus bis res produxit, semel quidem in se ipsis secundum esse reale, iterum verò secundum esse intelligibile in intellectu;* & II. de Trinit. cap. 2. ait *positionem specierum intelligibilium difficile suaderi tardioribus ingeniis, ergo, &c.*

xxxiii. Respondeo ad 1^{um} Augustinum tantum velle Deum iterum res produxisse secundum esse intelligibile in intellectu ab illis realiter distincto, quia autem difficulter intelligitur, quomodo res habeant esse aliquod in intellectu: II. de Trinit. dicit *id difficile suaderi tardioribus ingeniis, sive positionem specierum intelligibilium (etsi ab intellectu realiter indistinctarum) difficile tardioribus ingeniis suaderi.*

xxxiv. Objicies 4^o. si intellectus habeat species sibi identificatas omnium objectorum, quorum species realiter distinctas in sententiâ aliorum acquirere potest, jam se solo independentem ab omni phantasmate & sensatione intelligere poterit, sicut postea in statu separationis; sed hoc est contra Axioma, *Nihil est in intellectu quod prius, &c.* communiter receptum, ergo, &c.

xxxv. Respondeo negando majorem: nam licet intellectus non requirat sensationem ut causam speciei objecti, quod intelligit; requirit tamen sensationem seu phantasma expressum, vel ut medium in quo sua objecta percipit, vel ut causam occasionantem incorporeorum cognitionem, quod est expressa sententia Aristotelis hic lib. 3. textu 39. *Necesse est intelligentem phantasmata speculari, vel ut veritatis Argiopolus, Qui contemplatur necesse est unâ cum phantasmate contempletur, scilicet tamquam in medio, vel causâ occasionante incorporeorum cognitionem: dixi causam occasionantem, &c.* propter auctoritatem tum August. Epist. 56. *quasi verò* (inquit)

non multa ac prope innumerabilia cogitentur incorporaliter atque intelligibiliter, ab eis, qui talia cogitare non verunt, sicut ipsa sapientia & veritas. tum D. Th. 1. p. q. 84. art. 7^o. post Dionysium de divin. nom. c. 10. & ideo, cum de hujusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus converti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non sint (nota) phantasmata; necessitatem autem hujus experientia docet; nam si lædatur cerebrum in quo residet phantasia seu sensus internus, læduntur operationes intellectus, ut constat ex furiosis & amentibus variis: deinde Angelos, animam nostram, intellectiones nostras, &c. semper concipimus ad modum rei materialis, ut experientia etiam constat; quia medio phantasmate de re corporea illos cognoscimus, sed quæ ratio harum experientiarum?

xxxvi. Respondet 1^o Poncius non posse assignari aliam præter ordinationem divinam, factam in penam peccati originalis: verum id non est mihi verisimile, magis quam Adamum innocentem cognitione naturali cognovisse angelos per speciem propriam, cujus tamen intellectus erat ejusdem speciei cum nostro; vel magis quam Christum Dominum acquiraturum scientias experimentales independentes à phantasmatis, si ulla poenas peccati non tulisset.

xxxvii. Respondet 2^o Murcia ex D. Thom. 1. p. q. 84. rationem esse, quia modus operandi sequitur modum essendi: Verum id potius contrarium probat: quia sicut modus essendi animæ est spiritualis, ita modus operandi deberet etiam esse spiritualis: Deinde operatio mentalis, non obstante concomitantia phantasmatis, manet spiritualis, quomodo igitur sequitur modum essendi corporeum? Denique nec est, cur modus operandi sequatur potius modum essendi corporis, quam animæ spiritualis; nec etiam, cur operatio animæ spiritualis potius sequatur modum essendi corporis, quam operatio corporis modum essendi animæ spiritualis. Quare alter

xxxviii. Resp. rationem esse, quia unio cum corpore determinat animam ad non utendum nisi speciebus phantasmatis & objectorum, quorum cognitiones occasionant: quod illa unio id faciat, ex eo patet, quod nullus homo sit assignabilis operans natural. independentes à contemplatione phantasmatis: De beatis enim & Christo ut scientia infusa instructis, aliud est, ut patet, de quibus in Theol.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De Anima rationali, & ejus potentiis.

D V B I V M I.

An anima rationalis sit spiritualis & immortalis, & una sit perfectior altera substantialiter?

Ante Resolutionem
1. Suppono 10. ex dictis in Logica Tract. 5. Disp. 2. de quantitate dub. 3. supposito 5. corporeum, five materiale rectè definiti, quod extensum habet partes extensas, id est, extra invicem realiter. Has autem definitiones ibi habes expositas & probatas, & ex illis facillimum est definire corpus & spiritum, qui à corporeo & spirituali in eo præcisè differre videntur, quod corpus & spiritus videantur esse substantiæ tantum; corporeum verò & spirituale, etiam accidentia.

ii. Neque contra præsentem corporis definitionem objici potest, quod P. Compt. de Anima Disp. 7. contra Renatum Des-Cartes objicit: In sacrosancta Eucharistia est verum & reale corpus Christi, & tamen illic non habet actualem extensionem, &c. quia quoad hoc satis definitionem nostram præcautum est, dicendo quod extensum five si extendatur: non enim repugnat esse corpus, & non extendi actualiter, sed potentialiter tantum, ut convincit objectio. Aliter tamen contra definitiones illas,

iii. Objicies 1^o ex eodem P. Compt. de Anima Disp. 7. sect. 1. Non est ex quo capite repugnet res aliqua spiritualis habens partes extensas in ordine ad locum, sicuti eas habet in ordine ad subiectum & tempus intensas; ergo, &c.

iv. Respondeo repugnare ex formali conceptu rei corporeæ & incorporeæ five qui primò occurrunt menti ens corporeum & incorporeum concipientis, de quo in Logica loco paulò ante citato,

R. P. Francisci Bone Spei Physica.

v. Objicies 2^o ex eodem ibidem, ratio corporis seu rei corporeæ, prout distinguitur à spiritu, est, vel quantitas, vel quidpiam habens conjunctionem aliquam Physicam cum illa; ita ut sine ea existere connaturaliter non possit: ergo, &c. Probatur antecedens, quia hic conceptus competit omnibus, & solis rebus corporeis, ut inductione constabit discurrenti.

vi. Respondeo negando assumptum: quia satis in Logica, loco citato, ostensum est dependentiam à quantitate omnino impertinenter se habere ad primum conceptum rei corporeæ: deinde, secundum definitionem illam, non datur conceptus unus omnibus corporeis communis univocus; sed duo, ut consideranti patebit, quod est superfluum, ubi unicus assignari potest. Quod enim l. 6. n. 6. dicat, creationem, quæ albedinem ita redderet independentem ab omni connexionem cum materia & quantitate, ut connaturaliter sine iis existere possit, fore spirituale; nec mirum esse, quod ex antiquis hoc nullus asseruerit, quia hæc questio hoc solum tempore discuti cæpit. Hoc tempore recipi non potest, quia est contra conceptum rei corporeæ, qui primò menti, tam antiquorum Patrum & Philosophorum, quam modernorum, occurrit, neque prætereà satisfacit rationi paritatis, quam in Logica loco supra citato. n. 101. attulimus.

vii. Suppono 2^o Decretum Leonis Papæ X. in Conc. Lat. Sess. 8. anno Dom. M. D. XIII. sic habere.

viii. Cum diebus nostris (quod dolentes referimus) Zizanie seminator antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores à fidelibus semper explosos in agro Domini super-seminare & augere sit ausus, de natura præsertim animæ rationalis; quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus, & nonnulli temerè Philosophantes, secundum saltem Philosophiæ, verum id esse asseverent. Contra hujusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio,

lio, damnamus & reprobanus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hec in dubium vertentes. Et infra.

Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse desinimus: & ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inbibemus. Omnesque hujusmodi erroris assertionibus inherentes, veluti damnatissimas hereses seminantes, per omnia ut detestabiles & abominabiles hereticos & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus.

IX. Insuper omnibus & singulis Philosophis in Universitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus, districtè precipiendo mandamus, ut cum Philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deviare noscuntur, Auditoribus suis legerint seu explanaverint, hoc est, de anime mortalitate, aut unitate, & mundi eternitate, ac alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & per suadendo, pro posse, docere; ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resolvere.

x. Vnde fortè, non impingeret quidem in decretum illud, is, qui proponeret adversariorum ad argumenta Catholicorum solutiones, ob quas videtur convinci non posse ratione purè naturali, defacto esse aut fieri, quod esse aut fieri fides decernit, ac 1º indagando diceret non videri, &c. 2º asserendo resolveret ratione alià naturali convinci posse de facto esse, aut fieri; quod esse, aut fieri fides decernit. Sed forsan tamquàm filius obedientissimus, quod mater Ecclesia intendit, exqueretur; nam (præterquam quòd decretum illud non statuat veritates fidei, de quibus ibi, videri aliqua ratione purè naturali, & multò minùs istis determinatè, quæ hucusque sunt in medium productæ, efficaciter demonstrabiles) nullam assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam statueret; quia veritas illa dicit esse, non verò, esse, istà. N. ratione purè naturali efficaciter probatur; assertio autem non diceret ratione probatur non esse, aut simpliciter aut secundum Philosophiam naturalem; quam, & non rationem contra solam efficaciam probationis istius veritatis à ratione, solvere attingit decretum citatum, & in Universitate Lovaniensi Promotorum ad Licentiam juramentum: sed assertio diceret non videtur ratione purè naturali efficaciter probari seu convinci esse, sic ut assertio sit contra probationem, &c. veritatis fidei, & non contra fidei veritatem, nisi finaliter ut ipsa efficaciori, quæ dari potest, ratione purè naturali firmetur, quod Ecclesia semper intendit.

XI. Verum, ne quis fortè ex præcipitanti lectionis verbum hoc non caperet, & mentem nostram per inadvertentiam defraudaret: (quod factum experimur;) ut planè sententiam adversariorum; deinde illius rejectionem; deniq; nostram resolutionem firmarem; gravibus viris consultius visum est.

RESOLUTIO I.

Quoad spiritualitatem anime.

XII. Dico 1º. de fide est animam rationalem esse spirituales, vel saltem fidèi proximum, cum nonnulli, lib. 1. de Angelis cap. 8. velint Lateranense non intendisse id definire, quod ibi examinamus.

XIII. Probatur ex Lateranensi sub Innocentio III. cap. 3. Firmiter. Condidit Deus naturam humanam ex spiritu & corpore constantem. Consonat Scriptura Ecclesiast. ult. Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Matth. 25. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Item apud Lucam: In manus tuas commendo spiritum meum. 1. ad Cor. 4. Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus, id est anima, solutus fiat in die Domini.

XIV. Nec refert, quòd spiritus nonnumquam in Scriptura significet rem corpoream, Genes. 8. Adduxit spiritum super terram, id est, ventum & ærem exsiccatantes, & imminuit sunt aquæ. Proverbior. 17. Spiritus tristis, id est, humor melancholicus, exsiccat ossa. Ecclesiast. 3. Quis novit si spiritu filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum ascendat deorsum, ubi anima, tam hominis, quàm bruti materialis, vocatur spiritus; non refert, inquam, quia omnes SS. Patres loca supra citata, explicant de re spirituali.

SENTENTIA ADVERSARIORUM

A sola ratione naturali proponitur.

XV. Dicent adversarii: sistendo in sola ratione naturali, demonstrari non potest animam rationalem esse spirituales.

XVI. Probabunt solutionem omnium rationum, quæ ad illam veritatem comprobendam communiter adferuntur.

XVII. Confirmabunt; quia præcisè sistendo in sola ratione naturali, non videtur demonstrari posse animam rationalem esse formam substantialem, ergo nec spirituales; consequentia tenet à pari: antecedens patet ex dictis lib. 1. Physic. Disp. 3. dub. 1. Resol. 3.

XVIII. Objicies 1º. anima cognoscit ens ut ens, & res spirituales à corporeis discernit; appetit virtutes supernaturales, & ad visionem spirituales Dei aspirat: sed hæc convenire non possunt animæ materiali & corporeæ; ergo, &c.

XIX. Respondebunt fortè negando minorem, quia potentia materiali v. g. phantasticæ & locutivæ convenit de illis discurre, & appetitui sensitivo visionem Dei, &c. appetere, quia ut ostensum est Disp. 10. in fine, in hoc statu res spirituales non cognoscimus per speciem propriam, vel saltem oppositum ratione purè naturali non videtur efficaciter convinci, & idem est consequenter de appetitu; sed per speciem phantasmatis, quam de illis ex auditu narratorum, aut visu scriptorum, excitamus. Deinde cognoscat anima nostra res spirituales, easque discernat à corporeis, appetat visionem beatificam & bonum honestum, &c. non tamen sequitur fore spirituales, quia cognoscit etiam ens ut ens, Deum infinitum, privationes, &c. & appetitui sensitivus appetit privationes dolorum; non tamen ideo anima nostra est ens ut ens, Deus, &c. nec appetitui, privatio: non enim potentia sumunt spiritualitatem aut materialitatem ab objecto, magis quàm entitatem; sed intrinsecè illis convenit; & sicut datur proportio intellectus creati, finiti & limitati, ad objectum increatum, infinitum & illimitatum v. g. Deum; ita & dari potest materialis potentia & corporea ad objectum spirituale & incorporeum; quia potentia corporalis & spiritualis per hoc in ratione spiritualis vel corporalis præ-

præcisè distinguuntur, quòd una habeat partes extra partes, alia illis careat: animam autem habentem partes terminari ad rem non habentem, non magis mirum; quàm corpus aut unionem divisibilem hypostaticè terminari ad Verbum. Deinde in omnium sententia natura non cognoscit evidenter dari Physicè ens ut ens, Deum, ut spiritualem, virtutes supernaturales, &c. Ergo nec evidenter cognoscit animam nostram de facto Physicè esse spiritualem: ita fortè illi.

xx. Objicies 2^o. anima nostra est indivisibilis, & tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, quod ratione naturali demonstratur, quia si esset divisibilis, maneret, aut periret abscisso pede non perit, quia immortalis; non manet, quia aliàs esset in duobus subjectis loco separatis: ergo, &c.

xxi. Respondebunt fortè, sistendo in ratione naturali, fortè dici posse animam in rescisso pede perire, quia in pede separato non potest exercere operationes, quas in conjuncto potest, ob quod supra insinuatū est perire animas perfectorum brutorum in rescissis nonnullis partibus corporis: quòd autem hinc anima nostra futura sit mortalis, nihil refert, inquit, quia, sistendo in sola ratione naturali, non videtur convinci posse esse immortalem, ut infra probabitur.

xxii. Objicies 3^o. ex D. Fromondo de Anima lib. 4. cap. 10. art. 5^o. licet anima nostra, parte sua inferiori, quā in sensuum operationes influit, animæ bruti simillima sit; parte tamen superiori (etiam cum de rebus materialibus & sensibilibus differit) modum cognoscendi, infinito quodam modo sublimiorem omnibus, etiam sagacissimis brutis, à natura habet. Nam non tantum coloris, soni, odoris, &c. existentiam (ut sensus, tam externi, quàm interni solent) intellectus cognoscit; sed essentiam ab existentia abstrahit, essentiam in genus & differentiam resolvit, genus in suas species dividit, proprietates ab essentia manantes considerat; & plurima alia in ejusmodi rebus sensibilibus secundum rationes incorporales & sempiternas, ut loquitur sanctus Augustinus, judicamus. Hic autem cognoscendi modus altiùs supra omnes sensus & phantasmata brutorum elevatur, quàm cœlum à terra distat. Ita ille.

xxiii. Confirmatur, omnes rerum sensibilibus figuras visu & tactu cognoscere nobiscum posunt bruti: sed figurarum proprietates indagare, ut, an triangulus contineat tres angulos duobus rectis æquales; an quadranguli diameter sit incommensurabilis costæ, & sexcenta similia, quæ Euclides & Geometra docet, nullum prorsus phantasma, nulla cogitatio brutis esse potest: Ergo, &c. ita similiter ille.

xxiv. Respondebunt fortè ad objectionem & confirmationem (quæ cæterarum probabilissimæ videntur) ex illis solum videri efficaciter convinci animam hominis esse longè perfectiorem animam brutorum; prout simiæ anima est multò perfectior animæ asini, in quantum ad hominum mores propius accedit, quàm asinus; an autem sit spiritualis, & non corporea, uti anima simiæ, id non magis videtur convincere, quàm quòd anima simiæ (eò quòd valde accedat ad hominum mores) sit spiritualis, & non corporea uti anima asini, qui inter nobiliora animalia ab hominum moribus longissimè recedit.

Alias objectiones vide lib. 1. Physic. Disput. 3. Dub. 1.

RESOLUTIO II.

Evertitur Adversariorum Sententia.

xxv. Dico 2^o. ibi data solutio rationū est nulla, ut statim videbimus; dari autem formas substantiales, efficaciter demonstratum est l. 1^o. Physic. Disput. 3. dub. 1^o. Solut. 1^a & 2^a objectionis, resol. 5^a refelletur: Vnde solum examinare est solutionem ad argumentum D. From. fortè quidè (factor) illud non convinceret efficaciter animam nostram esse spiritualem, apud eum, qui de spiritualitate animæ nil unquam audivisset; verum, jam positā de illius spiritualitate & immortalitate communi famā, ratio nostræ resolutionis sequentis, id efficaciter convincit.

RESOLUTIO III.

Sententia Authoris.

Dico 3^o. etiam sistendo in sola ratione naturali, id est præscindendo ab omni autoritate fidei, scripturæ, Patrum & Scholasticorum, efficaciter probari potest de facto animam hominis esse spiritualem. Ita communissimè Catholici. Dixi, præscindendo, &c. ut directius impetamus nonnullos hæreticos, qui omnē autoritatē spernunt.

xxvii. Probatur, etsi sistendo in sola ratione naturali, &c. efficaciter probari non posset animam rationalem esse spirituales, etiam in eisdem sistendo, efficaciter probari non potest, tam altum cognoscendi & operandi modum, quem in anima rationali experimur, non supponere principium spirituale, sive animam nostram esse spirituales; unde, ut minùs dubium est in ratione purè naturali sistendo, an anima nostra sit spiritualis.

xxviii. Subsumo. Atqui est una lex totius Ecclesiæ, Aristotelis, Platonis, Hippocratis, ut bene probat D. Fromondus de Anima lib. 4. cap. 1. art. 5. & omnium Patrum ac Peripateticorum, quòd anima nostra sit spiritualis: & sicut in dubiis, juxta lumen naturæ præcisum ab omni autoritate bonum commune est præferendum privato, ita & judicium commune privato, si in privato sit periculum incomparabilis injuriæ (puta ex consequenter neganda animæ immortalitate) quæ non est in communi, (tunc enim amplectendum, quod probabilitas saltem, imò & quod ab illo periculo remotius, solo lumine naturæ notum est; ac sic solutio nostra efficaciter demonstrata est:) ergo probari potest efficaciter, &c.

xxviii. Objicies, in tantum valet autoritas, in quantum ratio prævalet, sed hic non prævalet: ergo, &c.

xxix. Respondeo, transeat major pro purè naturalibus; nego minorem: quia non est assignabilis ratio pro opposita sententia, quæ facilius non salvatur in sententia astruente animam nostram esse spirituales, quàm rationes, quas pro hac sententia attulimus, in negante solvi possint; sed in super accedit communis ferè omnium sensus, qui suam habet in ratione sedem, licet non ita nobis expressam; undè oppositum, etiam sistendo in pura ratione naturali, videtur temerarium, & tueri prohibitum in Later. supra citato.

RESOLUTIO IV.

xxx. Dico 4^o. de fide est animam rationalem esse immortalem. Probatur ex Lateranensi sub Leone X. sess. 8. Damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem, & hoc in dubium vertentes, &c. Consonat Scriptura

ra Sap. 3. *Iustorum anima*, &c. Sap. 1. *Iusti autem in perpetuum vivent.* Matth. 20. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* At cum Scripturæ loca clarè non determinant, an anima nostra ex natura sua sit immortalis, an ex gratuito Dei dono, & utralibet pars Scripturam salvet; utrum dicendum, Deo dante, in Theologia definiemus.

xxx. Nec refert quòd Ecclesiastici 3. dicatur: *Vnus est interitus hominis & jumentorum.* Item Eccl. 9. *Melior est canis vivus, homine mortuo.* Psal. 145. *In illa die (scilicet mortis) peribunt omnes cogitationes eorum.* Quia utroque 1^o loco dici potest agi de homine ut homine; tam enim non est post mortem, quàm jumentum; & minùs est post mortem, quàm canis vivus; quia non est amplius ut homo defectu unionis corporis cum anima; 3^o loco non est mentio de cogitationibus ut cogitationibus; quasi post mortem nihil ampliùs cogitent animæ hominum, sed de cogitationibus de rebus nonnullis in hac vita faciendis, secundùm executionem.

Evertitur sententia Adversariorum à sola ratione naturali.

xxxii. **D**icent adversarii, præcisè sistendo in sola ratione naturali, demonstrari efficaciter non potest animam rationalem esse immortalem. Est Scoti & plurium Scotistarum, nominatim P. Poncii hinc Disp. 62. q. 3. Romæ, an. 1641. approbati & impressi, qui sequentes citat, & Scotum diversis locis. Cajet. in c. 9. Epist. ad Rom. Conimb. de Anima separata c. 30. Arriagam de Anima Disp. 10. sect. 1.

xxxiii. Probant solutione omnium rationum, quæ ad illam veritatem probandam communiter adferuntur.

xxxiv. Confirmabunt, quia præcisè sistendo in sola ratione naturali demonstrari posse non videtur animam rationalem esse spirituales & independentem à materia, ergo multò minùs esse immortalem. Consequentia patet. Antecedens probatur ex resolutione secunda. Pro hac confirmatione adducunt auctoritatem S. August. lib. 13. de Trin. cap. 9. ubi dicit: *Vix paucos magno judicio præditos & subtilissimis doctrinis eruditos ad animæ immortalitatem indagandam (scilicet sistendo in sola ratione naturali) pervenire potuisse: ergo, &c.*

xxxv. Objicies 1^o. ex Tolet. 3. de Anima q. 6. anima habet operationem spirituales, utpote, de objecto spirituali, ergo est spiritualis, independentem à materia & immortalis.

xxxvi. Respondent fortè ad illud argumentum, quo sæpius utitur S. Thomas, & Thomistæ post illum, uti etiam Murcia, sistendo in sola ratione naturali, negando antecedens; nam ex eo, quòd objectum sit præcisum à materia & spirituale, non bene inferitur cognitionem illius esse præcisam à materia & spirituales: sicut enim ex eo, quòd effectus phantasmatis vel species impressa spiritualis (in sententia admittentium species ab intellectu realiter distinctas) sit præcisam à materia & spirituales, non bene inferitur causam esse præcisam à materia & spirituales; ita nec cognitionem esse talem, ex eo quòd objectum sit tale. Denique sicut phantasma habet operationem spirituales, & tamen est materiale, & color emittit species visuales independentem à substantia, & tamen est dependens à substantia; quidni

idem dicitur inquit de anima sistendo in sola ratione naturali, licet habeat operationem spirituales. Unde negatur similiter consequentia. Vide solutionem primi argumenti n. 19. Hinc

xxxvii. Objicies 2^o. Deus (utpote justissimus & providentissimus) debet post hanc vitam malos punire, & bonos præmiare, quia boni sæpe in hac vita multis malis & ærumnis afficiuntur, mali vero è contra multis bonis, honoribus & deliciis, ergo anima est immortalis, juxta illud D. Petri, *si Deus justus est, anima immortalis est.*

xxxviii. Respondent fortè 1^o. ad hoc, ut illud argumentum quidquam concluderet: debere esse demonstrabile in sola ratione naturali sistendo, Deum esse, habere providentiam circa creaturas, &c. quòd esse non videtur, ut dicent in Metaphysica: Hoc tamen dato,

xxxix. Respondent fortè 2^o. ad illud argumentum, quòd est commune SS. Patrum; negando consequentiam, quia ad hoc, ut Deus sit justissimus & providentissimus, sistendo in sola ratione naturali, non videtur requiri immortalitas animæ, sed sufficere, si animam mali hominis ex natura sua mortalem, permittat in pœnam suorum delictorum juxta naturam suam definire & mori, post separationem à corpore: animam vero boni similiter ex natura sua mortalem, in præmium suorum bonorum operum per gratiam specialem conferret mille annis & ampliùs post separationem à corpore. ita ferè Arriaga loco cit. Et Scotus in 4. dist. 43. q. 2. apud From. de An. l. 4. c. 1^o art. 6. *quia non apparet per rationem naturalem, quòd sit unus Rector hominum secundum leges justitiæ retributiæ & punitivæ.*

xl. Objicies 3^o. in Lateranensi supposito 3^o. supra citato, *Damnantur hereseos in dubium vertentes animam esse immortalem, & etiam illi, qui dicunt secundum Philosophiam esse mortalem, precipitur quæ Philosophiæ magistris ut solvant Argumenta, quæ contra hanc veritatem adduci possunt.* Ergo, &c.

xli. Respondent fortè Lateranense hinc non habere locum, quia ly *sola ratio* naturalis ab auctoritate Concilii abstrahit: juxta hanc autem præcisè hinc procedit Resolutio.

RESOLUTIO V.

Evertitur Sententia Adversariorum.

xlii. **D**ico 5^o. ibi data probatio, & confirmatio corruunt ex efficaciter probatis forma substantiali & animæ rationalis spiritualitate; pro eversione autem solutionum, sufficit advertere hanc sequelam non valere, potentia spiritualis potest attingere objectum materiale, ergo efficaciter sola ratione probari non potest de facto dari animam materialem, quæ illud attingat. Negabunt procul dubio consequentiam, & dicent nobiscum in aliquosque obscuris istis, ob periculum incomparabilis injuriæ, etiam sistendo in sola ratione, judicium commune esse præferendum privato, cui periculum istud annexum est, lumen naturæ elictare; id ipsum est quòd hinc docemus: Unde patet ad 1^{am} object. ad 1^{am} autem 2^{am} object. in Metaph. & ad 2^{am} ejusdem, sic satisfacio; vel concludite eandem esse Dei providentiam erga animas brutorum & hominum, cum utrorumque faciat mortales, vel dicere debet nobiscum, specialem esse circa has, quia natura sua sunt immortales: 1^{am} autem non admittent; igitur, sit nostra

RESOLUTIO II.

XLIV. **D**ico 6^o. etiam sistendo in nudis luminis naturæ principiis efficaciter probari potest de facto animam hominis esse immortalem: ita omnes communissimè.

XLV. Probat, si sistendo in nudis luminis naturæ principiis efficaciter probari non potest animam rationalem esse spirituales, etiam in iisdem sistendo efficaciter probari non potest appetitum hominibus innatum ad perpetuam quietem & felicitatem, carnalium voluptatum & mundi vanitatum mortificationem, in adversis patientiam, &c. non præsupponere æternum ac immortale in hominibus principium, quod animam rationalem esse fides docet, unde ut minus dubium est, in ratione purè naturali sistendo an anima nostra sit immortalis.

XLVI. Subsumo: Atqui est una vox Platonis; Aristotelis, Hippocratis, ut bene probat D. Fromondus de Anima lib. 4. cap. 1. art. 5. & omnium Patrum ac Peripateticorum, quod anima nostra sit immortalis, & sicut in dubiis stando in luminis naturæ nudæ principiis bonum commune est præferendum privato, ita & iudicium commune privato: Ergo probari potest efficaciter, &c.

D V B I V M II.

An omnes animæ rationales sint æqualis perfectionis?

XLVII. **Q**uia resolutio hujus difficultatis extenditur ad omnia individua omnium specierum, & Authores varii multa congerunt nobis parum probabilia. Pro vera Resolutione,

XLVIII. Suppono 1^o. dari quidem æqualitatem fundamentalem ante intellectum, nullam tamen formalem; quia sicut substantiæ realiter distinctæ non sunt una & eadem ante intellectum, formaliter; sed fundamentaliter tantum; ita duæ quantitates, sive perfectionis, sive molis, realiter distinctæ, non sunt una & æqualis ante intellectum, formaliter, sed fundamentaliter tantum; hæc omnia habes fusè probata in Logica Tract. 1^o. 2^o. & 5^o. Loquere proportionaliter de dissimilitudine & dissimilibus.

XLIX. Suppono 2^o. inæqualitatem oppositam æqualitati similiter esse duplicem, fundamentalem scilicet, & formalem; cum hoc tamen discrimine, quod æqualitas quæcumque, sit positiva, inæqualitas verò fundamentalis, una positiva, altera negativa; inæqualitas positiva fundamentalis, si inter res realiter simplices, est conceptibilitas in ordine ad plures, aut pauciores terminos, vel in ordine ad perfectiores aut imperfectiores terminos; si inter composita, est conceptibilitas plurimum ex magis & minus perfectis partibus compositorum, conceptu formaliter inæqualificante: inæqualitas fundamentalis negativa, est negatio ante intellectum æqualitatis formalis quorumcumque entium, sive quanta sint quantitate molis, sive quantitate virtutis aut perfectionis. Unde omnis distinctio, diversitas & dissimilitudo ante intellectum, quædam inæqualitas negativa est.

L. Nec dicas cum Arriaga Disput. 1. de Anima sect. 7. Spirationem, Filiationem, & Pater-

nitatem in divinis esse relationes dissimiles, omnino tamen æquales in perfectione: Nam eo sensu quo sunt dissimiles, sunt inæquales, scilicet negativè formaliter; quia sicut sunt dissimiles formaliter, eò quod una non est alia secundum conceptum eas in ratione talium unificantem; ita non sunt formaliter æquales, eò quod in ratione perfectionum, una non est alia, secundum conceptum eas in ratione perfectionum, quæ sunt quantitates virtutis, unificantem. Item eodem sensu, quo sunt æquales, sunt omnino similes, puta fundamentaliter; quia, sive in ratione absoluti, sive in ratione relativi, sunt conceptibiles, sine ullo perfectionis excessu, seu conceptu in ratione quantum quantitate virtutis sive perfectionis eas unificante; ex quo sequitur personas divinas esse summè inæquales negativè formaliter ante intellectum ob mutuam negationem formalis identitatis mutua relativæ perfectionis, sicut sunt summè dissimiles negativè formaliter ob mutuam negationem formalis identitatis mutua talitatis entis, cum his tamen stat esse, summè fundamentaliter similes, & fundamentaliter esse summè æquales, quia concipi possunt cum summa identitate secundum qualitates virtuales & secundum perfectiones, & juxta hunc sensum dicitur in Symbolo: *Totæ tres personæ coeternæ sibi sunt & coæquales*. Unde omnem inæqualitatem simpliciter & positivam in divinis, ut hæresim detestamur. Ex his

LI. Collige non omnia summè inæqualia negativè formaliter, debere esse inæqualia positivè fundamentaliter, ut patet in tribus personis divinis, quibus primum convenit, & secundum repugnat, imò, ablata negatione inter illas, sunt æquales & ejusdem perfectionis: si enim ab hac propositione, *Filius non est Pater*, abstrahas solam negationem, erit, *Filius est Pater*; ubi autem identitas, ibi æqualitas perfectionum.

LII. Nec obstat quod Arriaga loco citato inferre possit Petrum & Paulum ut præcisos à negationibus esse æquales, ergo ut distinctos per negationes adhuc esse æquales, quia illæ negationes superadditæ sunt æquales: Verum enim est antecedens, falsa utraque consequentia, quia negationes superadditæ sunt summè inæquales negativè formaliter; quia in ratione negationis, una non est alia formaliter ante intellectum. Hinc

LIII. Patet contra P. Ovidum de anima controversia 1. puncto 8. Petrum & Ioannem, non esse omnino æquales in perfectione, sive infra differentiam specificam habeant solas hæccitates, sive habeant medias differentias entitativas in perfectione, quarum una debet tantum suo subtrato, quantum altera alteri. Quia Physicè semper dicunt negationem identitatis, quæ ponit summam inæqualitatem Physicam negativè, & non nisi fundamentalem æqualitatem, de qua non loquitur.

LIV. Suppono 3^o. contra P. Ovidum loco jam citato, differentias essentialiter oppositas necessariò importare inæqualitatem formalem negativam, quia primum quod dicunt, ut oppositæ differentia est negatio identitatis formalis inter se; illa autem est summa inæqualitas negativa ut supra probavimus. Quod autem ibidem num. 47. dicit tres personalitates divinas specie distinguui; ac proinde habere differentias essentialiter oppositas, & tamen

esse æquales in perfectione, falsum est si accipiantur sub eodem conceptu, quo specie distinguuntur; quia ut sic dicunt negationem identitatis inter se, ac proinde æqualitatis, quæ nihil aliud est, quàm identitas perfectionum ut sub alio conceptu, quo inter se confunduntur: idem est de albedine ut octo & nigredine ut octo, quas dicit specie differre & esse æquales in intensione, & albedinem, ut quatuor esse ejusdem speciei cum albedine ut duo, & tamen inter se esse inæquales. Nam nec albedo ut octo, nec nigredo ut octo ut specie differunt sunt æquales, ob rationem datam; nec albedo ut quatuor, & albedo ut duo, quatenus ejusdem speciei, sunt inæquales, quia ut sic dicunt identitatem, ac proinde æqualitatem secundum illam rationem, secundum quam sunt ejusdem speciei, abstrahendo ab alia ratione, secundum quam differunt, & sunt inæquales positivè, videlicet secundum gradus commensurationis: Vnde secundum eundem, non tantum æqualitas præbet fundamentum ad abstrahendam rationem aliquam univocam, sed est ratio communis univoca, fundamentalis, si de fundamentalis; formalis, si de formali, sit sermo.

LV. Adde hæc omnia videri conformia Aristoteli Metaph. textu 5^o. (referente Oviedo loco citato) dicenti: *Differentias dividentes genus se habere, ut se habent privatio & habitus.*

LVI. Suppono 4^o. contra PP. Arriagam & Oviedum locis citatis, non posse assignari duo individua ejusdem speciei inter se prædicato aliquo communi convenientia, in quo cum aliis ejusdem speciei non conveniunt: Probant & exemplum ponunt in duabus calefactionibus; duæ enim calefactiones pendentes ab igne A magis conveniunt, quàm duæ, quarum una pendeat ab igne A, altera ab igne B. Item duæ uniones aptæ unire animam & corpus meum, magis conveniunt quàm duæ uniones, quarum una sit apta unire animam & corpus meum, & altera animam & corpus Pauli tantum; sed illæ calefactiones & uniones sunt ejusdem speciei secundum omnes. Ergo, &c. Sed

LVII. Ratio falsitatis horum est, quòd in rebus respectivis differentia aut convenientia non debeat sumi à diversitate, aut identitate terminorum. Quod

LVIII. Probat 1^o. quia actiones & effectus specie diversi possunt esse ab eadem indivisibili potentia, ut assensus & dissensus ab eodem intellectu, amor & odium ab eadem voluntate; ergo à fortiori à duabus potentiis solo numero distinctis: è contra eadem actio & idem effectus possunt esse à duabus potentiis specie distinctis, ut eadem calefactio & idem calor à sole & igne; idem ignis à Deo & creatura; ergo à fortiori duæ actiones & duo effectus solo numero, diversi.

LIX. Prob. 2^o. Duæ uniones specie diverse possunt esse ad idem subjectum & eadem formam, ut unio materialis & unio spiritualis inter corpus & animam meam, ergo à fortiori ad duo subjecta solo numero diversa, & ad duas formas solo numero diversas: è contra eadem unio potest esse ad duo subjecta specie diversa, & ad unam formam specie virtualiter diversam, ut unio indivisibilis carnis, ossis unguium, &c. cum anima rationali, ergo à fortiori duæ uniones solo numero diverse ad plura subjecta specie diversa, & plures formas specie diversas.

LX. Prob. 3^o. Plura ubi specie distincta esse possunt ad idem spatium, ut ubi spirituale Angeli, & ubi materiale hominis, ergo à fortiori ad plura spatia solo numero distincta. Item è contra idem ubi potest dicere respectum ad plura spatia specie distincta (si dentur) ut ubi Angelicum, ergo à fortiori duo solo numero distincta ad plura spatia specie distincta. Ex his

LXI. Collige terminos diversos, aut eosdem, nihil in respectivis addere perfectionis supra hæccitatem solo numero diversam & perfectionem extrinsecam ipsius termini: duæ enim hæccitates, sive duæ hæ calefactiones conceptibiles ut procedentes ab eodem igne à parte rei, tam inter se distinguuntur, quàm duæ conceptibiles ut procedentes, à diversis ignibus; quia hæ (utpote hoc & hoc) à parte rei summè distinguuntur, ut sæpius dixi; sub intellectu verò distinguuntur solum ex parte actuum intellectus, quibus representantur, qui sunt tantum diversi ex parte terminorum istarum calefactionum, ut consideranti patebit. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

LXII. Dico contra Arriagam, Oviedum, & plures alios: animæ hominum, & sic de aliis individuis, quæ sunt ejusdem speciei, sunt æqualis perfectionis entitativæ, seu substantialis, nec possunt esse inæqualis perfectionis positivæ, ita ut aliquæ habeant prædicatum aliquod medium inter specificum & inviduale, in quo inter se conveniant & ab aliis disconveniant.

LXIII. Probat, quia tale medium non est possibile, ut patet ex entibus respectivis supra supposito tertio, à quibus ad animas adversarii trahunt consequentiam: ergo, &c.

LXIV. Confirmatur, vel illud medium erit universale, vel non? si prius, medium inter species & individua esse debet universale distinctum à specie; & medium inter genus & speciem, quod à pari dabitur, esse debet universale distinctum à genere; quia alioqui, nec illud esset medium inter speciem atomam & individua, neque hoc esset medium inter genus infimum & speciem, contra suppositum: sed hoc est absurdum, non tantum, quia istud medium inter hominem & duo individua humana faceret speciem hominis distinctam ab illa specie hominis, quæ prædicaretur de duobus individuis, quibus illud medium non conveniret; unde individua humana, sive animæ hominum inter se distinguerentur specie, quod valde periculosum est & temerarium; sed etiam quia, (præterquam quòd non appareat quomodo illo casu definienda esset species atoma, ad exclusionem hujus medii, & genus ad exclusionem illius) multiplicarentur universalis contra suos Authores, & sine fundamento; ergo, &c.

LXV. Respondebis genus definiri debere universale prædicabile in quid de multis notabiliter differentibus per modum partis materialis: Speciem verò prædicabile in quid de multis non notabiliter differentibus; ac proinde illud medium non esse medium, nisi inter illud, quod dicitur communiter genus infimum, vel species infima, cum tam hoc, quàm illud inter quod mediat sit genus vel species. Sed

LXVI. Contra 1^o, sic genus infimum prædicabitur

tur de generibus differentibus mediis, & species infima de speciebus differentibus mediis, quod destruit eorum infinitatem. Deinde si prædicari de notabiliter differentibus in quid, & de non notabiliter differentibus, diversificent prædicabilia essentialiter, differentia generica & specifica, proprium genericum & specificum, & sic de aliis, constituent diversa prædicabilia essentialiter, multiplicabunturque prædicabilia in infinitum, ut in simili in Porphyrio ostendimus. Denique, si quæro ab Oviedo & aliis, quænam notabiliter differant, & quænam non notabiliter? Respondet id ex prudenti hominum judicio taxari, quod est dicere, illa specie differre, quæ dixerint homines prudentes differre specie, & illa non differre specie, quæ dixerint prudentes homines non differre specie: item illa differre solo numero, & non specie, quæ dixerint prudentes homines non differre specie, sed solo numero: cur igitur non potius dicunt nobiscum non dari illam differentiam mediam, quam homines prudentes communius non agnoscunt, quam dicant illam dari?

LXVII. Si posterius? Ergo illud medium est singulare & identificatum hæcitatati, ac proinde hæcitas non est ratio, cur duo ultimo inter se differunt, sed partim disconveniunt, partim conveniunt. Ex quo

LXVIII. Sequitur 1^o Differentiam specificam & genericam, &c. esse etiam quidpiam singulare, & sub conceptu identificatum hæcitatati. 2^o aliquid commune non posse præscindi à singulari, quæ sunt absurda.

LXIX. Objicies ex P. Oviedo, possibiles sunt animæ hominum perfectione inæquales, cur igitur dicemus sceleratissimi & reprobi Iudæ animam æqualem fuisse animabus Christi, Deiparæ, &c. ergo, &c.

LXX. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in materiam, cur materia sceleratissimi Iudæ fuit æqualis materiæ Christi, B. Virginis, &c. Respondeo 2^o rationem esse, quia intra eandem speciem non sunt possibilia duo individua perfectionis possivæ inæqualis.

Nec urget decretum Sorbonæ in contrarium, quia decreta Sorbonæ, nec omnia, nec ubique sunt recepta: unde cum Sap. 8. dicit Salomon se fortitum bonam animam, non loquitur de bonitate animæ substantiali præ cæteris, sed de accidentali donorum supernaturalium & dispositionum corporis ad facilius & melius operandum.

LXXI. Instabis, quod unus homo magis valeat ingenio, quam alter, oritur ex majori perfectione entitativa animæ; ergo, &c.

LXXII. Respondeo negando assumptum: nam id oritur ex varia dispositione organorum, eod quod anima ab illis organis in statu conjunctionis cum corpore pendeat, alioqui esset dicendum stultis esse infusas animas stultas & ineptas ad ratiocinandum, viros habere aliam animam, quam infantes habuerint; doctos postea amentes mutasse animam, & similia absurda non necessaria; ut patet in ebriis, qui ex sola abundantia vaporum ascendentium ad cerebrum, illudque submergentium, stultescunt: Unde etiam habes perfectiores dispositiones non semper exigere formam entitative perfectiorem.

D V B I V M III.

De intellectu, Intellectione, & ejus objecto.

LXXIII. ANTE Resolutionem

Suppono intellectum esse virtutem cognoscitivam spirituales, quæ quidem communiter dividitur in intellectum agentem & passibilem, sed hujus divisionis nulla nobis necessitas: quia juxta suos Authores intellectus agens est ille qui producit species intelligibiles ad præsentiam phantasmatum: passibilis verò, seu possibilis, qui intellectionem productam in se recipit; species autem productas ab intellectu ad præsentiam phantasmatum præter illas intellectiones, non agnoscimus, & consequenter solum intellectum passibilem admittimus. Hoc supposito, fit

RESOLUTIO I.

LXXIV. Dico 1^o. Objectum materiale intellectus est ens in genere sumptum, sive ut commune enti & non enti, reali & ficto, materiali & spirituali, naturali & supernaturali, &c. quod probatur experientiâ; cur enim affirmamus, aut negamus, ea omnino esse objectum materiale intellectus; nisi quia illa apprehendit & cognoscit? objectum verò formale intellectus est intelligibilitas istorum entium, sive ratio sub qua omnia ista entia ab intellectu attingi possunt quantum est ex parte ipsorum, nihil enim commodiùs assignari potest.

RESOLUTIO II.

LXXV. Dico 2^o, objectum materiale motivum intellectus est omne sensibile ut sic, & ita quidem ut pro hoc statu intellectus ad ullam intellectionem non moveatur absque ulla motione præsentis aut præteritæ entis sensibilis ut sensibilis.

LXXVI. Probatur 1^a pars experientiâ, ex qua ortum est hoc axioma, *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*: nec melior probatio adferri potest; quia inter objectum & potentiam non debet esse proportio in essendo, sed in cognoscendo, sive in cognosci & cognoscere, quam experientiâ discere debemus; quod enim ex PP. nostris Complutens. objici potest, quod objectum & potentia debeant habere eundem modum essendo; ac proinde objectum esse in materia, sicut intellectus est pro hoc statu, verisimile non est; tum quia anima in hoc statu Deum & Angelos apprehendit, qui tamen, ut ipsa, in materia non sunt; tum quia alioqui intellectus in hoc statu posset intelligere animam spirituales Petri & Pauli ut spirituales, imò similia tantum objecta posset, quia illa sola & similia tantum objecta sunt in materia ut subjecto informationis tantum, uti est intellectus, hoc autem est contra omnem experientiam, ergo, &c.

LXXVII. Probatur 2^a pars etiam experientiâ, ex qua communiter fertur, intellectum pro hoc statu pendere à phantasmatis, quæ pendunt à sensationibus externis, unde Apostolus 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Et Aristoteles sæpius hic, *neesse est speculantem phantasma speculari*.

LXXVIII. Collige quod jam de Deo, Angelis, animabus spiritualibus, gratia, &c. discurremus, maximè provenire ex auditu interpretum Scripturæ, visu interpretationis, aut similibus, correspondente

dente phantasmate, non quidem tamquam objecto in quo, sed tamquam objecto motivo & causa, speculationem de illis occasionante, juxta Sanctos PP. August. Dionysium, & D. Thomam in fine Disp. 5^a. citatos, &c. nec nos nisi difficulter in cognitionem illorum pervenire potuissse, si ea Apostolis & aliis revelata, & postea nobis per Scripturam aut vivā voce inculcata non fuissent; nam licet intellectus cognoscat ens ut ens (sub quo illa comprehenduntur) tamquam objectum materiale terminativum, non tamen ut objectum materiale motivum illud cognoscit, ut patet, ac proinde intellectus aliunde motus ad illius & similitum cognitionem per solum discursum primò devenire potest.

RESOLUTIO III.

LXXIX. **D**ico 3^o intellectio formaliter consistit in actione sine termino realiter à se distincto, ita Cajet. 1. p. q. 27. Ferrara, Capreolus 1^o contra Molinam 1^a parte, & Conimbricenses, Sotum, Lessium, Hurtadum, Fonseca, Gonzalem, &c. docentes illam quidem formaliter consistere in actione, sed habere terminum realiter à se distinctum. 2^o contra Vasquez 1^a parte, Suares etiam 1^a parte, Valentiam, Salas, Arriagam, Poncium post Scotum in primum distinct. 3^a. &c. docentes illam consistere in sola qualitate per actionem realiter distinctam producta. Complutenses verò nostros Disp. 21. q. 3^a in sola qualitate, producta sine actione realiter distincta.

LXXX. Probatur 1^o. Ex Philosopho 9. Meth. textu 19. apud Poncium hinc, ubi aperte docet, visionis, speculationis, vitæ, &c. non esse aliud quoddam opus præter terminum seu actionem. Et 10 Ethicorum cap. 3. *Nec enim virtutis operationes, id est, intellectus & voluntatis operationes, qualitates sunt: ergo, &c.*

LXXXI. Probatur 2^o. quia alioqui intellectio formaliter consisteret, vel in actione ut præcisā à qualitate realiter à se distincta, vel in qualitate ut præcisā ab actione realiter à se distincta; sed neutrum dici potest: ergo, &c.

LXXXII. Probatur minor, pro 1^a parte 1^o. quia sic impertinens esset qualitas ad intellectionem, ipsaque ablata & per impossibile manente solā actione (cui tantum subsistendæ inserviret) remaneret intellectio, undè illa qualitas esset omnino ad constituendum intelligentem formaliter superflua.

LXXXIII. Probatur minor pro 1^a parte 2^o, quia non est ratio, cur in ipsa actione ut præcisā à qualitate realiter à se distincta, formaliter consistat intellectio, & non in qualitate ut præcisā, &c.

LXXXIV. Probatur minor, pro 1^a parte 3^o; quia illa actio ut sic præcisā solum facit formaliter producens & productum; ergo, &c.

LXXXV. Probatur minor pro 2^a parte 1^o, quia intellectio est verbale quoddam, quod semper importat formaliter aliquam actionem, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, ut per omnia discurrerenti patebit; nam visio facit videre, intellectio intelligere, volitio velle, quæ omnia important actionem aliquam.

LXXXVI. Probatur minor pro 2^a parte, 2^o, in actione præcisè viventis ut viventis salvari potest ratio vitæ sive actus vitalis; ut patebit discurrerenti per omnes definitiones actus vitalis supra disput.

3. dub. 2. allatas, quidni & in tali actione præcisè salvari posset ratio vitæ seu actus vitalis viventis ut talis viventis? unde non est ratio, cur in ipsa qualitate ut præcisā ab actione realiter distincta consistat intellectio & non in actione, ut præcisā, &c. Ergo, &c. Hinc patet ad fundamentum P. Comptoni.

LXXXVII. Probatur 3^o sicut nulla actio concipi potest, quæ ex se consequatur introsumptionem alimenti, aut nobiliorem operandi modum, sive habeat terminum realiter à se distinctum, sive non, quod est impertinens, quæ non sit formaliter actus vitalis; ita nulla actio concipi potest, quæ ex se consequatur intellectum (præsertim cum productiones specierum ab intellectu, aut aliis potentiis vitalibus non agnoscamus) & non sit formaliter quidem actus intellectus, sive intellectio. Ergo, &c.

LXXXVIII. Objicies 1^o ex dictis I. Physic. Disp. 6. illa, quæ non sunt ex genere suo unio duorum extremorum non possunt esse immediata & actualis determinatio in duplici genere; atqui intellectio non est unio, &c. & juxta conclusionem esset actualis & immediata determinatio in duplici genere v. g. agendi & intelligendi: Ergo intellectio non consistit formaliter in actione sine termino realiter à se distincto.

LXXXIX. Respondeo negando minorem, nam genus intellectionis est actio, ac proinde actio & intellectio sunt ejusdem generis, sive se habent ut Genus & species, non secus ac actio & generatio, vel sanctificatio, dealbatio, calefactio, animatio, & similes formæ sumptæ in genere causalitatis efficientis; cum hoc tamen discrimine, quod quando concipio gratiam, albedinem, calorem, animam, &c. non concipiam formaliter earum productiones, sicut quando concipio intellectionem, ubicationem, &c. formaliter concipio earum productiones; nec hæc sine illis formaliter concipi possunt, quia sunt formalissimè sua productio; non enim concipi potest ulla productio ab intellectu, quæ non sit cognitio; à voluntate, quæ non sit actus voluntatis; latio ad locum, quæ non sit ubicatio formalissimè, præscindendo ab omni termino realiter distincto; unde fit quod intellectio, ubicatio, &c. consistant formaliter in actione sine termino realiter à se distincto, & sint immediata & ultima determinatio in duplici genere: sanctificatio verò, dealbatio, calefactio, &c. consistant formaliter in actione & termino realiter à se distincto, sintque in duplici genere, actionis scilicet & termini illius, cujuscumque sit prædicamenti.

xc. Instabis, non est ratio cur potius intellectio, ubicatio, &c. sit formalissimè sui productio, quam gratia, albedo, calor, anima, &c. Ergo, &c.

xcI. Respondeo negando assumptum, quia præterquam quod illæ formæ non expriment actionem aut passionem, uti intellectio, ubicatio, &c. non faciunt formaliter concretum agens vel patiens; intellectio autem facit formaliter concretum intelligens, ubicatio concretum motum localiter, sive latum ad locum, præscindendo ab omni alia denominatione; sanctitas autem sive sanctificatio pro nomine, facit formaliter sanctum, gratia sive gratificatio pro nomine facit formaliter gratum, calor calidum, &c. in quibus non involvitur formaliter actio aut passio ulla, cum sint purè nomina, & non verbalia.

Objicies

xcii. Objicies 2^o, actio est formaliter fieri termini, sive modus, quo aliquid fit, ergo intellectio est aliquid realiter distinctum à suo termino.

xciii. Respondeo ad hoc argumentum, ob quod communiter reputatur nostra sententia improbabili contra Cajetanum & Capreolum, retorquendo in unionem, unio est formaliter uniri termini, sive modus, quo aliquid unitur, ergo est aliquid realiter distinctum à suo unibili; contrarium enim patet in omnibus modis, etiam secundum adversarios, qui sunt sui ipsorum unio. In forma autem respondeo distinguendo antecedens, actio est formaliter fieri termini realiter à se distincti vel indistincti, concedo antec. necessariò realiter distincti, nego antecedens. Sic patet ad consequentiam.

xciv. Objicies 3^o si intellectio sit formalissimè actio sui productiva, non poterit Deus facere illam se solo; sed hoc est absurdum; ergo, &c. Probatur major, quia erit essentialiter alligata suo principio, scilicet intellectui. ergo, &c. Prob. minor, quia Deus potest facere se solo, quod potest eum creatura.

xcv. Respondeo distinguendo minorem, non poterit Deus illam, quæ egredietur ab intellectu tamquam à causa efficiente, facere se solo, concedo majorem; ratio est, quia est modus & ultima determinatio illius, qualis alioqui non esset; aliam similem, sive aliam similis objecti perceptivam, nego majorem: sicut enim Deus potest se solo unire animam cum corpore per unionem similem illi, quæ generans illam corpori univit, licet non possit per illam, cum sit ipsa generatio; ita potest Deus se solo facere animam intelligentem per intellectioem similem illi, quam anima in se cum Deo produxit.

xcvi. Objicies 4. Ex conclusione sequitur intellectioem fore modum, & non rem; sed hoc est absurdum; ergo, &c.

xcvii. Respondent Ovidius, Arriaga, & nonnulli alii, admissâ sequelâ, negando minorem, docentes animam rationalem, Angelum, &c. posito quòd se-ipsis fiant, fore modos, nec id esse absurdum, quia imperfectio modi potest attoni & compensari per alias perfectiones illi annexas; Sed hæc responsio non placet; tum quia modus est essentialiter duorum realiter distinctorum unio, qualis non sunt dicta entia (vide locum Philosophi supra citatum); tum quia modus supponit entitatulam, sive est ex conceptu suo entitas tam debilis, ut vi entitatis suæ à subiecto separari non possit, & in eo à re distinguitur; alioqui in divinis Filius deberet dici modus respectu Patris, item

Spiritus sanctus respectu Patris & Filii, quia sunt se-ipsis, id est, sine actione media inter producens & productum realiter distincta, ut intelligunt. Unde dic creationem animæ rationalis, Angeli, &c. ubi actionem & actus vitales, licet sint formalissimè actio esse res, ac proinde uniri per unionem realiter à se distinctam, quæ cum sit generatio sui ipsius, in ea sistitur sine ulteriori processu in infinitum; & non modus, quia vi entitatis suæ (præsertim si mentio sit de actibus vitalibus) sunt separabiles à subiecto, tam bene, quam albedo, calor, &c. utpote perfectiores & nobiliores illis. Pro complemento hujus Resolutionis,

xcviii. Adde 1^o omnem intellectioem, quæ est productio, formaliter esse verbum mentis, seu dictionem, quæ nihil aliud est, quam productio Verbi; quia ut loquitur Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 10. Formata cogitatio de re, quam scimus, verbum est; deinde novum non est eandem indivisibilem entitatem diversis nominibus appellari.

xcix. Dixi, quæ est productio formaliter, ut excludam essentialem intellectioem in divinis, quæ (utpote conveniens Filio & Spiritui sancto, à quibus Verbum seu Filius non est productus) non potest esse verbum, aut dictio, sed sola notionalis Patris constitutiva.

c. Nec refert quòd hinc sequatur non omnem intellectioem formaliter consistere in actione, quia semper excipiuntur divina, à quibus ad creatura non debet trahi consequentia; sicut enim, in sententia adversariorum, datur aliqua intellectio, quæ non sit qualitas, ut intellectio divina; ita in nostra dari potest aliqua, quæ non sit actio formaliter.

cx. Adde 2^o omnem cognitionem, sive materialem, sive spiritualem, hoc sensu esse supra seipsam reflexivam, quòd sit medium in quo ut quo cognito, cognoscitur objectum ut quod, quod omni experientia videtur manifestum; nam nisi visio, intellectio, &c. esset imago sui objecti, & ut quo cognosceret, non apparet, quæ ratione per ipsam cognoscetur objectum: Deinde essentialia est omni formæ habere ut quo, quod alteri dat ut quod, visio autem dat objecto esse visum ut quod, cognitio esse cognitum ut quod, ergo visio habet esse visum ut quo, cognitio esse cognitum ut quo; sicut albedo habet esse album ut quo, unio esse unitum ut quo, eò quòd albedo det esse album ut quod, unio esse unitum ut quod, &c.

cx. Dixi, ut quo, quia quod auditur ut quod, debet esse sonorum, quod videtur ut quod, debet esse coloratum; quod cognoscitur ut quod per speciem propriam, debet esse corporeum pro hoc statu, quantum experientia docet.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Habitibus.

I. **N**omine habitus hæc communiter intelligunt Philosophi facilitatem aliquam ad operationes, quæ alioqui non nisi difficulter & tardè ponuntur: Unde Disputatio non procedit de Habitibus supernaturalibus seu infusis, de quibus Theologi, sed de naturalibus acquisitis, qui non dant potentie simpliciter operari, sed facile & citius posse tantum. Pro quibus, sit

DUBIUM I.

Quid habitus, in quibus potentiis sint, & quomodo incipiant & desinant?

RESOLUTIO I.

II. **D**ico 1^o. Habitus nihil aliud est, quam potentia exercitata, quæ secundum experientiam

rentiam præsuppositis cæteris ad agendum requisitis æqualibus, uno tempore difficilius, alio facilius suos actus exercet. Hæc resolutio est nullius, quod sciam.

III. Probatur 1^o. sicut effectus dicitur habere habitum passivum, sive facilitatem ad fieri ex eo præcisè, quod pluries in se vel simili sit factus, sine ullo habitu passivo positivo à se realiter distincto; ita potentia dicitur habere habitum activum, sive facilitatem ad facere, ex eo præcisè, quod pluries idem, vel simile fecerit. Ergo, &c. Probatur prima pars antecedentis, quia concordia & discordia vocum dicitur auditu facilis ex eo præcisè, quod pluries cum attentione audita sit, & via facilis permeatu, ex eo præcisè, quod sæpius facta sit, Epistola lectu facilis, ex eo, quod sæpius lecta sit; & sic de plurimis aliis, in quibus non ponuntur distincti habitus passivi positivi, & poni deberent, si in potentia activa ponerentur positivi activi, propter rationis paritatem: ergo,

IV. Probatur 2^o. ex illis habitibus, vel unus excitat seipsum pro innata indifferentia activa, præ alio, & uno tempore potius quam alio: vel ab alio excitatur? Quidquid dixeris, commodius dicetur & ponetur ad excitandam potentiam, sine multiplicatione superflua, ut solutione Argumentorum patebit, tot entium positivorum: ergo, &c.

V. Confirmatur: si facilitas major, quæ dicitur esse in potentia, esset aliquid positivum distinctum realiter ab exercitatione potentiae; in illo positivo daretur processus in infinitum: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur sequela, quia potentia facilius producit habitus quoad secundum gradum intensiōnis, quam quoad primum; hæc autem facilitas etiam suum positivum faciliatans, uti est, supponit; quia verò hoc denum positum, est major facilitas ad secundum simile positivum producendum, quam ante, eoqueposito iterum est major ad tertium, & sic in infinitum, in illo positivo necessariò datur absurdus processus in infinitum.

VI. Objicies 1^o. experientia docet dari in potentiis internis, ut intellectu circa non prima principia, & voluntate, habitus positivos, non verò in potentiis externis, & intellectu circa prima principia: Sed si habitus essent præcisè potentia exercitata præsuppositis omnibus ad agendum prærequisitis, etiam in potentiis sensitivis externis, & intellectu circa prima principia, & conclusiones evidentes, darentur, quod est absurdum: ergo, &c. Secunda pars majoris patet: tum ex communi sensu; tum quia eorum semper est æqualis facilitas circa sua objecta. Probatur minor; quia ad esse potentiam exercitatum, nil requiritur, præterquam quod potentia exercuerit plures actus, quod illis convenit: ergo, &c.

VII. Respondeo negando minorem, quia habitus non est præcisè quæcumque potentia exercitata; alioqui oporteret ponere habitum motus circularis in sole, combustionis in igne, frigeactionis in aqua, & similibus; sed potentia, quæ secundum experientiam positis omnibus ad agendum prærequisitis æqualibus, uno tempore difficilius, alio facilius suas operationes exercet: si verò ab hac experientia & restrictione abstrahas, non video, cur magis aut minus in una potentia, quam alia, agnoscas habitum post frequentatos actus: sed (inquires, & merito) experimur potentiam uno

tempore facilius, alio difficilius suas operationes exercere; quod autem experimur esse aliquid, & non tantum potentiam esse exercitatum, sive ipsius actus præteritum, & nil plus in potentia remansisse. Hic cardo est totius hujuscè difficultatis, fateor: sed quid experiamur non satis attendi puto: nec nos aliter facilitatem in intellectu aut voluntate, uno tempore, quam alio, majorem experiri arbitror, quam ideo, & quatenus intellectus & voluntas in suis operationibus à phantasmatis pendent: sic enim rem totam expono; voluntas operationem intellectus præsupponit, quia *voluntas non fertur in incognitum*, ut habet commune pronuntiatum; intellectus debet intelligens speculari phantasmata, aut tamquam medium in quo, aut tamquam causam occasionantem cognitionem intellectivam; phantasma autem ab excitemento phantasiæ mediis motionibus spirituum vitalium pendet, ut fert communissima opinio; unde totam istarum potentiarum facilitatem refundendam credo, in facilem motionem spirituum vitalium, phantasmata in ordine ad illa, potius quam ad ista phantasmata, facile excitantium; quia verò motio ista facilior est, quò via liberior, & in via obstacula minora, hinc est, quod dicamus habitus nil aliud esse, quam potentiam exercitatum, eò quod exercitatio viam liberam reddit & obstacula tollit.

VIII. Objicies 2^o. si habitus aliud non sint, quam potentia exercitata, non est quomodo pereant habitus.

IX. Confirmatur, habitus aliter distinguuntur à non habitibus sive eorum privationibus, quam fuisse actus, à non fuisse actus; sed illo casu non aliter distinguerentur: ergo, &c.

X. Respondeo perire eo modo, quo in sententia adversarij perire possunt positivi, videlicet, vel per frequens exercitium actuum habitus contrarii, vel per longum non usum, sive cessante exercitio moraliter requisito ab adversariis, ut conferentur habitus positivi, quia certum est viam paulo ante dictam, tunc reddi minus liberam, & motiones dictas difficiliore.

XI. Ad Confirmationem respondeo negando majorem; experientia enim non plus convincit & multò minus ratio; si autem dicas te facilitatem ad actus, sive habitus, sentire, non verò fuisse actus; respondeo id quod sentis, vel potius experiris, esse dependens, vel independens à potentia loco-motiva, in qua agnosimus habitus: si prius, & sit in potentia organica, experientia non est positivæ facilitatis, sed remotionis prohibentis optimam organi dispositionem; si verò prius & in potentia inorganica, nego majorem uno tempore facilitatem, quam alio experiri; & ratio manifesta est, quia, quæ in potentia inorganica independenter à potentia organica experimur, quali per raptum à sensibilibus in intelligibilia experimur; ibi autem virtutes animæ non sunt operosa ac laboriosa; hæc clarè explicat August. de Genes. lib. 1. c. 20. Et Dionysius Carthusianus, Act. 7. Rev. inquit, quod visio sancti Stephani fuit anagorica pars, & intellectualis sine admixtione phantasmatum: modo se habens inter visionem viæ per fidem, & patriæ per speciem. Eratque per splendidissimam quandam irradiationem increate æternæ lucis, in superiori parte animæ ejus, imò in capite intellectus: sicut in contemplatione mysticæ Theologiæ seu univæ sapientiæ fieri solet.

RESOLUTIO II.

xii. **D**ico 2^o. non rectè dicitur dari in potentiis sensitivis externis & necessariis non vitalibus, habitus; bene autem in loco-motiva, sensibus internis, intellectu & voluntate.

xiii. Probatur 1^a pars 1^o: quia illa potentia sensitivæ externæ & necessaria non vitales sunt ex se ad agendum quantum possunt, sine ulla indifferentia, determinatæ; neque egent determinari ad faciilius agendum per motionem spirituum vitalium, modò facilitus, modò difficilius, pro ratione obstaculi, mobilium.

xiv. Probatur 1^a pars 2^o: quia experientia patet semper esse in illis æqualem in agendo facilitatem, si æqualis dispositio, tum ex parte ipsorum tum ex parte objecti, reperitur: ergo, &c.

xv. Probatur 2^a pars de loco-motiva, quia canes exercitati faciilius saltant, item exercitati pictores, Cytharædi, scriptores, &c. faciilius pingunt, cytharam pulsant, scribunt, &c.

xvi. Nec illa facilitas refundi potest in faciliorem propositionem objecti: quia facilitas illa est in potentia loco-motiva, quæ facile pingit, cytharam pulsat, scribit, &c. non verò in sensu interno, voluntatis imperio, &c. quia homo exercitatus, omnino aliis distractus, & vix attendens, sine comparatione faciilius pingit, cytharam pulsat, scribit, &c. quàm non exercitatus summè sibi præsens & attentus; unde cum habitus à potentiis realiter distinctos non agnoscamus, illa facilitas refundi debet in meliorem dispositionem organi, quia hæc dat, non solum velociorem motum, verùm etiam faciile hanc præ alia figuram facere, solâ præsuppositâ aliunde potentia exercitatione.

xvii. Probatur 3^a pars solâ experientia, qua experiuntur omnes circa nonnullos inevidentes actus intellectus, voluntatis, &c. majorem uno tempore facilitatem, quàm alio, &c. eo proveniente ex dependentia à phantasmatis, ut ante n. 7. expositum est.

xviii. Dixi, solâ experientia, quia quoddam aliud probent ex indeterminatione voluntatis, parum solidum est; siquidem habitus relinquunt voluntatem in sua indifferentia, potestque illis positus, tam non agere, quàm illis non positus; unde si experientia nil manifestaret, res maneret omnino obscura.


RESOLUTIO III.

xix. **D**ico 3^o. habitus incipiunt per productos actus, desinunt per longum non usum consimilium actuum.

xx. Probatur utraque pars experientia; quare habitus non est potentia exercitata quomodo-cumque, sed exercitio tali, quale requirunt adversarii, ut non dicant periisse habitus, propter non usum, quòd experientia determinare debet; undè quod perit pereunte habitu est prædictum exercitium consimilium actuum, & inde facilitas viæ ad motiones spirituum vitalium Resol. i. n. 7. dictas, & quod ponitur posito habitu est illud prædictum exercitium & inde facilitas viæ, &c. Ex hac & aliis duabus resolutionibus.

xxi. Collige habitum nihil esse realiter distinctum à potentia facilitabili & ejus exercitio quoad actus consimiles; sicque nos vitare multas aliorum quæstiones obscuras, & superfluas, ut quæ causa habituum; quomodo concurrant cum potentia; quomodo intendantur & remittantur; quæ in nostra sententia sunt omnino elara.

F I N I S.



TOTIVS

TOTIVS PHILOSOPHIÆ
 I N
 METAPHYSICAM
 PARS VLTIMA
 E T
 TRACTATVS VLTIMVS.



Erè, quod D. Murcia in fine sui cursus Philosophici, tibi reposui, doctissimè Lector: *Metaphysicam haud dubiè desiderabis ad cursus hujus Philosophici perfectionem, Benevole Lector, sed quando sub Logicis illa, Dialecticisve Commentariis, more quorundam prolixè satis comprehensa est; nihil est, quòd cogitatio hac quempiam remoretur, ac proinde ad illa studiosum Lectorem remittimus.*

Sed Tractatum de ente ut sic, & ejus attributis, de ente possibili & actualium existentia ac individuatione, in hunc finem servavimus, ut entis entium existentiam ratione naturali stabiliremus: quia, ut prudentissimè Augustinus super Psalm. 70. *Tota scientia magna hominis, scire, quia ipse nibile est per se, & quidquid est, ex Deo est, & propter Deum est, &c.* Varia tamen hic simul & Textum, tamquam inutilia, ut in aliis Tractatibus, prætermittimus.

Nonnulli Metaphysicam vocant Theologiam naturalem, quòd de Deo agat: Alii Angelosophiam, quòd de Angelis: neutrum placet, quia Theologia & Angelosophia sunt scientiæ particulares à Metaphysica distinctæ; nec Philosophis convenit, de Deo & Angelis hic fusè tractare, ne postea, rem factam iterum facere debeant; imò potiùs de illis (utpote circumadjacentibus corporis naturalis) in Physica, quàm in Metaphysica tractandum fuisset. Alii verò Metaphysicam vocant transphysicam seu transnaturalem: neque hoc placet, quia ejus objectum est ens in communi, ut constat ex Aristotele 4^o Metaph. ubi ait Metaphysicam con-

considerare ens ut ens, quod cum sit omni naturæ identificatum, & objectivè idem quod natura, ab eo dici non potest transphysisca seu transnaturalis: quare legendum puto *Meta Physica* duobus verbis, ut sit sensus, meta naturalis seu naturæ, quia ens in communi considerat, quod est meta seu terminus naturæ; ubique tamen unâ voce à nobis exprimitur, ne videamur in quæstione de nomine, contra communem consensum velle pugnare. Ex his

Collige ens in communi esse objectum materiale Metaphysicæ: formale verò intelligibilitatem entis in communi.

DISPUTATIO PRIMA

De Ente Reali in Communi.

I. **D**E Ente ficto, satis multa diximus in Logica Tractat. 1^o. quæ ibi videre poteris.

D V B I V M I.

Quid sit Ens Reale, sive possibile, ut opponitur ficto.

II. **D**ixi ens reale, sive possibile; quia una est utriusq; entis realis & possibilis definitio.

R E S O L U T I O.

III. **D**ico, ens reale, sive possibile, ut sic, intrinsicè & ex parte sua nihil aliud est, quàm non repugnantia ad existendum, quæ sub hac conditione explicetur, *Si per possibile, vel impossibile, res existat, non involvit duo contradictoria, juxta illud Aristotelis lib. 9^o. Text. 9^o. Est id ex quo posito in actu nihil sequitur impossibile*: Vnde illa non repugnantia nihil est actuale, sed quidpiam objectivum tantum, potens actuari & existere; extrinsecè verò, & ex parte causæ producentis, est omnipotentia Dei ipsius productiva: hinc de possibili eodem modo Philosophandum ac de visibili, quod dicit duos respectus, ad rem scilicet & potentiam, sic ut à re sit rei visibilitas intrinseca, à potentia verò rei visibilitas extrinseca.

IV. Dices, definitio valde obscura est, & multorum entium non repugnantia, ac proinde realitas, sive possibilitas, supponitur, cujus repugnantia repugnantia non adfertur, sive quæ repugnare non repugnat: unde, si de quocumque ente, de quo dicitur non repugnat existere, dixerò non repugnat repugnare existere, tantum pro entis impossibilitate habuero, quantum tu pro possibilitate: ergo, &c.

v. Respondeo, (præterquam quòd ex libris Physicorum satis pateat quid prudenter dicatur possibile) negando assumptum: Ad ejus probationem, Respondeo hoc ipso quòd entis non repugnantia prudenter supponitur juxta dicta in octo libris

R. P. Francisci Banz Spei Metaphysica.

Physicorum, virtualiter, & satis, repugnantia repugnantiam adferri; nisi aliunde ejus repugnantia probetur: quia sicut non potes à Deo auferre finem ratione positiva & fundamento, quod habere contenditur; quia habere est bonum, & perfectum, saltem transcendentaliter: ita nec finem positivam ratione & fundamento dicere potes non implicat implicare, id est, implicat (quia duo prima verba, quæ se mutuo tollunt, utpote negatio negationis, puto pro non intelligentibus per exaggerationem addi) habere quod habere contenditur, sic ut virtualiter dicas non habet; non habere autem malum & imperfectum est, saltem transcendentaliter, utpote privatio boni & perfecti transcendentalis: Deinde si sufficiat dicere naturam & essentiam istorum entium duo contradictoria exigere; quandoquidem istius exigentiæ fundamentum aliud non habeas, quàm purum beneplacitum & ignorantiam, non experientiam de opposito, &c. simili fictione & puro beneplacito, &c. dicam Deum non posse creare alium solem, alium mundum, &c. naturam humanam non esse magis numero per Deum multiplicabilem, quàm juxta Dei decreta de facto multiplicabitur, &c. impotentia ista in natura & essentia solis, mundi, &c. fundata, sive, ut tuâ ratione utar, quia non implicat implicare Deum id non posse, impotentiam istam exigente naturâ, sive essentiâ solis, mundi, &c. neque oppositum efficaciter probabis. Ex quo quàm plurima implicabunt, quæ implicat implicare.

D V B I V M II.

an ens possibile ut sic ab aeterno habeat aliquod esse diminutum.

R E S O L U T I O.

VI. **D**ico, ens possibile ut sic, nullum dicit esse actuale essentiæ & diminutum, distinctum ab esse idæali & virtuali, quod habet in Deo ut cognoscente, & ut causa; sed ut sic, ut sapienter docet D. Thomas de potentia art. 5^o. Non est creatura

k. k.

ra, sed

ra, sed creatrix essentia, quasi diceret, nihil est intrinsecè & ex parte sua, sed extrinsecè & ex parte solius Dei tantum, quod non est ens possibile esse, sed Deum esse, ut consideranti patebit.

VII. Probatur 1^o, quia illud esse diminutum, ut tale, esset à se, vel à Deo? si esset à Deo, non esse posset, quod est falsum, attendendo ad intrinsecam entis possibilitatem, quæ est à Deo independens: si à se, haberet etiam esse existentia à se, sicut haberet secundum se esse essentia à se actuale; quia quidquid habet esse essentia à se actuale, habet & esse existentia à se, ut constat de Deo Patre; unde rectè SS. Patres, ut Cyrillus noster lib. 1^o. in Ioan. August. lib. 10. de Trinitate, cap. 66^o. *Quod à Deo factum est, est Deus, vel nihil, ergo, &c.* solus autem Deus habet esse à se: ergo, &c.

VIII. Probatur 2^o, vel illud esse diminutum ab æterno existens, est à Deo communicatum necessarium, aut liberè? non secundum, quia certum est Deum in tempore cæpisse operari ad extra liberè: non primum, quia similiter certum est Deum nihil operari ad extra necessarium: ergo, &c.

IX. Confirmatur 1^o, quia alioqui nihil Deus creare posset aut annihilare; nam semper præcederet & remaneret rei possibilitas, sive esse entis possibilis diminutum, hoc autem est valde absurdum, etiam in fide: ergo, &c.

X. Confirmatur 2^o, existentia rei ut possibilis fuit ab æterno, vel non? si primum, res omnis possibilis semper existit, quod non admittunt; tamen patet quia vel ipsa rei existentia semper existit secundum esse diminutum: si secundum, idem de quacumque re dicendum est: ergo, &c.

XI. Dices ex P. Poncio de ente ut sic Disput. 69. q. 5. in Additione. Illud esse diminutum est ens medium inter ens rationis & ens realiter existens, hoc sensu, quod habeat quamdam convenientiam seu proportionem cum utroque, quatenus scilicet non existit realiter, sicut nec existit ens rationis; & non repugnat tamen ipsi existere, sicut nec repugnat enti realiter existenti: ergo, &c.

XII. Respondeo petendo quid sit illud medium: vel enim est negatio existentia entis, quod si existeret, non involveret in suo conceptu formali duò contradictoria; vel istius negationis contradictorium? si primum, ens illud diminutum non plus est ens, quam negatio entis existentis: si secundum, ratio ista non iustificat sententiam P. Poncii contra graves censuras Maffrii, ut consideranti patebit: si verò verum est, quod ibi conclus. 2^a. docet, videlicet, *illud esse diminutum non consistere in non repugnantia*, puta conditionali à nobis dicta, *Sed esse aliquid illi oppositum*: hoc secundum consequenter docere debet: Quare ipse viderit.

D V B I V M I I I.

An Ratio entis Realis præcisa à Deo & Creatura, substantia & Accidens sit illis univoca?

RESOLUTIO.

XIII. **D**ico, Ratio entis realis præcisa à Deo, &c. est illis univoca.

XIV. Probatur, quia ens eodem modo se habet ad Deum & creaturam, quo animal ad hominem & brutum. Sed hoc ab omnibus dicitur respectu hominis & bruti univocum, ergo & ratio entis, &c.

XV. Confirmatur, sive ens abstrahas ab alicitate

limitata creaturæ, sive ab alicitate illimitata Dei, semper dicit formaliter, cui non repugnat existere, & nihil aliud formaliter: ergo, &c. Ex his

XVI. Collige dependentiam, vel independentiam, prioritatem vel posterioritatem, &c. non se tenere ex parte rationis entis communis; sed ex parte differentiarum illam contrahentium; ac proinde nullo modo posse impedire univocationem, magis, quam rationale, aut irrationale, possit impedire, ne animal sit animal: quòd verò hinc sequatur ens fore univocum genus ad Deum & creaturas, nihil absurdum, si intelligatur de genere transcendentali, & non de prædicamentali, præsertim cum in Logica ostenderimus substantiam esse verum genus ad Deum & creaturas substantiales completas, nec plus repugnare essentiam Divinam ratione solâ formali perfici per differentiam, attributa, personalitates, &c. quam illa ratione formali ab essentia distinguuntur: unde sicut tali distinctione distinguuntur, nec repugnat simplicitati Dei, nec involvit ullam imperfectionem intrinsecam, sed solam extrinsecam conceptus nostri; ita nec tali compositione Metaphysicâ componi repugnat simplicitati Dei; nec involvit ullam imperfectionem intrinsecam, &c.

XVII. Scotistæ communiter, ut hujus sequelæ difficultatem effugiant, fingunt differentias contrahentes ens, non esse differentias, sed modos; & genus verò debere per differentias contrahi & non per modos: verum lubenter scirem, quare has vocent modos, non verò materiale & immateriale respectu substantiæ; materiale enim & immateriale, tam sunt realiter intrinsecè substantia, quam alicitas accidentis & per seitas substantiæ, ab alicitas creaturæ & alicitas Dei, sint ens reale; & sicut materiale concipi potest, ut præcisè formaliter constitutum hominis, & ejusdem à non hominibus distinctivum formaliter (& sic de irrationali;) ita potest per seitas concipi præcisè ut formaliter constitutiva substantiæ, & ejusdem à non substantiis distinctiva formaliter, quomodo non includit ens in suo conceptu formali: deinde dicant obsecro, cur genus debeat per differentias contrahi & non per modos, cum substantia à non substantiis, tam differat, & sit ens; quam homo per rationale à non hominibus differat, & sit animal.

XVIII. Objicies ex Aristotele 4^o. Metaph. Text. 3^o. & 7^o. ejusdem Text. 16^o. ubi docet ens, nec univocè, nec æquivocè dici; sed ut sanum, id est, Analogicè.

XIX. Respondeo Aristotelem solum velle ens secundum aliquid, ut sanum, dici, scilicet antonomasticè & 1^o de substantia, sicut antonomasticè & 1^o sanum dicitur de animali; sed non secundum omnimodam comparationem; alioqui sicut extrinsecè tantum sanum dicitur de medicina, ita extrinsecè tantum (etiam objectivè) ens diceretur de accidente, quod falsum est.

XX. Adde quòd dicta primaritas, & antonomasia, non impediatur univocationem, ut patet in substantia respectu Dei & creaturæ, animali respectu hominis & bruti.

D V B I V M I V.

An Ens includatur in differentiis immediatè contrahentibus.

RESOLUTIO.

XXI. **D**ico, ens non aliter includitur in differentiis immediatè contrahentibus, quam substantia

substantia in materiali & immateriali, aut animal in rationali aut irrationali.

xxi. Probatur, quia perfectas & inalieitas, quæ sunt differentiarum immediatè contrahentes ens ad substantiam & accidens, non magis sunt objectivè ens, quàm materiale & immateriale, rationale aut irrationale, substantia: ergo, &c. Antecedens patet; quia omnia illa sunt objectivè indivisibilia.

xxii. Confirmatur ex dictis in Logica, quòd differentiarum inferiores non includant formaliter suum genus.

xxiv. Nec dicas esse disparitatem in eo, quòd differentiarum ex natura sua excludant genus, quia non sunt transcendentales uti ens; transcendentibus verò esse proprium includere suum genus formaliter; nam id omnino gratis dicitur, ut constat ex Dub. 3^o, nec transcendentia in illa inclusione consistit, sed in eo, quòd omni enti prædicamentali ens transcendens conveniat.

xxv. Pro solutione aliarum objectionum vide dicta in Logica Disput. 6^a. de Individuo Dub. 20. & solum adde quærenti quid sit perfectas, aut inalieitas? ex parte actus esse aliquid constitutum formaliter, &c. ita sumendo ly *aliquid*, ut nihil importet ex parte objecti distinctum ab ente, sed ita, ut ex parte objecti sit hæc substantia, vel hoc accidens prout fuerit sermo; ex parte verò intellectus, ipse conceptus præcisivus, prout sumitur ly *id* in definitione entis, cum definitur ens, *id cui non repugnat existere*, nec aliter sumi potest: nam quòd nonnulli ita sumant ly *id* ut sit commune enti & non enti, non est magis intelligibile, quàm quòd id, quod est, vel potest esse non ens, sit aut possit esse ens: deinde alioqui, si ly *id* in definitione entis sic intelligeretur, ita etiam intelligeretur in definitione ejus, quod fungitur munere differentiarum entis, & sic in infinitum; quæ commodè applicabis perfectas & inalieitati.

DISPUTATIO SECUNDA

De Passionibus Entis in Communi.

I. **P**assiones entis (puta propriè dictæ, quia non magis includunt ens, cujus sunt passiones, quàm modi illud contrahentes, de quibus supra) ordinariè numerantur tres, *unum, verum, bonum*; & sex transcendentia, *res, ens, unum, bonum, aliquid, verum*, juxta hanc vocem *Reubau*; sed *res, ens & aliquid* sunt synonyma & æquipollentia.

DUBIUM I.

Quid sit unum Transcendentale & quid res addat supra ens.

II. **D**ico, unum prout opponitur multis, *Est id quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio*, ac proinde supra ens negationem solam addit; unde definitio Aristotelis 5^o. *Metaph. Text. 1^o*, scilicet, unum *est quod est indivisum in se*, tantum est unius fundamentaliter, & ut unius formaliter est manca.

III. Probatur prima pars ex communi sensu, & facili explicatione unius, prout opponitur multis.

IV. Probatur secunda pars, quia allatæ definitionis est hic sensus, unum *est id quod est*, sive est ens, quod non est aliud, ubi adjectam solam negationem entis supra ens vides: ergo, &c. Hinc

V. Collige 1^o, multa ut opponuntur uni esse unum & unum ut divisa ab invicem, id est cum negatione essendi invicem: unde nequidem multa sunt ens purè positivum, in quo communiter omnes decipiuntur putantes multa esse ens & ens sine ulla negatione, quod mihi est impossibile intellectu. Vide dicta in Logica de dist. in genere Dub. 1^o. & hinc est quòd Aristoteles Textu 1^o. *Metaph. dicat unum & multa opponi contrariè*, id est, non contradictoriè, sed in eodem genere entis, uti contraria opponuntur.

VI. Collige 2^o, ens & unum non esse synonyma; quia ens est quid positivum; unum verò formaliter negatio connotans duo entia, scilicet ens tamquam subjectum à quo fluit, & ens cujus est

negatio essendi, ita ut unum subjective, sive fundamentaliter & formaliter sumptum, sit ens non aliud secundum esse, sive ens divisum ab alio, quale non sunt multa.

VII. Confirmatur secunda Pars Resolutionis, quia passio alicujus dicit formaliter tantum id quod addit supra illud cujus dicitur passio; sed nihil addit nisi negationem: ergo, &c.

DUBIUM II.

Quid sit verum transcendentale, & quid addat supra ens.

An te Resolutionem **VIII.** Suppono verum esse duplex, cognitione scilicet & re: Cognitione verum *est quod est cognitio conformis suo objecto*; Re verum *est quod est res vera ut opponitur fictæ, aut à parenti tantum*; sed difficultas est, quid verum, & quid formaliter supra ens addat. Pro qua, sit

RESOLUTIO.

IX. **D**ico, verum *est ens cognoscibile ut est*; & verum formaliter supra ens addit solam cognoscibilitatem ipsius entis ut est, quatenus media est formaliter inter ens reale & nihil.

X. Probatur, quia sic patet, quòd verum à bono & uno distinguitur; item quòd convertatur cum ente, & tamen non sit enti synonymum & æquipollens, in quo adversarii nostri tenentes includere ens formaliter, multum laborant.

XI. Dices, inter ens reale & nihil non dari medium; & verum, esse passionem transcendentalem, quæ necessariò debet includere id cujus est passio: ergo, &c.

XII. Respondeo negando antecedens pro prima parte, ad quam jam sæpius responsum est, non dari quidem medium objectivè & à parte rei, bene autem formaliter & ex parte actus: ad 2^{um} verò passiones transcendentales, isto sensu non agnoscimus;

nec agnosci possunt sine processu in infinitum; si enim illa passio includat formaliter ens, etiam ipsius differentia ab ente includet formaliter ens, & differentia ab hoc ente similiter; & sic in infinitum: vide etiam dicta supra Disp. 1^a.

D V B I V M I I I .

Quid sit bonum Transcendentale & quid addat supra ens.

ANte Resolutionem
 XIII. Suppono bonum esse duplex, absolutum & respectivum: absolutum est *ens integrum quoad predicata essentialia*, respectivum est *res amabilis*: sed difficultas est, quid bonum respectivum, & quid bonum respectivum supra ens addat, quia illud solum est bonum transcendentale, nam bonum abso-

lutum convenit essentialiter ipsimet enti; ut patet.

R E S O L U T I O .

XIV. **D**ico, bonum respectivum est *ens amabile ut est*, & bonum formaliter supra ens addit solum amabilitatem ipsius entis ut est, quatenus media est formaliter inter ens reale & nihil.

XV. Probatur, quia sic patet quod bonum à vero & uno distinguatur; item quod convertatur cum ente, & tamen non sit enti synonymum & æquipolens: vide dicta dubio præcedenti. Ex hoc tamen & illo dubio,

XVI. Collige verum formaliter respectum ad intellectum dicere, & bonum formaliter ad voluntatem; nec in entibus ullam dari falsitatem, aut malitiam transcendentalem, ne alicui eidem enti conveniant passionem oppositam transcendentales.

DISPUTATIO TERTIA

De Ente Actuali.

D V B I V M I .

Quid Ens Actuale ut sic, & an existentia creaturarum distinguatur realiter ab essentia.

DIXI creaturarum, quia existentiam & essentiam in Deo realiter identificari, nullus orthodoxus dubitat.

R E S O L U T I O I .

II. **D**ico 1^o, ens actuale nihil aliud est, quam essentia actualis, ac proinde existentia actualis, non distinguatur realiter ab essentia actuali, nec existentia possibilis ab essentia possibili: ita Nominales, & nominatim noster Bacho, Halensis, Gregorius, Gabriël, &c. & PP. Societatis nonnullis exceptis, ut Henriquez Quodlibeto 1^o. q. 9. Fonseca, Connimb. Molina, &c. contra Thomistas, tum antiquiores, tum recentiores plurimos.

III. Probatur 1^o, nulla est necessitas alicujus realiter distincti ad constituendum existentiam de non existente actu, actu existentem, ergo nec similiter ulla est necessitas, &c. ad constituendam essentiam de non existente actu, actu existentem: consequentia tenet à pari; quia non minus existentia est indifferens ad esse actu, quam essentia, præsertim cum ipsa existentia habeat suam essentiam, in qua ferè omnia adversariorum argumenta retorqueri possunt.

IV. Probatur 2^o, quia sicut in sententia Thomistarum ipsa existentia fit de non existente actu existens actu, per hoc quod terminet actionem causæ producentis; ita & essentia, consequentia tenet à pari, sic enim vitatur superflua entium multiplicatio.

V. Confirmatur, ideo adversarii admittunt distinctionem realem inter essentiam & existentiam, quia essentia modò est actu extra causas, modò non; atqui idem est de essentia existentis, imò & de existentia ipsa; ergo vel existentia distinguatur realiter à sua essentia, & existentia existit per existentiam realiter distinctam, ex quo sequitur processus

in infinitum; vel existentia non distinguatur realiter ab ulla essentia.

VI. Nec dici potest essentiam existentis esse rationem formalem existendi; non verò aliarum rerum essentias: quia id ipsum est, quod hic quaerimus, & contendimus quod sic.

VII. Objicies, essentia est à Deo independens; existentia verò dependens, ergo distinguuntur realiter.

VIII. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in essentiam existentis: essentia existentis est à Deo independens, &c.

IX. Respondeo 2^o, essentiam actualem, uti existentiam actualem, esse à Deo dependentem, licet essentia possibilis ab eo non pendeat, uti nec existentia possibilis, unde corrumpitur totum argumentum.

X. Instabis, quæ realiter separantur realiter distinguuntur: sed existentia & essentia realiter separantur: ergo, &c.

XI. Resp. 1^o, retorquendo argumentum in essentiam & existentiam ipsiusmet existentis, ut supra.

XII. Respondeo 2^o, negando minorem intellectam de essentia actuali, & non de essentia possibili; quia clarum est hanc aliquando realiter separari ab existentia actuali, sic ut essentia sit possibilis & existentia actualis nondum sit: sed hinc nihil contra nostram Resolutionem sequitur; quia inde solum sequitur existentiam aliquando esse possibilem, aliquando actualem, quando essentia est possibilis existentiam esse solum possibilem, quando existentia est actualis essentiam esse actualem; non verò unquam existentiam existere & essentiam non existere, ex quo solum rationabiliter inferri potest existentiam realiter distinguere ab essentia; & ex alio, non nisi, si existentia actualis non sit, essentiam non esse actualem, cum quo stat, quod si existentia sit actualis, quod similiter essentia sit actualis, idque sine existentia realiter à se distincta, & per hoc præcisè, quod actionem productivam terminet, uti de ipsa existentia asserunt adversarii.

XIII. Urgebis, essentia rerum sunt incorruptibiles & ingenerabiles; sed de existentia id falsum est: ergo, &c.

Respondeo

xiv. Respondeo 1^o, argumentum retorquendo in essentiam ipsius existentia, ut antè.

xv. Respondeo 2^o, distinguendo majorem, essentia rerum possibiles sunt incorruptibiles, & idem est de existentia possibili, concedo majorem: actuales, & idem est de existentia actuali, nego majorem. Ex his

xvi. Colliges, intelligendo essentiam, semper intelligi existentiam, proportionaliter, si essentiam possibilem, existentiam possibilem, si actualem, actualem, scilicet actu positam extrà causas; item contra nostrum Blatium à Conceptione, existentiam non habere esse receptum in essentia; sed esse ipsamet essentiam proportionaliter, ut jam dixi: nisi agat de esse recepto ab alio, quod non obstat; unde creaturæ existunt per essentiam hoc sensu, quod non existant per aliquid realiter distinctum ab essentia; non autem ut Deus, quasi verò ita existant per essentiam, ut existant essentialiter, necessariò, illimitatè, indefectibiliter, vel ita ut existentia sit de essentia Metaphysica creaturæ, licèt sit de reali entitate tantum.

D V B I V M I I.

An existentia distinguatur realiter ab essentia productione.

Ante Resolutionem
xvii. Suppono existentiam esse duplicem: unam effectivam, & est ipsa essentia productio; aliam formalem, & est ipsa forma, à qua sit præcisè existens formaliter. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

xviii. **D**ico, existentia quidem effectiva non distinguitur realiter à productione essentia realiter à sua essentia distincta; bene formalis.

xix. Probatur prima Pars, quia essentia effectiva est effectio essentia: ergo, &c. Probatur antecedens, quia existentia effectiva est existentia in fieri sive positio essentia extrà causas: ergo, &c.

xx. Probatur secunda Pars, quia existentia formalis est natura posterior productione, sive ipsa essentia effecta præsuppositivè, utpotè essentia in facto esse, ergo à productione essentia à sua realiter distincta, distinguitur realiter, non secus ac produ-

ctio & res producta, de quo in Physica.

xxi. Confirmatur, productio terminatur ad existentiam formalem essentia distincta à sua essentia, ergo productio distinguitur realiter ab existentia formali essentia realiter à sua distincta, non secus ac via à termino: unde ad eundem terminum possunt esse diversæ viæ realiter, & ens connaturaliter genitum terminare, modò generationem, modò creationem, ut patet in speciebus Eucharisticis. Ex his

xxii. Colliges creaturam existentem per duas existentias à re possibili differre, per effectivam scilicet & formalem, Patrem vero in Divinis per solam formalem.

D V B I V M I I I.

An existentia formalis saltem ratione distinguatur ab essentia.

R E S O L U T I O.

xxiii. **D**ico, existentia formalis ab essentia distinguitur ratione formali, non tamen objectivà.

xxiv. Probatur prima Pars, quia essentia exprimitur per modum conditionati, si existat non involvit duo contradictoria, in suo conceptu formali; existentia verò per modum absoluti, Essentia existit & non involvit duo contradictoria in suo conceptu formali: unde existentia est conceptus rei ut existentis; essentia verò abstrahit ab eo, quod existat, vel non existat; nec bene, quod à nonnullis, essentia per modum subjecti & existentia per modum formæ exprimitur, ut consideranti patebit ipsiusmet existentia essentiam: ergo, &c.

xxv. Probatur secunda Pars, quia alioqui daretur processus in infinitum in prædicatis rebus intrinsecis; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur sequela, nam essentia existentia haberet suam essentiam, & hæc suam existentiam; quæ iterum haberet suam essentiam, & hæc iterum suam existentiam, & sic in infinitum: ergo, &c. Hinc

xxvi. Colliges essentiam secundum se non dicere quidem formaliter & ex parte actus existentiam, sive possibilem, sive actualem, quia ratione formali ab illa distinguitur, juxta illud Aristotelis 2^o. Posteriorum, *Quid autem sit homo, aliud est, quam esse, id est, quidditas hominis aliud est, quam existentia; sed objectivè tantum & materialiter.*

DISPUTATIO QVARTA

De Formali Principio Individuationis.

D V B I V M I.

Quodnam sit Principium intrinsecum Physicum Individuationis.

Ante Resolutionem
i. Dixi, *intrinsecum Physicum*; quia de Principio effectivo aut subjectivo Individuationis, res per se evidens est: quod quaeritur igitur est, undenam proveniat, quod species aliqua habeat individua sub se solo numero distincta. Hoc præmissò, sit

R E S O L U T I O.

ii. **D**ico, cum Nominalibus contra Thomistas communiùs (qui hac in parte obscure valde loquuntur) principium intrinsecum individuationis solo numero diversorum, aliud non est, quam ipsa uniuscujusque rei entitas realis Physica.

iii. Probatur 1^o, talis est entitas materiae signata respectu individuum materialium, igitur etiam talis est Angeli signati respectu individuum immaterialium: si enim per ordinem ad materiam duæ formæ solo numero distinguantur, quidni &

per ordinem ad eundem Angelum duæ cognitiones & volitiones ejusdem objecti, duæ ubicationes in eodem spatio, &c. solo numero distinguerentur? Deinde si per ordinem ad materiam & Angelos illæ formæ solo numero distinctæ dari possint, quidni & aliæ per ordinem ad suum subjectum immediatum. Subsumo, atqui non dantur formæ, quæ subjectum immediatum non respiciant, & è converso vix dantur formæ, quæ non sint immediatum alterius subjectum: ergo principium formale individuationis solo numero cujusque rei, haud secus quam materiæ 1^o, est cujusque rei entitas: ergo, &c. 1^a Pars assumpti est adversarium; 2^a tenet à pari.

iv. Probatur 2^o, ipsæ entitates cujusque materiæ sublunaris solo numero inter se distinguuntur, quidni & duo corpora simplicia completa, duæ subsistentiæ bases, duo Angeli? ergo, &c. 1^a Pars est adversarium; 2^a tenet similiter à pari.

v. Confirmatur 1^o, si materia esset principium individuationis rerum, ubicumque esset eadem materia, esset eadem individuatō; sed hoc est falsum; ergo, &c. Probatur minor, quia alioqui forma ignis & forma ferri essent solo numero diversæ, quia naturaliter esse possunt in eadem materia, ut constat ex dictis lib. 1^o. Physic. Disp. 3. Dub. 3^o.

vi. Confirmatur 2^o, non est ratio cur materia sit potius principium individuationis Physicum, quam forma; sed forma non est, ut fatentur: ergo, &c. Probatur minor, quia ratio propter quam faciunt materiam signatam quantitate principium individuationis solo numero Physicum, est, quia est irreceptibilis & incommunicabilis alteri tamquam subjecto; hoc autem est falsum, ut constat ex dictis de subsistentia basi: deinde scire velim, cur potius irreceptibile sit principium individuationis solo numero Physicum, quam receptibile, quandoquidem, tam hoc, quam illud possit esse principium individuationis specie differentium, quod videtur esse majoris moliminis: ergo, &c.

vii. Confirmatur 3^o, eadem numero anima rationalis in nutritione successivè informat diversas numero materias; ergo non individuat à materia, & consequenter nec formæ materiales; quia non est, cur successivè (saltem divinitus) informare non possit diversas numero materias.

viii. Confirmatur 4^o, in eodem indivisibili aëris sunt species visuales solo numero distinctæ & gradus intensiois lucis solo numero distincti: ergo, &c.

ix. Dices, docent Aristoteles & S. Thomas formas individuari per materiam signatam quantitate: ergo, &c.

x. Respondeo illos non loqui de individuatione reali Physica intrinseca, sed, aut de subjectiva extrinseca, aut de intentionali cognitionis & extrinseca; quia videlicet individua non cognoscimus, nisi materiam habeant ex natura sua; unde loquuntur tantum de principio individuationis quoad nos & extrinseco, & non quoad se & intrinseco; alioqui nequidem posset simul, imò nec successivè, idem numero subjectum recipere duo accidentia solo numero distincta, quia ubi idem intrinsecum principium individuationis, idem intrinsecè numero individuum: quod est perabsurdum.

xi. Adde individuum esse, aut solo numero aut specie distinctum, esse essenziale individuo, ac proinde & intrinsecum, sic ut à subjecto extrinseco esse non possit.

D V B I V M I I.

An possint divinitus dari Angeli solo numero intrà eandem speciem distincti.

xii. **D**Ivus Thomas q. de Spiritualib. creat. art. 8^o. negativam defendit, eumque sequuntur communiter Thomistæ, sed ita obscure philosophantur, ut à me vix intelligi possint. Verum ad Aristotelem & D. Thomam respondimus n. x. Quare absolute sit

R E S O L U T I O.

xiii. **P**ossunt divinitus dari Angeli solo numero intrà eandem speciem distincti: ita auctores communissimè, præter Thomistas.

xiv. Probatur 1^o. evertendo fundamentum oppositæ sententiæ, quod est: Natura specifica manet una numero, quamdiu non dividitur per modos numero distinctos; sed illi non sunt numero distincti per ordinem ad formam, seu actum omninò simplicem; ergo per ordinem ad materiam, quam includunt, aut respiciunt actu, vel potentiâ, tamquam subjectum receptionis: Probatur minor 1^o, quia ut sic sunt ipsa natura quatenus in se, quomodo est una & individua, quia illud totum, quod est unum & immultiplicabile realiter, est individuum, eò quòd principium individuationis sit immultiplicabilitas: 2^o, quia differentia materialis multiplicativa natura realiter, debet esse quidpiam distinctum à differentia formali, sive constitutiva speciei saltem subijcibilis; quia in Deo est talis differentia formalis, & tamen non est materialis; item quia in Petro & Paulo sunt duæ materiales, & tantum unica formalis.

xv. Respondent 1^o. Arriaga & alii communiter, planè gratis & sine ullo fundamento differentiam individualem naturæ multiplicativam sumi in ordine ad solam materiam; quia circa eandem numero materiam primam & quantitatem dantur duo accidentia solo numero distincta, ut v. g. duo calores, duo frigora, &c. quæ successivè potest habere talis materia, vel quantitas.

xvi. Contrà, si Thomistæ respondeant se, ob præmissum fundamentum, asserere differentiam, &c. sumi in ordine ad solam materiam, non satisfacit Arriaga: ad rationem autem ejus Resp. accidentia non dici solo numero distincta, quia dicunt ordinem ad eandem, aut diversam numero materiam, sed quia imprimis sunt duo, ut constat ex mutua eorum separatione, & sine nota distinctionis formalis sive specificæ, dicunt ordinem ad materiam, quæ in se includit solo numero diversa: licet enim illa, quæ sunt duo sine nota distinctionis formalis, dici possint solo numero distincta, si dicant ordinem ad materiam, non possunt tamen, si non dicant, quia principium multiplicationis eorum solo numero est ordo ad materiam.

xvii. Respondent 2^o. gratias habituales Angelorum, visiones beatificas, habitus fidei, spei & caritatis, &c. animarum hominum, solo numero distinguuntur sine ullo ordine ad materiam primam: & hoc est præcipuum ipsorum argumentum. Sed

xviii. Contra Responderem gratias habituales Angelorum esse solo numero diversas, quia indifferenter

ferenter dicunt ordinem ad Angelos vel animas racionales, quæ quia dicunt ordinem ad materiam primam, sunt solo numero diversæ, & consequenter etiam principium multiplicationis solo numero istorum accidentium: quare, omittis istorum authorum rationibus, aliter

XXIX. Respondeo ad majorem, supponi falsum, videlicet dari ex parte rei, sive objecti, naturam secundum se determinabilem ex parte rei, sive objecti, ad esse unicam numero per negationem ordinis ad materiam, vel ad esse plures solo numero distinctas per ordinem, quem dicit ad materiam, id enim est omnino Platonium, & distinctionem realem adstruit inter gradus Metaphysicos, sive inter speciem & individuum; nam si natura Petri v.g. ex parte rei, sive Petri, determinabilis sit per ordinem, quem dicit ad materiam, ad esse in Petro multiplicatam solo numero contra naturam Pauli, poterit realiter à natura Petri separari, tamquam posterius ex parte rei, sive Petri, à suo priori; quod est ratio à priori, cur in Petro prius & posterius realiter, separari possint realiter: addi etiam possunt omnia argumenta, quæ in Logica, tum Tract. 1^o. tum 2^o. attulimus contra distinctionem objectivam, & etiam Platoniam; natura igitur ex parte rei, sive objecti, nihil aliud est, quam omnia istius naturæ individua, quæ sunt species, genus, &c. prout hoc, vel illo conceptu inter se confunduntur; ac proinde, si natura dederit ista individua, quæ in se sunt objective indivisibilia, ratione confundi posse in ordine ad aliquam operationem non convenientem aliis notabiliter distinctis, dicuntur ejusdem speciei & solo numero distincta; si convenientem aliis notabiliter distinctis ejusdem generis; si verò è contrà natura dederit ista individua, ratione distingui posse in ordine ad operationem convenientem aliis notabiliter distinctis, dicuntur diversæ speciei, & sub conceptu plus quam numero distingui.

XXX. Confirmatur hæc everfio: vel ordo naturæ humanæ, aut potius animæ rationalis, ad materiam quatenus se tenet ex parte naturæ, aut animæ, à natura humana, aut potius ab anima rationali, realiter distinguitur, vel non? si primum, hæc ceitas multiplicans naturam, aut animam rationalem distinguitur realiter à natura, aut anima rationali, quod est ponere unam naturam, aut animam in omnibus individuis hominis; quia natura, aut anima secundum se præcisè, sive antecederet ad omne realiter

distinctum superveniens, est una numero, & aliunde, etiam per Divinam omnipotentiam, in multa realiter distingui non potest per multa realiter à se distincta; alioqui omne unum deberet realiter fieri multa, per accidentia realiter multa, &c. quæ in se reciperet, ac per consequens natura Divina multa realiter per multas realiter substantias; Verbum multa realiter per corpus & animam, quæ terminativè recipit, &c. quæ malè audiunt: si secundum, naturam non multiplicatam aliunde realiter, non multiplicat realiter; quia nihil habetur realiter novum, nisi per aliquid novum realiter; undè necessarid nobiscum dicere oportet principium multiplicationis realiter esse simplicissimam entitatè realem cujuslibet individui, cõceptibilis modo statim dicto.

XXXI. Probatur 2^o, Everfio adversariorum fundamento, & explicatâ autoritate D. Thomæ & Aristotelis, stat argumentum à pari, pro multiplicabilitate speciei Angelicæ, sicut pro multiplicabilitate cæterarum mixtorum specierum: ergo, &c.

XXXII. Confirmatur multiplicatio generis in solâ specie distincta, sit sine ordine ad materiam, vel ipsis adversariis fatentibus; ergo & multiplicatio speciei in solo numero distincta: Probatur consequentia, quia non est ratio, cur hæc multiplicatio fiat, potius per ordinem ad materiam, quam illa; quandoquidem totum, quod dicunt adversarii de illa, satis salvetur sine ordine ad materiam in multiplicatione generis, genere & specie distinctorum, in quibus oportet assignare principium multiplicationis speciei supra principium multiplicationis generis, sic ut in specie tantum distinctis oportet assignare principium multiplicationis individuorum solo numero distinctorum supra principium multiplicationis speciei: ergo, &c.

D V B I V M I I I.

Quodnam sit Principium Individuationis Metaphysicum.

R E S O L U T I O.

XXXIII. Dico, Principium Individuationis Metaphysicum est ipsa eccitas ab *ecce*, vel hæc ceitas ab *hic*, *hec*, *hoc*; quæ est ipsa rei entitas Physicè, præcisè concepta sub ea ratione, quâ ultimò differt à quolibet alio.

XXXV. Probatur, quia nihil commodius assignari potest. Vide dicta in Logica de Individuo.

DISPUTATIO VLTIMA

De Deo.

DVBIVM VNICVM.

An in solaratione naturali sistendo efficaciter probari possit Deum existere.

I. D Ixi, In solaratione naturali sistendo, id est, abstrahendo ab eo, quod de Dei existentia, fidei, Scripturæ, Patrum, ac Scholasticæ, autoritas docet, juxta quam manifestum est existere.

Sententia adversariorum proponitur.

II. D Icent adversarii, sistendo in sola ratione naturali, id est præscindendo ab authorita-

te Concil. Script. Patrum & Scholast. non videtur efficaciter probari posse Deum existere. Imo (inquit P. Ioan. de Lugo lib. 1^o de Deo uno Disp. 14. cap. 1^o.) asserunt nonnulli existentiam Dei, nec per se notam esse, nec demonstrari posse per aliud, sed sola fide teneri. Sic Bassolus, Aliaco, Adamus, Major, & alii apud Gillium lib. 1^o, Tract. 8. cap. 5^o. & videtur favere S. Maximus Centuria 1^a, Theol. cap. 8. Ita ille: Adverte tamen Authores illos non rectè pro ista resolutione citari; quia à dicta autoritate, uti resolutio ista, non præscindunt; nec quasi dubitanter & indagando resolvunt, quod ista facit, ut patet ex ly non videtur; sed absolute & asserendo; propter quæ, eorum resolutio hodie temeraria reputatur; unde resolutio ista

haud magis temeraria ceneri potest, quam hæc, si Concil. Script. Patrum & Scholast. testimonia nunquam fuissent, nec essent, non videretur temerariū dicere non videri efficaciter probari posse Deum existere. Quæ resolutio toto cœlo differt ab istorum authorum resolutione.

II. Probabunt, quia rationes, quibus id probant Theologi & Philosophi, sunt utcumque solutæ supra lib. 2^o. Physic. Disp. 8. Dub. 1. de Cœlo Disp. 1. Dub. 2. & de Anima Disp. 1^a. Dub. 2. ergo, &c. Sed, quidquid sit de temeritate,

III. Contra, sententia ista mihi falsa est; quia manifestum est ex locis citatis, Solutiones istarum rationum per expressas refutationes ibi rejectas esse. Quare sit

RESOLUTIO AUTHORIS.

IV. **D**ico, sistendo in pura ratione naturali, id est, præscindendo, &c. omnino efficaciter probari potest Deum existere.

V. Probatur 1^o eversione oppositæ sententiæ adversariorum. 2^o, quia cum nulla ratio purè naturalis convincat, imò, (saltem si vel ab identitate Divinæ naturæ cum tribus personis Divinis, & actibus liberis, quibus potest idem velle & nolle, idem velle, & non velle, præscindas) nequidem probabiliter suadeat, Deum non existere, & plurimæ sint, ac nominatim illæ, de quibus locis num. 2^o. citatis, quæ probabilissimè imò certò, suadeant eum existere: tibi ut minus dubium esse debet an Deus existat, sistendo in purâ ratione naturali; an in eadem sistendo, non existat: sed in dubiis iudicium commune est præferendum privato, saltem si in privato sit periculum incomparabilis injuriæ, uti est in privato Athei; prout in dubiis, bonum commune est præferendum privato, præsertim si excedat probabilissimis rationibus, uti hic excedit: ergo, &c.

VI. Dices, Ratio nostræ conclusionis est tantum moralis, non Physica: deinde solum convincit modo efficaciter probari posse ratione purè naturali Deum existere, non verò primis temporibus id probari efficaciter potuisse; quia tunc nondum erat

communis consensus circa Dei existentiam, qui jam est: volunt autem SS. Patres ex operibus Physicè, ac semper efficaciter, probari potuisse ratione purè naturali Deum existere. Vnde Gregorius Nazianzenus orat. 2^a. Theolog. de cognitione Dei per creaturas, *Profus hebetis esse hominem iudicii necesse est, qui non sponte sua, naturaliumque demonstrationum vestigiis eo progreditur.* Et Augustin. in confessione de cognitione Dei ex mundi opificio: *Facilius dubitarem utrum ipse vivam, quam utrum vivat veritas illa æterna, cujus sempiterna virtus & divinitas in suis operibus dignoscitur.* Basilii Oratione de Verbi Incarnatione: *Ex procreatarum rerum magnitudine & pulchritudine, illarum molitor & artifex certa quâdam ratione dignoscitur & spectatur: ergo, &c.*

VII. Respondeo negando assumptum pro utraque parte: ratio nostræ conclusionis imprimis Physica est & moralis; quia non attendit ad commune iudicium præcisè, sed quâ in Dei operibus fundatur, sic ut dicat, Dei opera probabilissimè, imò certò suadent Deum existere, nec id probabilis ulla ratio dissiadet, ergò certò tenendum est Deum existere, quia sola ratio naturalis certissimè & sine ullo fallibilitatis periculo, è duobus necessariis, quorum alterum annexum habet periculum incomparabilis injuriæ, dicitur illud amplectendum, quod probabilis apparet: hæc autem ratio demonstrativa est, & omni tempore vera fuit, ut patet: undè omni tempore per gravissima supplicia in Atheos, fuit animadversum. Vide Ob. Disp. 1^a Phys. Dub. 1^o. Resol. 1^a.

VIII. Instabis, falsum supponitur, videlicet necessarium esse, aut Dei existentiam agnoscere, aut non agnoscere; quia iudicium suspendi potest: ergo, &c.

IX. Respondeo negando Assumptum; cui enim bono iudicium suspenderetur? vel etiam, qui suspenderetur, ubi lex cuilibet innata continud clamitat, *Obediendum superioribus, parentes honorandi, sumis cuique tribuendum, Deus autem est inter superiores supremus; parentum protoparens, & omnium creaturarum absolutus Dominus.*

APPENDIX.

I. **D**E Deo Creatore & Conservatore, Deique cum causis secundis concursu, expressè professi egimus in octo Libris Physicorum: sed quia jam demum ad manus nostras pervenit Doctiss. Patris Suarez Operis de Divina gratia Pars 2^a, Lugduni hoc anno 1651. primò edita, in qua quàm plurima de concursu Dei, à nobis de illo præmissis valdè sunt affinia; consultò à nobis, sine ulla eorum mentione prætermitti non potuerunt; eaque verbotenus & fusè citanda putavimus, quia sic contrariantur nostræ Resolutioni 3^a. Dub. 4. Disp. 7. lib. 2ⁱ. Physicor. ut Resolutionem primam ibidem factam multum corroborarent.

QUESTIO

Apud Doctissimum P. Suarez P. 2^a citata.

LIB. III. CAP. XXIX.

II. **A**n concursus Dei cum omnibus causis secundis, sit influxus, non tantum in effectum cause secundæ & simultaneus cum actione ejus; sed etiam prævius in ipsam causam.

CAP. XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII.

III. **P**ræfatus Doctor Cap. 30. 31. 32. & 33. de variis interrogat circa mentem authorum

dependentium *Concursum Dei cum causis secundis, non tantum esse influxum in effectum cause secundæ & simultaneum cum actione ejus; sed etiam influxum prævius in ipsam causam;* quibus abundè à nobis satisfactum puto per Resolutionem tertiam Disp. 7. Dub. 4. lib. 2. Physic. quàm ibi videre poteris.

CAP. XXXIV.

IV. **C**apite verò 34^o. quaerit 1^o. *Verum concursus prævius sit de potentia absoluta separabilis à simultaneo, seu ab actione cause secundæ, & è converso, sive, quod perinde est, à concursu simultaneo, ad quod Resp. evidenter sequi ex nostra paulò antè citatâ Resolutione, per Deum separari posse; quia concursus simultaneus est illo naturâ posterior: probavimus autem ubi, si naturâ posterioris re quæ ubicatur, posse impediri, Disputat. 3^a. de loco intrinseco Dub. 3^o. quia naturâ re istâ posterioris: Concursus verò prævius non est formaliter concursus simultaneus, sed ad illum ordinatur tamquam causa naturâ suâ necessaria ad effectum proportionatum; qui tamen à Deo impediri potest, ut patet in igne Babylónico, qui à Deo impeditus est, ne combureret, licet positus omnibus ad comburendum requisitis naturaliter necessariò comburatur.*

Objicit

v. Objicit P. Suarez cap. 34. cit. n. 11°. Ista sententia parum apta est ad defendendam sententiam de veritate prævii concursus, quam nunc explicamus. Nam ex illa sequitur entitatem hujus concursus in ordine ad actionem causæ secundæ, & ad suum influxum in illam potentialem esse, id est non esse essentialiter in actu secundo, sed posse esse in potentia ad agendum. Ex quo, ut dicebam, sequitur, vel indigere prævia motione, ut exeat de potentia in actum, & sic procedit in infinitum, vel alias, facultates causarum naturalium posse reduci de potentia in actum sine prævia motione cum solo simultaneo concursu. Responderi autem potest assignando discrimen, quia facultates intrinsecæ causarum secundarum naturaliter possunt separari ab actu, & manere in potentia; hæc verò præmotio non nisi supernaturaliter, & per miraculum, & hoc satis esse, ut illæ indigeant præmotione, qua reducuntur de potentia in actum secundum; hæc verò illa non indigeat, sed per se ipsam in actum reducatur eo ipso, quod Deus suum concursum simultaneum præbet: sed hoc revera non satisfacit, tum quia etiam causæ secundæ naturales, id est, non liberæ, non possunt naturaliter esse tantum in potentia, si supponantur omnia habere requisita ad agendum; tum etiam, quia si semel intelligimus aliquid quod est in potentia ad agendum, posse reduci in actum per hoc solum, quod Deus præbeat concursum concomitantem, enervatur omnino fundamentum quo illa prævia motio necessaria reputatur. Quæ ratio in sequentibus magis videbitur.

vi. Respondeo varia in ista objectionem mihi falsa occurrere: 1° illud, quod est supernaturaliter in potentia ad agendum, indigere prævia motione ut exeat de potentia in actum, ex qua sequatur processus in infinitum: quia tantum indiget remotioe ejus, quo non posito fuisset in actu, & quo supernaturaliter præcisè posito fit supernaturaliter in potentia, ut per se manifestum est; illud autem non est præmotio distincta à præmotione naturaliter debita, sed illius supernaturaliter ablatæ naturalis restitutio, ex qua nullus sequitur processus in infinitum: 2° peto per quid ignis in instanti A. stupæ applicandus, sed aliud per Deum translatus, & sic in potentia ad stupam comburendam supernaturaliter constitutus, aliis instantibus ponatur in actu saltem concomitanter? dicit per hoc quod ei permittatur approximatio, & concursus naturalis, supernaturaliter ablatæ? optimè, igitur si agens naturaliter necessarium sit supernaturaliter constitutum in potentia, per hoc præcisè, quod sit supernaturaliter negativus concursus simultaneus, ponetur in actu, saltem concomitanter, per hoc quod ei restituatur: sequela tenet à pari, unde processus R. Patris Suarez infinitus, nobis omnino finitus est.

CAP. XXXIV.

vii. **Q**uærit 2°, ibidem n. 12. an de potentia absoluta possit Deus dare simultaneum concursum causæ secundæ sine prævio concursu in causam secundam (quia hic vice nostrâ respondet, sequentia ex ipso subiecto) quod est quærere, an sit tanta necessitas hujus concursus prævii, ut non possit Deus de sua absoluta potentia, vel facere creaturam, quæ sine illo operetur cum solo concursu simultaneo,

vel nunc in causis jam creatis illum supplere, vel virtute increata, vel augendo concursum simultaneum. Quod non invenio in dubium revocatum ab illius sententiæ defensoribus; non certe ob aliam causam, nisi quia pro comperto habent, non posse fieri, nam si posset, fundamenta omnia illius sententiæ funditus everterentur; si enim demus id posse fieri, supponamus factum: unde ergo probari poterit illum modum operandi esse miraculosum, vel non ita operari nunc omnes causas secundas? Nam si Deus posset virtute sua increata ita concurrere simul cum sole ut illuminet sine prævia motione, cur non diceret ita nunc fieri, & illum modum concurrenti cum sole esse connaturaliter illi debitum? Ita si potest causa creata in aliquo casu ita agere sine prævio concursu; ergo sine illo potest salvari essentialis dependentia in agendo causæ secundæ à prima. Atque ita ruit fundamentum illius sententiæ. Consequenter ergo in illa loquendo, necessarium est alium modum concurrenti Dei cum causa secunda sine prævio concursu per solum simultaneum implicare contradictionem.

viii. Objicit, non implicat contradictionem Deum per se ipsum facere quidquid facit per entitatem creatam, si sola ratio efficientiæ spectetur. Ergo potest Deus supplere sua virtute totam efficientiam illius entitatis, seu motionis: suppledo autem efficientiam, supplet totam necessitatem ejus; ergo simpliciter potest sua virtute facere quidquid necessarium est, ut causa secunda operetur, supponendo tantum in causa secunda solum intrinsecam virtutem agendi in suo ordine. Atque hæc ratio urget maxime adversus eos, qui dicunt istum prævium concursum per se non requiri, ut actu et quasi formaliter ipsam causam secundam, quia non est actus primus, nec complementum actus primi ex parte causæ secundæ, sed tantum virtus instrumentaria Dei. Nam hoc posito, nulla probabilis ratio reddi potest, cur non possit per suam principalem, & infinitam virtutem facere quidquid per illud instrumentum facit.

ix. Respondeo etiam in ista objectionem varia mihi falsa occurrere; 1° Deum facere posse, ut creatura indifferens ad agendum, sine actione à Deo & ipsa creatura agente realiter distincta, agat: 2° ut creatura indifferens ut à Deo solo, vel creatura simul; ut à Deo per creationem, vel per generationem, pendeat, sit à Deo quolibet modo pendens sine actione à Deo & ipsa creatura pendente realiter distincta; quæ tamen ab illis certo certius realiter distinguitur: ab hac autem ad concursum prævium, sive præmotionem præviam, est omnimoda paritas, quia non solum creatura est indifferens, ut sit proximè expedita, & ultimò determinata ad ponendum effectum vel non ponendum, sed ad ponendum vel non ponendum effectum quæ causæ secundæ effectum, ut probavimus Physic. lib. 2°. Disp. 3. Dub. 4. Resol. 2°. Hæc verò indifferentia non minus debet tolli per aliquid realiter distinctum à Deo & causa ista secunda, quam illa alia: solutio ista vim suam retinet, Licet dicatur istum prævium concursum per se non requiri, ut actu et quasi formaliter, ipsam causam secundam; quia non est actus primus, nec complementum actus primi ex parte causæ secundæ, sed tantum virtus instrumentaria Dei. Ut Consideranti patebit. His fusè prælibatis, sit

CAP.

CAP. XXXVI.

*Resolutio Prima Questionis ex cap. 29. supra
posita ab ipso P. Suarez.*

X. *D*icimus ergo his causis naturalibus, quæ in suo genere habent intrinsecam vim sufficientem agendi, non dari prævium influxum primæ causæ, sed simultaneum tantum, eumque sufficere ut actu operentur. Ita præfatus Suarez cap. 26.

XI. Probat 1^o præfatus Doctor suam assertionem numero 2^o. verbis sequentibus: Probatur ergo assertio, quia hæc causæ naturaliter agentes non indigent nova virtute agendi illis addita, ut suas efficiant actiones; ergo neque indigent novo influxu primæ causæ in ipsis recepto. Antecedens admittunt adversarii, imò pro illo pugnant, ut cap. ... videbimus, & merito, quia ipsæ causæ secundæ sunt causæ principales in suo genere, & non producunt aliquid excedens perfectionem ipsarum, de his enim tractamus. Consequentia verò probatur, quia ille influxus solum potest esse necessarius propter virtutem aliquam agendi, quæ per illum ipsi causæ secundæ conferatur; ergo si ad hunc finem necessarius non est, omnino est superfluous, nam ex parte Dei non est necessarius, ut illi per modum instrumenti inserviat: nam cum Deus ipse, ejusque increata virtus, & causæ secundæ, & illius effectui intimè adsit, & per se efficacissima sit ad suum concursum simultaneum præstandum, non indiget prævia virtute creata, per quam agat, ut supra etiam cap. ... ostensum est. Et ex ibi dictis potest hæc ratio ampliari, & corroborari, quæ repetere necessarium non est, sed insinuare; quia vel illa motio prævia est necessaria ex parte actus secundi, seu actionis causæ secundæ, vel ex parte principii: Primum dici non potest juxta contrariam sententiam, nam quod est prævium ad actum secundum quodque non fit à causa secunda, sed in ea tantum recipitur, non est pertinens ad actum secundum, nec ex parte illius se tenet. Et ideo Scotus, Gabriel & alii, qui concursum simultaneum agnoscunt, rectè & consequenter dicunt concursum Dei se tenere ex parte effectus, non ex parte causæ, ut Bellarminus supra notavit; at qui ponunt concursum prævium, non possunt illi consequenter attribuire quod se tenet ex parte effectus, seu actus secundi, cum prius naturâ, ac subinde principium, & causam actus secundi illum esse definiant, ut latè dicto cap. ... deductum est. Neque etiam potest esse necessarius ille concursus ex parte principii, quia vel est necessarius ut principium per se, vel ut sola conditio sine qua non. Prior pars impugnata jam est, quia neque ex parte causæ secundæ, neque ex parte primæ causæ est necessaria nova virtus creata, nec additio, vel complementum ejus, nec etiam instrumentalis virtus ad agendum. Posterior item pars in cap. ... probata est, & in lib. 1. de Auxiliis, ubi discurrendo per omnes modos quibus illa conditio cogitari, aut explicari potest, ostendimus frustra postulare.

XII. Et declaratur breviter, quia in his causis non est necessaria nova motio, quasi propter seipsam, ut ita dicam, quia si non confert aliquam utilitatem ad agendum, impertinens est, nec invenitur in rebus naturalibus, aut causis motus aliquis à natura datus propter seipsam, sed propter

aliquem terminum, neque etiam invenietur modus, aliquis à natura datus tanquam prævius ad agendum, nisi quia terminus ejus aliquando confert ad actionem, vel per modum virtutis agendi, vel ut passum sit propinquius, & intra spheram agentis, vel per modum remotionis impediendi. Vnde ulterius non potest hæc præmotio his agentibus esse necessaria, quia in termino ejus habeat aliquam conditionem utilem ad agendum, quam antea non haberent, quia per illam motionem non tolluntur aliqua impedimenta; frequenter enim nulla præcedunt, & id in disputatione supponitur, quia per se loquimur, impedimenta autem sunt per accidens. Nec causæ secundæ per illam motionem, vel terminum ejus, magis applicantur, quam antea essent, quia non fiunt propinquiora passis, vel objectis, aut materiis circa quas operatura sunt, & præter hanc applicationem nulla alia cogitari potest prævia ad actionem, ut supra etiam probavi; quia intimior applicatio ad actionem non est aliquid distinctum ab ipsa actione. Denique in his etiam agentibus non requiritur determinatio prævia, & quasi in actu primo, quia illa sunt naturâ suâ determinata ad unum, nec majori determinatione indigent, imò vix cogitari potest alia, quæ naturâ præcedat actionem; illa enim determinatio actualis, quæ sub actione considerari potest, non est aliquid prævium, sed per ipsammet actionem fit; ergo propter nullam conditionem, sine qua non potest illa motio in agentibus verisimiliter postulari.

XIII. Sed contra Resp. negando consequentiam, ad ejus probationem, nego assumptum; est enim ille concursus ex parte Dei eo modo necessarius, quo concursus simultaneus in effectum; quia, ut probavimus p. 1^a. Phys. Tract. 2^o. Disp. 7. Dub. 4^o. Resol. 2^a. sic Deus est causa actionis causæ secundæ, sive sic concursu simultaneo influit in effectum, ut sit etiam causa actionis causæ secundæ, prout causæ secundæ, sive ut etiam concursu prævio influat in effectum & actionem prout causæ secundæ effectum & actionem, ob rationes ibi allatas, quod verisimiliter non consideravit P. Suarez, ut satis insinuat per hæc verba, *Nam ex parte Dei non est necessarius, ut illi per modum instrumenti inserviat; nam cum Deus ipse, ejusque increata virtus, & causæ secundæ, & illius effectui, intimè adsit, & per se efficacissima sit ad suum concursum simultaneum præstandum, non indiget prævia virtute creata per quam agat.* Sed ibi non est nodus, ut vidimus. Vnde ulterius patet ad id quod paulò post in corroboratione istius rationis adfert, *Neque ex parte primæ causæ est necessaria nova virtus creata, nec additio, vel complementum ejus, nec etiam instrumentalis virtus ad agendum:* quia neque etiam hic nodum tangit; nam concursus ille est necessarius per modum dependentiæ effectus ut effectus causæ secundæ à Deo, quomodo necessariò à Deo pendet: unde hic non parum (quòd salvâ tanti viri pace dixerim) hallucinatur P. Suarez. Declaratio autem jam rejectæ rationis eadem hallucinatione laborat, quod ut manifestius fiat, ad hanc ultimam ipsius rationem, *Denique in his etiam agentibus non requiritur determinatio prævia, & quasi in actu primo, quia illa sunt naturâ suâ determinata ad unum, nec majori determinatione indigent. Imò vix cogitari potest alia, quæ naturâ præcedat actionem.* Merito negatur assumptum, & ad ejus probationem,

XIV. Respondeo, illa esse quidem naturâ suâ determinata ad unum; sed illa non esse naturâ suâ determinata ad unum prout causæ secundæ effectum

atum à Deo pendentem, quod omnino necessarium esse, in Physica loco supra citato probavimus. Vnde tota ista declaratio corrui.

C A P. X X X V I.

xv. Eodem capite 36. n. 6. idem Suarez rejicit confirmationem 2^a. nostræ Resolutionis Dub. 4ⁱ. Disp. 7. p. 1^a. Tract. 2ⁱ. Physic. sequentibus verbis.

xvi. Ad alteram partem de determinatione Divini concursus, aliqui religiosè formidant ita loqui, quòd causa prima determinetur à secunda in suo concursu, tum quia inde sequeretur actionem causæ secundæ esse in aliquo genere priorè natura, tum quia ille modus determinationis ab alio quemdam imperfectionis modum includere videtur. Nam quod ab alio determinatur, ab alio pendet: concursus autem causæ primæ non pendet à causa secunda, sed ipsa voluntate sua suum concursum accommodat, & determinat sic, ut ad individuum, ita & ad speciem, & ad modum concursus. Alii verò simpliciter concedunt concursum causæ primæ determinari à secunda, ut videre licet in Cajetano 1. part. quæst. 14. art. 13. §. neque sustinendus, in fine, & quæst. 19. art. 8. in fine, & ex hoc principio defendit contra Scotum posse actionem aliquam esse contingentem, etiamsi Deus ageret ex necessitate naturæ.

xvii. Verumtamen utrumque verum est si rectè explicetur, & imperfectiones, vel superflua actiones removeantur. Itaque dubitari non potest, quin Deus sua libera voluntate definiat concursum suum non solum quoad individuum, sed etiam quoad speciem, vel modum concursus. Nam Divina potentia de se indifferens est ad varios concursus præstandos, non indifferentià imperfectà, sed perfectissimà, quæ est ex omnipotentia, & universali virtute, quæ ab extrinseco determinari facile non potest absolute, sed tantum à propria voluntate; ergo Deus ipse est qui determinat speciem concursus, sicut & individuum. Est tamen in hoc notanda differentia, quòd determinatio ad individuum nullum habet fundamentum in causa secunda, sed est ex sola voluntate Dei, ut dixi. Determinatur autem quoad speciem licet, ut dixi, per Dei voluntatem directè, & efficienter fiat, nihilominus fundamentum, & aliquam rationem habet ex parte causæ secundæ, nam ideo Deus determinat huic causæ date talem modum, & speciem concursus, quia illum postulat virtus talis causæ tamquam accommodatum suæ naturæ. Vnde licet non propriè dicatur actio causæ primæ determinari quoad speciem ab actione causæ secundæ, quia in hoc loquendi modo significatur ordo naturæ, cum distinctione aliqua, & pluralitate actionum in re ipsa, propriè tamen dici potest causa secunda in suo genere determinare primam ad talem concursum, postulando ab illa talem concursum, & non alium, neque inde sequitur prioritas naturæ in concursu, vel actione causæ secundæ, quia non postulat talem concursum Dei per suum concursum ut exhibitum, sed per virtutem aptam ad exhibendam talem cooperationem, & non aliam, & in hunc modum determinat concursum Dei quoad speciem, licet non quoad exercitium. Et sic dicitur causa prima determinari à secunda quoad contingentiam effectus, vel quoad alias proprietates,

quas habet actio causæ secundæ per habitudinem, ad causam proximam, cui Deus se accommodat, naturà talis causæ id postulante. Et hæc doctrina est apertè D. Thomæ 3. contra gent. cap. 66. ubi sic inquit, *Secunda agentia sunt quasi particulares, & determinantes actionem primi agentis, & quæst. 1. de pot. nat. art. 4. ad 3. ubi sic inquit: Licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur, & specificatur.* Quod etiam Cajetanus docuit 1. part. quæst. 14. art. 13. & quæst. 19. a. 8. & Ferrar. 1. contra gent. cap. 67. circa rat. 5. ad finem.

xviii. Sed contra: rogo quem concursum postulet causa secunda à prima; vel enim à causa prima præcisè postulat concursum in effectum absque concursu prævio in ipsam quæ postulantem; vel simul cum concursu prævio in ipsam quæ postulantem? si primum, igitur postulatio illa est à creatura absque prævio Dei concursu in ipsam quæ postulantem, ac proinde illa est à se postulans: si sic, consequenter dici potest esse à se, ut ibi diximus; id autem est hæreticum; si secundum, sequitur intentum.

xix. Dixi quæ postulantem, ut distinguatur à causa, quæ Dei effectum, quæ toto celo distinguuntur, nec minùs quàm causa ut Dei effectus, & causæ ut effectus sui causæ, unde prævius concursus, de quo hic contendimus, debet distingui à concursu in causam ut effectum, & esse debet in causam ut sui effectus causam.

xx. Neque est quòd D. Thomam in suam sententiam detorqueat; quia reverà lib. 3^o. contra gentes cap. 66. à se citato, evidenter à nobis contra ipsum stat, ac imprimis (præterquam quòd c. 65. n. 4. dicat oportet quòd ipse Deus, qui est suum esse, sit 1^o & per se causa omnis esse, ac proinde causæ quæ postulantis talem concursum in effectum, quæ determinantis concursum Dei generalem in effectum, &c. ut contra Suarem & alios contendimus, quia illud est quoddam esse) n. 2^o. *Quando aliqua agentia diversa sub uno agente ordinantur, necesse est, non quòd effectus, qui ab eis communiter fit, sit eorum, secundum quòd ununtur in participando (ubi manifestè includitur concursus prævius) motum & virtutem illius agentis, non enim plura faciunt unum, nisi in quantum unum sunt, sicut pater, quia omnes qui in exercitu sunt operantur ad victoriam causandam, quam causant secundum quòd sunt sub ordinatione ducis. Eise autem sub ordinatione ducis, plus dicit, quàm ducis concursu simultaneu, ut pater, quid plus applicationem & similem concursum prævium; alioqui quilibet miles esset sub ordinatione cujuslibet militis ad victoriam concurrentis; quod est evidenter falsum: idem dic in proposito. Quia ut sequitur, oportet quòd agentia effectum producant, in quantum ordinantur sub primo agente & agunt in virtute ipsius. Et num. 3^o. omnia quæ dant esse, quòd æquivalent quæ postulant, quæ determinant, &c. hoc habent in quantum agunt in virtute Dei: Vnde verborum D. Thomæ, quæ ex isto capite pro se citat Patet Suarez, hic est sensus: *Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particulantes & determinantes actionem primi agentis in effectum præcisè (& non in effectum pro ut talis causæ secundæ effectum, ob rationem supra datam) agunt, &c. quòd autem sit iste sensus, videtur satis exprimi per secundum locum, quem ex 1^o. de potentia pro se (alioqui ibi videretur contradicere sibi 1. p. quæst. 105. art. 10. ad 3^{um}. dicenti, Hoc ipsum quòd causæ secundæ determinatur ad determinatos**

terminatos effectus, est illis à Deo: unde Deus, quia alias causas ordinar ad determinatos effectus, potest etiam determinatos effectus producere per seipsum, &c.) citat licet causa prima maxime influat in effectum (igitur agit D. Thomas, de determinatione primi agentis in effectum præcisè) tamen eius influentia per causam secundam determinatur & specificatur, in quo nullum inconveniens, quia determinatio hunc concursum Dei prævium præsupponit, ut sic proinde sit à Deo, & non à se, quod difficulter in sententia P. Suarez salvatur.

CAP. XXXVI.

xxi. **P**rosequitur P. Suarez n. 8. unde facile intelligitur ad hunc modum determinationis causæ primæ à secunda non esse necessarium concursum prævium receptum in causa secunda, quia non est determinatio ipsius concursus in actu secundo, (ut sic dicam,) vel prout jam emanantis à Deo, sed est determinatio quasi in actu primo, & ad rem explicandam dici potest determinatio, quoad sufficientiam, non quoad efficaciam, quæ solum provenit ex conjunctione talium duorum agentium ad efficiendam unam, & eandem actionem, ad quam est determinata, & quasi contracta virtus causæ secundæ: virtus autem causæ primæ per se spectata non est limitata ad talem modum actionis, vel concursus; conjuncta vero cum tali causa ad juvandam illam, consequenter determinatur ad agendum juxta exigentiam talis causæ, & non aliter. Et in hoc sensu, & non in alio loquutus est Cajetanus, ut declararet, quod licet Deus concurreret cum causa secunda ex necessitate naturæ, si supponeretur in homine libertas arbitrii, non necessitaret illum ex vi concursus, quia non per se solū ageret, sed simul cum causa secunda, & ideo ab illa determinatur ad talem modum agendi, etiamsi nihil in illam prius influeret. Et hoc bene declarat exemplū quod adducit de principio certo de fide, vel evidenter ac per se noto concurrere cum præmissa probabili ad assensum; ab illa enim determinatur ut tantum influat in assensum probabilem, quæ determinatio non est per influxum unius præmissæ in aliam, sed per solam conjunctionem ad eliciendum eundem assensum, in quem non prius influit una præmissa, quam alia, sed utraque simul mutuo se juvantes; quia verò sunt inæquales, inferior determinat, & quasi limitat superiorem. Ita ergo servata proportione, intelligendum est in causa prima & secunda remotis imperfectionibus, quia causa prima non necessitatur; sicut enim non necessario agit ad extra, ita etiam absolute, non necessario determinatur à causa secunda, sed ipsa voluntarie se determinat illi, quamquam ex hypothese quod non vult sola agere, sed cum tali causa, & juxta exigentiam naturæ ejus ad dandum concursum in tali specie, & modo necessario determinetur. Concludimus ergo nullo vero titulo, vel ratione inveniri hanc necessariam præviam motionem primæ causæ receptam in secunda ante actionem ejus, ac proinde admittendam non esse.

xxii. Sed contra: Si ad modum determinationis causæ primæ à secunda non est necessarius concursus prævius; quia non est determinatio concursus in actu secundo, vel prout jam emanantis à Deo, sed est determinatio quasi in actu primo sic ut dici possit determinatio quoad sufficientiam, non quoad efficaciam, quæ solum provenit ex con-

junctione talium duorum agentium ad efficiendam unam & eandem actionem. Duo erunt prima principia ut principia effectus A. v. g. nam semel dato quod sint duo prima principia simul agentia, erunt sibi mutuo determinatio quasi in actu primo, quoad sufficientiam & quæ proveniat ex conjunctione talium duorum agentium ad efficiendam unam & eandem actionem: licet enim ex duobus equis simul ad eandem navim trahendam applicatis, ex mutua ad eandem navim trahendam conjunctione, unus alium determinaret, si aliunde unus in alterum præviè non influeret, essent æquè prima principia creata, ergo similiter, si Deus præviè in causam secundam effectus non influat, hæc erit æquè primum principium effectus, ac Deus. Ad id verò quod ex Cajetano ad fert, fateor quod non necessitaret illum ex vi concursus; fieret tamen ut homo esset primum agens haud secus quam Deus, quod admitti non potest; & idem est de illis præmissis respectu assensus conclusionis, respectu cujus sunt æquè primò moventes, & propter conjunctionem ad invicem sese mutuo ad movendum determinantes; quia quælibet partem rationis moventis continet, unde P. Suarez nihil auxilii sumere potest ex Cajetano.

CAP. XXXVII.

xxiii. **P**robat suam assertionem 20. cap. 37. n. 10. Verbis sequentibus In Philosophis, Patribus & Sacra Scriptura solum legitur nihil fieri, aut posse fieri in mundo quod Deus ipse non faciat, & nihil aliud nos docent, ut necessarium, vel ad eminentiam, & universalitatem Divinæ causalitatis, vel ad præstandum naturalibus causis auxilium sufficiens quo sues naturales effectus producant. Ergo eo ipso tacite indicant aliam præviam motionem, quæ à solo Deo fieri debet, necessarium non esse. Conscientia fit valde verisimilis ex dicto principio. Antecedens autem quoad utramque partem probamus per dicta tria membra discurrendo.

xxiv. Et primo ex Scriptura ad probandum concursum Dei cum causis secundis, solum habemus illa testimonia in quibus omnes effectus, & opera causarum secundarum Deo ut nunc operanti, & per se, ac propriè facièti tribuuntur, ut est illud Isaïæ 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: & illud Ioan. 5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor: & illud Job 10. Etenim manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: & Psalm. 138. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim manus tuæ deducet me, utique mecum cooperando: & clarius Psalm. 146. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam, qui producit in montibus fenum, & herbam servituti hominum, &c. Et similia sunt infinita in Scriptura, in quibus ipsamet effecta, & opera causarum secundarum Deo tribuuntur, & per hunc modum explicant cooperationem ejus, cum causis secundis in his, quæ naturalia sunt: quæ simpliciter, & verissimè intelliguntur ratione Divini cōkursus essentialiter imbuti in actione creaturæ. Ratione ejus possunt ad omnes naturales causas applicari verba Christi, Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere: & verba Pauli ad Philipp. 2. Deus est qui operatur in vobis velle; & perficere. Ita enim illa D. Thomas applicat lib. 3. contra gent. c. 67. & alia similia. Ergo illa motio prævia, quoad hos effectus naturalium causarum non habent

bent in Scriptura fundamentum : non est ergo ex vi Scripturæ necessaria, & consequenter nec afferenda.

Dices, interdum talem effectum tribui Deo excludendo causam secundam, quod non aliter potest esse verum, nisi quia aliquid proprium operatur ibi causa prima, ratione cuius totum illi soli tribuitur. Assumptum patet ex illo Ieremias 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea domus Israël.* Apertius 2. Machab. 7. *Singulorum membra non ego ipsa compegi, &c.* Ac deniq; Actorum 17. dicitur, *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* ubi particula *in ipso* indicat præviam virtutem Dei, per quam vivimus, & operamur. Sed hæc nihil ad præsentem causam faciunt, nam in primo testimonio non agitur de concursu Dei cum causis secundis, sed de potestate, quam Deus habet ad affligendos, & sublevandos homines majori facilitate, quam posset figulus vas à se confectum frangere, & in meliorem formam restituere. Vnde post verba allegata subiungit Deus, *Repente loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruiam, & disperdam illud.* & infra, *Ecce ego fingo contra vos malum, &c.* ubi Hieronymus, & D. Thomas ponderant verbum *fingo* alludere ad parabolam, seu exemplum figuli. Vnde rectè Maldonatus ibi contra hæreticos advertit, non agi ibi de animo, sed de corpore, de morte, & vita, & rebus adyersis, & profperis, de captivitate, & liberatione ab illa. quasi dicat, *Ego possum mortificare, & vivificare, deducere ad inferos, & reducere.* 1. Reg. 2.

xxvi. Respondeo negando consequentiam; quia hoc ipso quod necessarium est Deum omnia opera nostra operatum esse, necessarium est omnia opera nostra prout causæ secundæ opera, operatum esse; quod, ut hucusque vidimus, explicari non potest absque prævio Dei concursu, nisi adstruantur duo prima principia; quæ nec P. Suarez, nec ullus alius Catholicè admiserit: unde patet ad omnem auctoritatem, sive Scripturæ, sive Patrum, quam P. Suarez pro se adferre possit.

xxvii. Adde 1º. Philosophi à nobis stare auctoritatem 8. Physic. textu 33º. ubi de primo & secundo movente docet utrumque quidem movere, sed magis primum; illud enim movet ultimum, sed non hoc primum, & sine primo quidem ultimum non movebit; illud autem sine hoc, ut baculus non movebit, nisi moveatur ab homine. 2º. auctoritatem Cathedris Romani, qui exponens hæc verba, *Credo Creatorem cæli & terræ ait, Deum nedum universa, quæ sunt, sua providentia intrinsece, & administrare, sed & quæ agunt aliquid intimæ virtute, ad motum atque actionem ita impellit.* 30. August. lib. 9. de Genes. ad litt. c. 19. *natura agit interiori motu, nobisque occultissimo, cui tamen, si Deus subtrahat operationem intimam quæ eam substituit, & facit, continuo tamquam extincta, nulla remanebit.* Clarius Greg. lib. 16. moral. cap. 16. *nec ea quæ moventur, & non vivunt, suis nutibus ad motum ducuntur, sed ille cuncta movet, qui quadam vivificat, &c.* & infra, *omnia quæ creata sunt, per se, neque subsistere, prævalent, neque moveri; sed in tantum subsistunt, in quantum, ut esse debeant, acceperint; in tantum moventur, in quantum occulto instinctu disponuntur.* de mente autem D. Thomæ satis ante, tum hic tum lib. 2º. Phys. Disp. 7. dub. 4º.

R. P. Francisci Bonæ Spei Metaphysicæ

CAP. XXXVII.

xxviii. Respondet 1º. præcitatus P. Suarez c. 37. n. 11. *incredibile esse auctores Cathedris cum sensum intendisse, quia valde alienum erat à fine, & utilitate Cathedris, questionem valde Metaphysicam & incertam definire, & Parochis proponere, ut juxta eam populum instruerent ac docerent; cum neque communis populus eam intelligere, neque ipsi Parochi eam percipere, ordinariè valeant, aut explicare.* Sed ni fallor (quod eadem pace tanti Doctoris dixerim) hic iterum hallucinatur in mente authorum Cathedris; vel enim putat illos explicare concursum Dei prævium sine qualitate naturæ suæ Physicè præmovente, & eo modo, quò illum lib. 2º. Physic. Disp. 7. dub. 4. Resol. 3ª. explicuimus; vel cum illa, vel præscindendo à modo: si tertium, definitio illa tam necessaria est, & ad finem ac utilitatem Cathedris, ac definire Deum esse Creatorem & factorem omnium, unicam primam causam, unicam primum principium, solum à se, &c. ut consideranti patebit; putoque id explicatis terminis debere apud omnes esse extra omnem controversiam & certum, hincq; factum arbitror, quod (ut notat idem Suarez eodem cap. num. 1º.) *Patres, vel antiqui Philosophi, numquam in hæc questionem inciderint, aut illam subtiliter disputarunt.* 1º. verò ad hoc tertium reducitur. Contra 2º. autem rectè concludit P. Suarez, sed id intendisse Auctores Cathedris nullâ ratione mihi probatur. Neque isto sensu verba illius pro nobis citamus.

EODEM CAP. XXXVII.

xxix. Respondet 2º. num. 10. *Longè diversam esse Gregorii, à nostra, intentionem, quia, inquit, ibi explicat peculiarem providentiam, quam Deus circa res insensibiles & elementares universi, in ordine ad hominum utilitatem vel punitionem, propter quos fines interdum Deus occultis impulsibus & motibus, vel per se, vel per Angelicam creaturam sibi ministrantem ita causas secundas movet & applicat, sicut ad eosdem fines expedit.* Sed quòd id in decursu capitis faciat, non impedit, ne in nonnullis periodis omnino generaliter loquatur, & ad intentum nostrum, uti revera ipsum locis pro nobis citatis facere arbitramur.

CAP. XXXVIII.

xxx. Respondet 3º. c. 38. n. 10. ad D. Thomam his verbis: *Venio ad D. Thomam, sub cuius sola umbra, & auctoritate prioris sententiæ auctores eam defendunt, & inter eos Alvarez dixit sine dubio esse expressam sententiam Divi Thomæ. Sed sine dubio ita est D. Thomæ, sicut Augustini de quo idem affirmat, non tamen probat, ut notavi. Primum ergo D. Thomas in summa illam sententiam non docuit, sed potius hanc nostram satis aperte indicat, nisi in sensu improprio per vim exponatur. Solet autem in primis allegari D. Th. 1. p. q. 105. art. 4. & 5. (omitto autem nunc quartum, quia in eo specialiter tractat de voluntate, de qua postea dicturi sumus.) In art. ergo 5. agit de omni causa secunda operante. Et in corpore ita concludit, *Deus in omnibus intimè operatur.* Et hanc assertionem probat ex Scriptura Isai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.**

mine. & Iob 10. Pelle & carnibus vestisti me. quæ, ut vidimus, in omni proprietate solum probat concursum cooperantem. Hunc ergo in sua conclusionem intendit D. Thom. Quia verò in discursu rationis utitur illis modis loquendi, secundum agens agit in virtute primi, & primum agens movet secundum ad agendum, & Deus movet res ad operandum, quasi applicando formam, & virtutes rerum ad operationem. Idèd alii authores interpretantur omnia hæc dici propter prævium influxum in causam: nos autem dicimus ad omnia illa sufficere influxum in causam, dando illi formam, & virtutem operandi, & conservando illam cum concursu concomitante in effectum, quod quomodo intelligendum sit solvendo argumenta, & alia testimonia ejusdem Doctoris sancti declarando luculentius explicabimus.

xxxix. Reverà nescio quomodo P. Suarez, alioqui doctissimus, doceat D. Thomam solum concursum simultaneum secum docuisse, sive suam sententiam: item loca D. Thom. solum probare concursum cooperantem, licet tandem in nostram sententiam evidenter inclinatur dicendo: nos autem dicimus ad omnia illa puta D. Thomæ loca interpretanda sufficere influxum in causam dando illi formam, & virtutem operandi, & conservando illam cum concursu concomitante, &c. sed ibi plus requirit quàm concursum simultaneum, prævisq; quem negat omnino involvitur in his verbis: dando illi virtutem operandi, sive etiam expressius in his: influxum in causam: nisi per ea aliud P. Suar. intendat, quàm nos lib. 2º. Phys. disp. 7. dub. 4º. Resol. 3. significari dixerimus, prout revera intendisse manifestè sequitur, tum ex eo, quòd ubique concursum prævium neget, tum ex eo quòd cap. isto 38. num. 10. dicat, dum dicitur, quòd Deus applicat virtutem causæ secundæ ad agendum, necesse est loqui de applicatione, quæ per se & immediatè sit effectus.

EODEM CAP. XXXVIII.

xxxix. Respondet 4º. specialiter num. 11. ad D. Thomam de Potentia q. 3. art. 7. à nobis lib. 2º. Physic. Disp. 7. dub. 4. Resol. 2º. citatù: sequentibus verbis: Alia sunt plura D. Thomæ loca, quæ in utramque partem ab authoribus utriusque sententiæ agitantur, quæ nunc omitto, quia vel superioribus similia sunt, vel in argumentis primæ sententiæ tanguntur, & cap. seq. tractabuntur, vel pertinent ad concursum cum voluntate libera, de quo dicere incipimus c. . vel deniq; pertinent ad auxilium efficax gratiæ, de quo in lib. 5. dicturi sumus. Aliis ergo omissis, prætermittere hæc non possumus locum celebrè in q. 3. de potent. art. 7. quo nos maxime premunt defensores prioris sententiæ, quia in eo, præsertim in solut. ad 7. aperte videtur D. Thom. ponere in causis secundis duplicem virtutem necessariam ad agendum, unam firmam, & permanentem, quæ est virtus connaturalis unicuiq; causæ, aliam fluentem, quæ à Deo fit in re naturali, & per eam actualiter agat, & de hac dicit esse per modum intentionis, & habere esse incompletum ad instar motus instrumenti, vel ut species coloris in aère, propter quæ verba dixi in lib. 1. de Auxiliis D. Thomam in eo loco sensisse dari in causa secunda aliquid prævium actu inditum à causa prima ad agendum; illam verò sententiam

postea tacitè retractasse quæ responsio rejicitur à novioribus Thomistis, & video antiquiores etiam non ita de eo loco sensisse: nam Capreolus, & Cajetanus, ut supra dixi, doctrinam illius articuli allegant, & sequuntur tanquam consentaneam, & conformem doctrinæ ejusdem S. Doctoris, & ideo paulò diligentius articulum illum considerare libuit, & simul occasione illius omnia, quæ de reliquis locis diximus, amplius declarare, & confirmemus.

xxxix. Primò ergo considerandus est discursus corporis articuli, in quo impugnato errore, qui secundis causis proprias suas efficientias negabat, ita concludit: Non ergo sic est intelligendum, quod Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur, sed quia in ipsa natura, vel voluntate operante Deus operatur. ubi particula in, (ut supra notavi) non dicit habitudinem ad naturam, vel voluntatem ut subjectum, sed ut principium operationis suæ, ratione cujus dicitur Deus in ea operari; aliàs nec assertio responderet quæstioni, neque per illa verba explicaretur Deum efficere ipsammet operationem naturæ. Nam in titulo non quæsit, an Deus operetur in natura operante, sed an operetur in operatione naturæ, id est, an operetur ipsammet operationem naturæ; in eodem ergo sensu loquitur in illa assertione, affirmando Deum efficere operationem naturæ, & voluntatis, & ideo statim aggreditur explicare modos quibus una causa esse potest principium actionis alterius: ponit autem quatuor modos. Primus est dando virtutem agendi, secundus est conservando illam, tertius ut applicans, & movens virtutem agendi inferioris causæ, quartus ut principale agens respectu instrumenti. Ex omnibus his modis dicit, Deum esse causam efficientem actionis causæ secundæ: ex illis tamen quatuor modis duo primi ad præsentem quæstionem non spectant: nam etiam Durandus & alii, qui negant necessitatem generalis concursus, illos modos non negant. quia illi modi efficiendi non sunt per se, & immediati respectu actionis creaturæ, sed remoti, & quasi per accidens, sicut causa causæ, est causa causati, sed præmittuntur à D. Thomam, tam in illo loco, quàm in aliis, quia explicant essentialem dependentiam causæ secundæ, & virtutis ejus in suo esse è causa prima, ex qua oritur dependentia etiam in agendo. Oportet autem notare illos duos modos necessariò esse per actiones, seu influxus in re ipsa distinctos, quia productio, & conservatio esse potest eadem actio continuata. Vnde per se tantum distinguuntur habitudine ad esse, vel non esse, quod præcessit, ut ex Metaphysica constat.

xxxix. Sed Contra est imprimis, quòd non velimus propter locum istius articuli ad 1ºm ponere in causis secundis duplicem virtutem necessariam ad agendum, unam firmam & permanentem, &c. quia talem virtutem, sive virtuosam qualitatem, fluxam impugnamus dub. 4º. jam citato Resol. 1ª. nec ullibi in Philosophia tales fluxæ naturæ qualitates agnoscerimus, sed pluribus locis rejicimus, & nominatim Disput. ultima Physicæ de impulsu agentes. Neque puto talem qualitatem illo modo in mentem Divi Thomæ incidisse, ut verba loci citati consideranti patebit; sic enim ibi loquitur: dicendum quòd virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quadam forma habens esse naturæ & fir-

num in natura ibi quidem virtus firma & permanens, sed id quod à Deo fit in re naturali, que actualiter agit, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum, quo calores sunt in aere, & virtus actus in instrumento artificis. Nullus autem dicit virtutem artis in instrumento artificis aliud esse quam applicationem instrumenti artis ab artifice ad operandum modo quo dub. 4^o. citato Resol. 3^a. concursum prævium explicuimus; unde nullà ratione verum est, quòd S. Thomas in eo loco senserit dari in causa secunda aliquid prævium actu inditum à causa prima ad agendum, saltem per modum fluxus qualitatis, quod ibi supponere videtur, & multò minùs, quòd id postea tacite retractarit; neque, si id postea non retractarit, ut circa illam retractationem se retractat P. Suarez, id rectè explicat dicendo, quòd D. Thomas solum velit quòd Deus operetur ipsammet operationem naturæ. Quia sic id vult, ut modum assignet quòd Deus operatur ipsammet operationem naturæ videlicet, ut movens & applicans virtutem ad agendum, prout virtus artificis est causa operationis dolabræ, in quantum applicat actioni & virtute ejus omnis alia virtus agit. Ita Divus Thomas in corpore istius artic. & ad primum, dicendum quod in operatione quâ Deus operatur movendo naturam. &c. Quis verò credat verba ista non significare habitudinem ad naturam & subjectum? quod consequenter negat Pater Suarez.

xxxv. Hinc ulteriùs patet ad id quod habet num. 20. Solum nobis faceffit negotium solutio ad primam, quia in ea videtur distinguere Divus Thomas duplicem virtutem, quam Deus dat secundæ causæ, unam per modum formæ habentis esse in ratum, & firmum, aliam per modum intentionis, & motionis transeuntis, prout intellexit Ferrarius 3. contra gentes capite 70. & secuti sunt alii Thomistæ recentiores, quorum expositio olim visa est verbis consentanea: tamen quia ille locus cum aliis collatus non est tantæ autoritatis, in illo examinando non multum laboravi, & tacite à D. Thoma revocatum dixi, quia revera in nullo alio loco similibus verbis usus est, neque aliquid fluens per modum intentionis in Dei concursu intervenire dixit. Nunc autem motus autoritate Capreoli, & Cajetani, attentius consideravi discursum illius articuli, & planè intellexi, in quarto illo modo agendi, quòd D. Thomas dicit, creaturam agere per virtutem Dei, non agere de virtute instrumentaria à Deo facta in creatura, sed de ipsa virtute increata Dei, ut jam ponderavi, & ex ipso contextu manifestè ostendi. Estque modus ille loquendi satis proprius, ut D. Thomas ipse ex professo declarat 1. parte quæst. 36. art. 3. ad 4.

C A P. XXXVIII.

xxxvi. **D**ices, expressis verbis sententiam nostram profitetur P. Suarez paulò ante num. 14^o. his verbis: Illa enim (scilicet agentia creata) cum positis omnibus requisitis ad agendum necessariò agunt, si habeant totam virtutem per se necessariam ad agendum, & non agant, non potest esse nisi ex defectu alicujus conditionis necessariæ, quam applicationem præviam ad agendum nunc vocamus: ac proinde si virtus est eadem & antea non agebat, & nunc agere incipit,

neceffe est ut aliqua applicatio præcesserit. Sed in hoc est notanda differentia inter potentias vitales, quæ immanenter agunt, & virtutes agentes actione transeunte, nam in prioribus semper applicatio materiæ circa quam, fit per aliquam mutationem in ipso agente, quamvis fit semper necessaria in eadem potentia; etenim si potentia fit appetitiva, requirit præviam applicationem materiæ, quæ fit per cognitionem, & sic applicatio illa fit per mutationem in apprehensiva potentia. Si verò fit apprehensiva, & antea nihil operetur, oportet, ut ab aliquo objecto excitetur, quod non fit sine aliqua mutatione, & impressione speciei; si verò jam operatur, potest per potentiam appetitam ad alium actum applicari, & tunc applicatio fit per mutationem in appetitu factâ. At verò in his quæ agunt actione transeunte, applicatio sæpè fit per motum ipsius agentis; aliquando verò fieri potest per solam passivam mutationem. In toto autem hoc genere applicationum, motio quæ intervenit fit ordinariè, seu intra ordinem naturæ per causas secundas, & per motus Physicos, & nobis notos, ut sunt motus locales in rebus inanimatis, & actus vitales per productiones phantasmatum, aut aliarum specierum intentionalium in viventibus. Et simul etiam tota hæc applicatio fit à prima causa ut concurrente cum secunda movente, & applicante aliam, & tunc respectu applicantis activè Deus agit per concursum simultaneum; respectu verò causæ applicatæ est motio prævia, non tamen per se requisita ex vi essentialis dependentiæ à prima causa, sed ex defectu conditionis requisitæ, quæ supponitur præcedere, quod accidentarium est. Nec etiam illa semper recipitur in causa, quæ applicatur ad agendum, sed tunc solum quando applicatio fit per directam actionem in ipsam, quod non est in omnibus necessarium, ut declaravi.

xxxvii. Respondeo videri quidem convenire multum tamen quoad rei substantiam, discrepare: primò, in eo quòd de applicatione illa dicit: respectu verò causæ applicatæ est motio prævia, non tamen per se requisita ex vi essentialis dependentiæ à prima causa: quod mihi falsum est, quia si tollatur ipsa dependentia operationis causæ secundæ prout causæ secundæ, hæc erit ut ab ipsa causa secunda independentè à Deo, erunt duæ primæ causæ, & c. uti dub. 4^o. sæpe ante citato vidimus. 2^o. in eo etiam quòd ibidem dicit: nec etiam illa semper recipitur in causa, quæ applicatur ad agendum, sed tunc solum quando applicatio fit per directam actionem in ipsam, quod non est in omnibus necessarium. Id enim etiam mihi falsum est; nam sive applicatio proxima fiat per primò præsentem motionem ipsius agentis, sive per actionem, quæ ante incepit & perseverat, applicatio illa fit per directam actionem Dei in ipsam naturam, agentem ut consideranti patebit. 3^o. in eo, quod numero 15. subdit. licet verissimum fit, quoties illa applicatio necessaria est, & fit, illam facere Deum; tamen neque est per se necessaria in omni actione creaturæ, neque fit immediatè à solo Deo secundum communem cursum naturæ; hic autem tractamus de concursu, quem Deus, per seipsum, & immediatè confert in omni operatione causæ secundæ. Et ideo illo peculiari modo ipsamet exhibitio actionis potest dici applicatio agentis ad agendum, non prævia, seu in actu,

„ adu primo, sed quasi formalis, & in actu secun-
 „ do, & hæc per se necessaria est in omni agente,
 „ quoties de novo agere incipit; & de hac intel-
 „ ligo loqui D. Thomam, & in illo articulo, &
 „ quoties dicit Deum per generalem concursum
 „ applicare causam secundam ad agendum. Ad
 „ hoc autem non est necesse ut aliquid præuium
 „ ponat in causa secunda, imò neque illud intelligi
 „ potest, quia cum sit formalis applicatio, quæ per
 „ ipsam fit, inter illam, & principium agendi non
 „ potest altera applicatio intercedere, nam omnis
 „ alia quæ cogitari potest, præcedit, & tenet se ex
 „ parte actus primi; hæc ergo applicatio eo mo-
 „ do à Deo fit, quo ipsa actio causæ secundæ, cum
 „ sint idem: actio autem fit per se, & immediatè à
 „ Deo per seipsum, seu per concursum simulta-
 „ neum in ipsa; ergo eodem modo fit dicta appli-
 „ catio; ergo propter illam non oportet D. Tho-
 „ mam in illo tertio modo ponere influxum præ-
 „ uium in causa.

xxxviii. Respondeo enim ibi etiam mihi va-
 „ ria esse falsa: primò, quòd repetat *illam applicati-
 „ onem à Deo non esse necessariam in omni actione creaturæ*:
 „ 2º. quòd concursus Dei præuius, quem hic pro-
 „ pugnamus, non sit concursus quem Deus per seipsum &
 „ immediatè confert in omni operatione causæ secundæ; 3º.
 „ quòd concursus præuius in causam debeat imme-
 „ diatè fieri à solo Deo secundum communem concursum na-
 „ turæ: Contra enim est quòd ille concursus est tantum
 „ necessarius ad salvandam effectus prout est à
 „ causa secunda dependentiam à Deo, ad quod non
 „ est necesse illum concursum esse à Deo solo; nam
 „ sicut dependentia effectus à Deo rectè saluatur, licet
 „ concursus simultaneus non sit à Deo solo, ita
 „ dependentia effectus prout causæ secundæ à Deo,
 „ rectè saluari potest, licet concursus ille præuius
 „ non sit à Deo solo. 4º. cum docet: *quòd illo peculiari
 „ modo ipsamet exhibitio actionis potest dici applicatio
 „ agentis ad agendum non prævia, seu in actu primo, sed
 „ quasi formalis & in actu secundo & hæc per se necessaria
 „ est in omni agente, quoties de novo agere incipit; & de
 „ hac intelligo loqui D. Thomam, & in illo articulo, &
 „ quoties dicit Deum per generalem concursum applicare
 „ causam 2am ad agendum*. Nam ecce ibi redit iterum
 „ ad suum concursum simultaneum, cui præuium,
 „ quem necessarium esse contendimus, identificat,
 „ cum præiudicio primæ causæ & domini Dei in
 „ effectus quæ causæ secundæ effectus: unde quod
 „ nobiscum loqui videbatur, apertè retractat, vel
 „ saltem manifestè ostendit, se nolle sententiam no-
 „ stram profiteri & concursum præuium agnoscere.

C A P. XXXVIII.

xxxix. **I**bidem n. 16. sibi objicit, quod supra
 „ expresse D. Thomam docere per hanc applica-
 „ tionem moveri virtutem causæ secundæ ad a-
 „ gendum: quomodo autem moveri potest nisi
 „ aliquid in se recipiendo? Vnde D. Thomas sem-
 „ per utitur exemplis, quæ supponunt motum
 „ receptum in re quæ applicatur, ad agendum,
 „ ut est applicatio cultelli ad scindendum, vel
 „ calami ad scribendum. Respondeo Divum Tho-
 „ mam uti verbo movendi ad explicandam depen-
 „ dentiam secundi agentis à primo; & superiori-
 „ tatem ac potestatem primi agentis in secundum:

non oportet autem illud verbum in Phyllico ri-
 „ gore, & proprietate sumere, sed juxta materiæ
 „ exigentiam ac capacitatem. Sicut ergo applicare
 „ causam secundam ad agendum, nihil aliud est,
 „ quàm illam actioni suæ subungere, ita movere
 „ illam ad agendum, per se, ac formaliter loquen-
 „ do, non est nisi illam actu agentem constituere,
 „ quod non aliter fit effectivè à Deo, nisi efficiendo
 „ ipsam actionem ejus, quod facit per influxum in
 „ ipsa actione imbibitum. Et sic etiam dixit Divus,
 „ Thomas in eodem articulo. & in 1. p. quæst. 36. art.
 „ 3. *virtutem causæ primæ conjungere causam secundam
 „ suo effectui*. Non enim conjungit illam, nisi vel
 „ potestate, dando illi virtutem agendi, vel actu,
 „ efficiendo actionem ejus, hoc enim modo appli-
 „ cat ultimatè illam, & movet, seu jurat potius
 „ ad agendum.

xl. Sed Responsio ipsius mihi falsa est, maxime
 „ quæ parte dicit: *sicut ergo applicare causam secundam
 „ ad agendum, nihil aliud est, quàm illam actioni suæ sub-
 „ jungere; ita moveri illam ad agendum, per se ac for-
 „ maliter loquendo non est, nisi illam actu agentem consti-
 „ tuere; quod non aliter fit effectivè à Deo, nisi efficiendo
 „ ipsam actionem ejus, quod facit per influxum in ipsa
 „ actione imbibitum*. Quia inde sequitur 1º. D. Tho-
 „ mam per hoc quòd convincat causas secundas de-
 „ bere applicari ad agendum à Deo, non convince-
 „ re non dari duo prima principia; nam duo prima
 „ principia possent ita applicari & remanere prima
 „ principia, vt consideranti patebit: 2º. nullam esse
 „ dependentiam effectus prout causæ secundæ à
 „ Deo; quia licet sit applicatio causæ secundæ à
 „ Deo ad agendum, non est tamen in causam, sed in
 „ ipsius causæ secundæ actionem dumtaxat, id au-
 „ tem non auzim affirmare: 3º. Patrem dicere in
 „ agendo dependentiam servitutis ad Spiritum san-
 „ ctum, & è contra, quod absit, quia cum unà actio-
 „ ne agant, Spiritus sanctus constituit Patrem agen-
 „ tem efficiendo actionem ejus; quòd est valde ab-
 „ surdum: si verò dicat esse disparitatem in eo, quòd
 „ dependentia servitutis sit inter causas perfectiores
 „ & imperfectiores, non verò inter æquè perfectas,
 „ prout sunt Pater & Spiritus sanctus; hujus ratio-
 „ nem quæro, an v. g. non ideo sit, quia perfectior
 „ agit in imperfectiorem, & non tantum in effectum?
 „ quod omninò dicendum videtur, quia si tollas
 „ primum, remanere quidem poterit, quòd perfe-
 „ ctior fortius agat, quàm imperfectior, sed non
 „ remanebit, quòd quæ actionis istius principium
 „ dicat dependentiam servitutis à perfectiore, nisi
 „ quia hæc illi fortius coagit, quod non causat de-
 „ pendentiam servitutis actionis causæ imperfectio-
 „ ris à perfectiore; nam si una agat fortius, quàm a-
 „ lia, agunt per actiones diversas, sic ut unius a-
 „ ctio non sit ab alia (in cujus opposito solum esse
 „ potest dependentia servitutis,) nam eadem intrin-
 „ secè indivisibilis actio debet esse tota ab una, sicut
 „ ab alia, ac proinde secundum nihil sui ab una, se-
 „ cundum quod non ab alia; quomodo igitur forti-
 „ tius ab una, quàm ab alia? ablato autem eo, quòd
 „ una fortius agat, quàm alia, & quòd una agat in a-
 „ liam, solum remanet, quòd dependentia servitutis
 „ sit in effectione ejusdem actionis, aut coactione,
 „ quæ, cum sit inter Spiritum sanctum & Patrem,
 „ consequenter inter utrumque erit dependentia
 „ servitutis, quam nullus agnoverit.

xli. Respondet 5º. quibusdam præmissis ad A-
 „ risto

Aristotelem numer. 20. sequentibus verbis: Sed in primis in his locis nihil inuenio ab Aristotele dictum de modo concursus primæ causæ cum secunda: nam in prioribus locis non tractat de omnibus causis efficientibus, sed de moventibus motu Physico. Vltimus autem locus non est Aristotelis, sed vel Procli, ut quidam volunt, vel alicujus incerti authoris Arabis, & Divus Thomas in principio Comment. ejusdem libri sentit. Deinde neque priores propositiones in vero sensu applicatæ cum proportione ad quamcumque causam efficientem, neque posteriores aliquid obstant assertioni positæ, sed illam potius confirmant, ut statim declarabo. Prius tamen aduerto non satis constare ex doctrina Aristotelis quid ipse senserit de immediato concursu primæ causæ ad omnes actiones causarum secundarum. Nam in libro de Mundo ad Alexandrum versus finem, id planè negare videtur ab illis verbis. *Reliquum est ut summam disseramus de causa quæ omnia continet, & de qua inquit: Vetus fama est, & quidam hereditaria mortalium omnium universa à Deo, & per Deum nobis esse constituta; nec verò ulla natura per se sufficit orbata salute, quam ipse ferat. Nihilominus statim latissimè docet Deum non immediatè ac per se ipsum omnia facere, neque omnibus præsentem esse, sed in sublimi loco existentem inde virtutem suam diffundere, primò quidem, ac præcipuè in cælestia corpora, & interea efficacius in ea, quæ sibi propinquiora sunt, ac proindè hæc terrestria divinam utilitatem (ut ait) infirmius participare. Vnde sic concludit: Itaque rectius est judicare, quod etiam conveniens & Deo maxime decorum intelligitur in celo virtutem esse constitutam & plurimum remotis, ut uno verbo rem absolvam, & omnibus in universum salutem asserre, quam penetrare, & eo frequenter accedere, ubi neque honestè, neque liberalitèr ipse per se conficeret, quæ apud nos essent. Quod postea exemplo Imperatoris humani latè declarat & suadet, ac iterum concludit. Gravius, & decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, & virtutem ejus per universum mundum diffundi Solem, & Lunam versare, & cælum totum convertere, auctoritatemque esse salutis eorum quæ in terra continentur. Et postea declarat illo simplici motu Deum hæc omnia inferiora operari, & hoc putat ad efficaciam virtutis ejus pertinere. Et infra iterum sic ait, *Natura divina de simplici quodam rei primæ motu proximis largitur, atque de his iterum ad remotiora quoad per universum transeat. Aliud enim ab alio motum, & hoc rursus aliud videtur agitare cum mundo.**

XLII. Ex quibus evidenter apparet Aristotelem non credidisse, Deum per seipsum, & immediatè operari omnia causarum secundarum opera immediatione, ut ajunt, suppositi, sed ad summum immediatione virtutis. Imò nec de hac immediata virtute sensisse videtur esse aliam ab influenza cælorum, quæ ab ipso Deo movente cælum originem ducit; & ideo virtus etiam dicitur, quia per virtutem ejus efficitur. In hoc autem Aristoteles graviter erravit, & de Deo, & de efficientia ejus humiliter ac indignè sentit: ideo tam de illo, quam de aliis Philosophis ita dicentibus, meritò dixit Albertus in 1. d. 45. artic. 3. Quidam Philoso-

phi excluderunt voluntatem Dei ab operibus naturæ, dicentes eum tantum posse movere primum mobile, alia verò moveri diversimodè secundum distantiam ab ipso, & illi, qui vanitatem secuti sunt, in vanitate obierunt, & obscuratum est cor insipiens eorum. Sicut Tullius, qui negat præscientiam, ut stabiliat casum, & fortunam. Et Commentator super Physicam, & Metaphysicam, qui negat Deum immediatè operari in quolibet, ut stabiliat unicuique propriam actionem secundum propriam naturam quam habet, & in 1. d. 3. art. 1. Aristotelis conjecturas dissolvit.

XLIII. Cum ergo Aristoteles & ejus Commentator in errore versatus fuerit, nullum argumentum efficax ex ejus doctrina sumi potest: nam si omnino negavit influxum causæ primæ in effectus causarum secundarum, tam immediatione virtutis, quam suppositi, ut Albertus indicat, profectò neque concursum prævium, neque simultaneum admittit: si autem posuit causam primam influere in effectus causarum secundarum, saltè immediatione virtutis, licet non suppositi, ut Fonseca sentit, & verba Aristotelis indicant, tunc mirum non est, quòd posuerit prævium influxum in causam, sicut nos capite sequenti dicemus de influxu cælorum, seu causarum creaturarum universalium, quia præter illum non posuit còcursum simultaneum: unde si virtus increata Dei non operetur per seipsam immediatam actionem causæ secundæ, nec causa secundæ sola sua virtute illam efficit necesse est, ut aliqua virtus creata addatur causæ secundæ, quæ habeat vicem Dei, & cum causâ secundâ operetur.

XLIV. Sed contra est, quòd Aristoteles commodè intelligi possit loqui de quocumque motu, & non solum de motu locali, nec sine contorsione videatur aliter intelligi posse, præsertim cum, ut ipse fatetur, in libro de Mundo ad Alexandrum versus finem dicat: *vetus fama est, & quidem hereditaria mortalium omnium universa à Deo, & per Deum nobis esse constituta; nec verò ulla natura per se sufficit orbata salute, quam ipse ferat.* Vbi dependentiam creaturarum à Deo in agendo universaliter agnoscit. Loca autem, quæ numero secundo ex Aristotele adfert, ut ostendat Aristotelem errasse in agnoscendo concursu Dei simultaneo immediato ad actiones causarum secundarum, id nullà ratione convincunt; sed solum Aristotelem de Dei immensitate nihil cogitasse, & ipsum in Cælo sive supremo loco constitutum fuisse, ex quo actione ductâ per medium, prout Sol & Luna in hæc sublunaria agunt, totum universum virtute suâ regeret, ac ad agendum moveret; & certè rationabiliter non videtur dici posse, Aristotelem ingenii monstrum, in re tam evidenti, sine ulla in contrarium ratione, sibi contradixisse quidquid fortè in ista opinione fuerit Albertus loco citato: unde corrui tota P. Suarez solutio.

C A P. X L.

P narez solvit rationes, quæ pro nostra
sententia contra Resolutionem ipsius
precedentem adferri possunt.

XLV. Scilicet n. 1^o. procedit. Prima ratio ni-
tebatur in illo principio, quod causa se-
cunda nihil agere potest nisi in virtute primæ,
quod verissimum est: ejus autem legitimus sen-
sus est, quem capite præcedenti insinuavi, scili-
cet, causam secundam non habere virtutem per
se, & (ut ita dicam.) solitariè agendi, sed in om-
ni actione sua debere niti in virtute primæ cau-
sæ, sine cujus influxu cooperativo nihil agere
potest, & ita dicitur in lib. de causis in principio,
quod causalitas causæ secundæ formatur per
causalitatem causæ primæ, quia scilicet in omni-
bus Deus immediatè, & intimè, ac principa-
litè operatur, ut ferè exposuit D. Thomas in 2.
d. 1. quæst. 1. ad 4. Ad hoc autem necessarium
non est, ut præter virtutem agendi permanentè,
& in suo genere efficientem, quam etiam habet
à prima causa, recipiat in se aliam virtutem fluen-
tem, quia non in virtute illius agit, sed in virtute
increatæ potentie in ipso Deo existentis. Cujus
signum est, quia etiam si virtus permanentis causæ
secundæ intelligatur affecta alia virtute fluente,
utraq; nihil agere potest nisi in virtute causæ
primæ, non solum quia utramque debet, & con-
servat, sed etiam quia utraq; pendet essentia-
liter à proprio influxu immediatè procedente à
virtute increata primæ causæ. Vnde dato ante-
cedenti in dicto sensu, negatur consequentia, quia
supposita sufficienti virtutis causæ secundæ, est
superflua alia virtus creata fluens, neque in illa
fundatur illud principium, quia licet causa prima
& secunda simul concurrant, & secunda non in-
digeat alio prævio concursu, nihilominus non
concurrunt ut duæ causæ ejusdem generis, nec
que se juvantes quasi per accidens ex utriusque
insufficientia, sed ut causæ diversorum ordinum,
quarum inferior est per se sola insufficientis, & es-
sentialiter dependens à superiori, & ideo agit
in virtute illius, non verò è contratio, quia su-
perior per se potens est, & sufficiens, ut supra di-
ctum est. Vnde omnia quæ ibi afferuntur ad pro-
bationem antecedentis supervacua sunt, & co-
incidunt cum secunda ratione, ubi expedi-
tur.

XLVI. Sed contra probare non possum, quod
causam 2^{am} agere in virtute primæ aliud non sit,
quam causam 2^{am} non habere virtutem per se &
solitariè agendi: nam parvus equus (ut suppono)
non habet virtutem per se & solitariè trahendi na-
vim; tamen non trahit in virtute fortioris & ma-
joris equi, licet hic cooperetur, sed in propria, unde
dicere, quod causa secunda agat in virtute Dei,
eo tantum modo, quò parvus equus trahit navim
in virtute majoris ac fortioris equi, puto blasphemum,
ob rationes supra allatas, nempe, quia sic
possent esse duo prima principia effectusq; prout
causæ secundæ esse à Deo independens, sicut ibi
sunt duo equi primò trahentes, & navis terminata
quæ effectus parvi equi est independens à majori &
fortiori equo. Num. autem 10. sic pergit. Et hinc
fit necessarium non esse (quod in prima conse-

quentia illius rationis inferitur,) concursum cau-
sæ primæ utique proprium, & ad extra esse prio-
rem ordine causalitatis concursu causæ secundæ,
quia ubi non est causalitas, non potest esse prio-
ritas, quæ in illa fundatur, sed ostensum est unum
concursum non esse causam alterius, quia sunt i-
dem; ergo nec prioritas esse potest. Et hoc ipsum
fatentur dicti Thomistæ de concursu simulta-
neo, nunquam tamen probant esse necessarium,
aliud concursum externum causæ primæ, qui sit
vera causa efficiens, actionis causæ secundæ, &
consequenter prior naturâ concursu causæ secun-
dæ. Et possumus argumentum retorquere, quia
aliàs etiam esset concedendum unum concur-
sum causæ primæ esse priorem naturâ alio con-
cursu ejusdem primæ, quod non videtur admit-
tendum loquendo de proprio concursu ad extra,
quia revera superfluum est. Atque hæc omnia
coguntur dicti auctores concedere de concursu
simultaneo Dei ad extra comparato cum influxu
causæ secundæ. Satis est igitur quod concursus
ad intra, seu voluntas concurrendi sit prior cau-
salitate, & naturâ, quam concursus causæ secun-
dæ. Comparando autem inter se causas primam
& secundam, causa prima dicitur prius influere
non prioritate naturæ in ordine causalitatis fun-
data, sed prioritate perfectionis, & independen-
tiæ, aut etiam illam quæ dicitur in subsistendi
consequentia, quia Deus, quantum est ex se, po-
test agere sine causa secunda, non verò è conver-
so. Et eodem modo si concursus ipsos secundum
rationem distinctos inter se conferamus, potest
concursum Dei eisdem modis dici prior, licet non
causalitate, vel ordine naturæ, vel inter, vel in at-
tingendo terminum, ut explicuit etiam Cajetan.
1. p. 14. art. 13. & q. 19. art. 8.

XLVII. Sed contra imprimis est, quod sicut vo-
luntas commovendi lapidem, quæ prius fuit in Pe-
tro, quam in Paulo commotore ejusdem lapidis,
non facit Petrum prius causalitate & naturâ mo-
ventem lapidem, ita nec dicta voluntas in Deo
prior, facit Deum prius causalitate & naturâ a-
gentem, quam causæ secundæ agentem, quod ad sal-
vandam unicam primam causam & dependentiam
servitutis causarum secundarum à Deo omnino re-
quiri contendimus.

XLVIII. Dices num. 11. istam rationem his
verbis reuicere: Nec hinc sequitur (quod in eadem
ratione referebatur) causam secundam esse pri-
mam in agendo, seu primum principium suæ a-
ctionis, quia non dicitur Deus causa prima, vel
primum principium; ex eo, quod prius naturâ
efficiat suum effectum, quam causa secunda, quan-
do cum illa operatur, nec prius sola efficiat ali-
quem concursum priorem actione causæ secun-
dæ, sed dicitur prima, quia non pendet ab alia in-
agendo, quod nulla alia causa habet, nam omnis
alia requirit auxilium superioris causæ quæ à nul-
lo pendeat. Neque oportet, ut hoc auxilium sit
prævium, & receptum in causa, sed sufficit si
multaneum, & inclusum in actione causæ se-
cundæ. Vnde nulla est illatio, quæ in argu-
mento fit quod si causa secunda non indiget
prævio influxu prioris causæ, etiam non indi-
geat auxilio causæ prioris, quia est illatio ab
inferiori ad superius negativè, ac si quis infer-
ret, si homo non indiget carne ad vivendum,
non indigere cibo. Concursus enim cõcomitans
verum

verum auxilium est, & causa quæ sine illo agere non potest, eo ipso non potest agere sine auxilio, & influentia prioris causæ. Hoc ergo satis est ut non sit primum principium in agendo.

XLIX. Et hoc ipsum revera tradit D. Thom. in 2. d. 37. q. 2. art. 2. cujus ratio, & intentio ibi non fideliter allegatur. Tractat enim ibi D. Thom. actus peccati, ut actus est, sit effectivè à Deo, refertq; opinionem negantem Deum concurrere ad illum actum, eamq; refutat deducendo ad illud inconveniens, quod voluntas in eo actu ageret ut prima causa, & primum principium: illationem autem facit his verbis: *Ex ea videtur sequi, quod sint plura prima principia. Hoc enim est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Unde si voluntas humana actionem aliquam possit producere, cujus actor non esset Deus, voluntas humana rationem primi principii haberet.* In quibus verbis adverteo mutata esse à P. Alvarez dicta disp. 19. num. 14. nam ubi D. Thom. ait: *Si voluntas humana actionem aliquam possit producere, cujus actor non esset Deus, ipse dicit, Si voluntas humana aliquam actionem produceret absque motione prioris agentis.* quæ verba ad minimum æquivoca sunt, & ab ipso in alio sensu referuntur, qui verbis D. Thom. non continetur. Nam juxta verba D. Thom. ratio ejus non procedit contra eos, qui fatentur actum peccati non posse fieri sine concursu simultaneo Dei, etiam si negent fieri sine prævia motione, nam actio quæ fieri non potest sine concursu simultaneo Dei, talis certè est, ut ejus actor sit Deus; ergo si voluntas ad illam requirit concursum simultaneum Dei, non potest agere actionem, cujus actor non sit Deus; ergo stante necessitate concursus simultanei, discursus D. Thomæ immeritò, & sine ulla probabilitate applicatur contra negantes motionem illam præviam, quod maxime necessarium judico in concursu ad actum peccati, ut infra dicam. Hic tamen adverteo non omitam, licet D. Thom. soleat concursum simultaneum nomine motionis appellare, ut supra declaravi, nihilominus quia ibi tractabat de concursu ad actum peccati, ne ipsas aures offenderet, noluisse Deum appellare motorem ad illum actum, sed illius actorem, & ibi tacite alia loca explicuisse, ut concursus intelligatur tantum esse motio cooperativa, ratione cujus dicitur Deus agere actionem causæ secundæ.

I. Sed contra, fateor Deum dici causam primam, quia non pendet ab alio in agendo; sed contendo id causas creatas omnino habere, si tollatur primus concursus Dei in ipsas; quia earum effectus prout causæ secundæ effectus, erunt à causis secundis ab alia non pendentes, ut jam toties monstratum est, quidquid ipsæ in esse effectus, earum item actiones & effectus, præcindendo ab eo quod sint talis causæ effectus, à Deo pendant.

LI. Instabis ex eodem n. 14. Deniq; idem concursus simultaneus sufficit, ut voluntas, seu causa secundæ non habeat agere à se, quod in tertia replica D. Thomæ assumit, quia illa particula à se, excludit omnem influxum superioris causæ. Et in hoc sensu procedit ratio D. Thomæ, quia res, quæ non habet esse à se, non potest à se durare; ergo neq; potest à se agere. Dicitur enim res non durare à se, quia indiget actuali influxu Dei, ut agat. Est tamen differentia, quia res durat per influxum so-

lius Dei, quia ipsa non potest concurrere activè ad suam conservationem; agit autem non per influxum solius Dei, quia necesse est ut ipsa etiam concurrat, hoc enim essentialiter includitur in conceptu actionis, seu agendi, & hoc modo accipit causa secunda à prima ipsum actualiter agere, quia in illud ipsum immediatè influit Deus, non quia in ipsam potentiam agentem quippiam aliud ante actionem influat, quia etiam si illud influeret, per talem influxum non immediatè daret hoc, quod est agere, sed dare quoddam principium agendi, vel complementum ejus, quod satis non est ad vim rationis, & intentionem ejus, quæ est ostendere necessitatem immediatè influxus divini in ipsam actionem. Nam ut dicatur Deus mediatè dare ipsum agere præter totam virtutem proximam agendi, vel etiam ut dicatur creatura non agere à se, non habens à se eandem virtutem agendi, propter hæc, inquam, non est necessarius concursus prævius, quia ratione permanentis, & innatæ virtutis, & concursus simultanei, hæc omnia verè dicuntur de causis naturalibus; non ergo procedit ratio in illo sensu, & ita ad vim illius prævius concursus, non solum non est necessarius, sed etiam illi posset obstare, nam inde posset inferri concursum simultaneum, non esse necessarium, vel saltem illa ratione non probari.

LII. Respondeo, distinguendo idem concursus simultaneus sufficit ut voluntas seu causa secunda non habeat agere à se secundum ipsum agere, sive secundum actionem secundum se consideratam, concedo; secundum agere prout causæ secundæ agere, nego; id autem necessariò præsupponit concursum Dei prævium, ut toties probavimus.

Urgebis n. 19. probat sine cōcursu Dei prævio non dari ordinem per se inter causam primam & secundam verbis sequentibus. Ad secundam probationem negatur sequela, nimirum, non dari ordinem per se inter causam primam, & secundam; nam hic ordo per se non consistit in indigentia motionis præviæ, sed in hoc quod omnis causa secunda per se, & ex natura sua postulat auxilium causæ primæ influentis secum ad dandum esse suo effectui, quia sicut ipsa habet esse per se, qui optimè fundatur in natura causæ habentis esse participatum ab alia quæ est suum esse per essentiam, alius verò ordo prioris, & posterioris concursus nullum habet in rebus fundamentum. Vnde exemplum de duobus trahentibus lapidem hic non bene accommodatur: nam licet in simultate cōcurrendi sit simile, non ordine, neque in dependentia, nam unustrahens lapidem per se non pendet ab alio, licet fortasse ob imperfectionem virtutis in suo genere indigeat juvamine alterius ejusdem ordinis: omnis autem causa secunda quantumvis in suo ordine perfecta, & sufficiens sit, essentialiter subordinatur primæ, à qua pendet, ut declaratum est.

LIII. Sed contra mihi omninò falsum est ordinem inter causam primam & secundam in eo præcisè consistere, quod omnis causa secunda, per se, & ex natura sua, postulet auxilium causæ primæ influentis secum ad dandum esse suo effectui. Nam supponas duos parvos equos simul trahentes navim, quorum unus cum altero possit, sine altero non possit, unus postulabit auxilium alterius, & tamen non erit ordo causæ primæ & secundæ inter illos, ut sapius ante probatum

tum est : deinde sequitur fore inter personas Sanctissimæ Trinitatis ordinem causæ primæ & secundæ, quia una per se & natura sua postulat auxilium, sive cooperationem, alterius: denique sicut toto cælo distinguuntur auxilium in effectum secundum se & auxilium in effectum prout talis causæ, nam Pater auxiliatur (saltem latè loquendo) in effectum Filii secundum se, non verò auxiliatur Filio in effectum prout Filii effectum, alioqui Filius non esset causa prima, ut consideranti patebit, quod est blasphemum: ita similiter longè aliud est causam secundam postulare auxilium causæ primæ in effectum secundum se & illud à prima accipere, aliud inter causam primam & secundam esse ordinem causæ primæ & secundæ; illud enim habetur auxiliando in effectum secundum se

juxta postulationem causæ secundæ; hoc verò non nili auxiliando in effectum prout causæ secundæ, quæ, ut jam dictum est, valde differunt. Ex his autem sufficienter patet ad omnia fundamenta P. Suarez, uti & à fortiori necessariam etiam esse præmotionem in causis liberis de quibus sequentibus capitibus agit; non ut confortantem, & vires tribuentem, quas causæ secundæ non habeant, quia alioqui tota natura esset valde manca & per se ad agendum incompleta, sed ex vi & necessitate concursus ut unicæ causæ primæ, & dependentia servitutis causarum secundarum à Deo, quem nostrorum in Aristotelis Philosophiam Commentariorum Alpha & Omega, principium & finem, bona fide profiteamur.

Finis Metaphysicæ.



I N D E X

RERVM MEMORABILIVM

Quæ in hiscè Commentariis continentur.

Littera L. Logicam. P. Octo Libros Physicorum. C. Libros de Cælo. G. Libros de Generatione & Corruptione. A. Libros de Anima. M. Metaphysicam significat. Primus verò numerus Paginam, secundus marginalem numerum denotat.

A.

Abstractum, Abstractio.

AErminus abstractus quid & quotuplex. L. 3. xxviii. & seq.
Abstractum Metaphysicum est duplex, non ultimæ abstractionis & ultimæ abstractionis. L. 19. cccxvii.
Abstracta non multiplicentur, nisi per propriam substantiam multiplicentur. L. 20. cccxxv.

Cognitio Abstractiva. Vide Præcisio.

Accidens.

Accidens dupliciter accipitur 1^o latè, 2^o strictè. L. 115. dclxxiii.
Accidens variè à Porphyrio definitur. L. 115. dclxxiv. & seq.
Quid Accidens ut est quintum prædicabile. L. 116. dclxxxi. & seq.
Materiale significatum Accidentis quinti prædicabile est omne prædicatum dicens contingentem ordinem ad subjectum. L. 116. dclxxxv. & seq.
Accidens ut est definitum quod & accidentale in definitione accidentis quinti prædicabilis non potest esse quintum prædicabile in concreto. L. 116. dclxxxviii.
Accidens ut est definitum quod & accidentale in definitione accidentis quinti prædicabilis est quintum prædicabile in abstracto. L. 116. dclxxxxi. & seq.
Ut Accidens sit quintum prædicabile, non debet esse actu in multis subjectis de facto existentibus. L. 117. dclxxxix. & seq.
Accidentia, quæ sic materiam sequuntur, ut desinente formâ remaneant in sola materia mediâtè, si ex eis unum sit potentia receptiva ei propria; vel mediante hâc potentia, si accidentia commu-

nia & non propria, recipiuntur & non in toto composito. P. 76. clxviii. & seq.
Substantiæ sublunares non producuntur à solis accidentibus immediatè ut principiis quo.

P. 103. xi.
Rejiciuntur communes probationes & solidiores adferuntur. P. 103. xiii. & seq.
Substantiæ sublunares producuntur à substantiis & accidentibus, utrisque ut principiis quo concurrentibus. P. 107. l. & seq.
Causa totalis substantiarum, sive viventium etiam hominum, sive non viventium sunt substantiæ & accidentia. P. 109. lxxix.
Accidentia, quædam primo instanti, quædam non nisi aliis instantibus debita. P. 109. lxx.
Causa sive principium quo immediatum accidentium connaturalium sunt forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens & hujus proportionata instrumenta.

P. 110. lxxi. & seq.
Causa sive principium immediatum quo accidentium extraneorum de facto est forma substantialis compositi instrumenta ejus & quælibet forma proportionata sufficienter applicata.

P. 110. lxxviii. & seq.
Quænam accidentia sint activa transeunter. P. 111. lxxxvi.

Accretio.

Accretio dupliciter sumitur, propriè & impropiè. G. 30. i.
Quid Accretio propriè dicta. G. 30. ii.
Quomodo fiat accretio propriè dicta sive viventis. G. 30. vii.
In vivente purè materiali terminus formalis à quo accretionis est variorum privationes. G. 31. xiv. & seq.
In composito partim spirituali partim materiali terminus à quo accretionis est etiam variorum privationes. G. 31. xvi.

M m An

An accretio & per consequens nutritio fiat continuè successivè. G. 32. xxii.
 Accretio fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam. G. 36. xlvi. & seq.
 Accretio quoad plures partes determinatas divisibiles divisibiliter sumptas, non fit continuè successivè, sed interruptè & cum morulis. G. 37. liv.

Actio, Passio.

Quid Actio & Passio. L. 162. cclxxxiv.
 Passio dupliciter accipitur 1^o improprie pro fitione, 2^o proprie pro receptione formæ in subiecto. P. 98. xxvii.
 Actio & Passio primo modo sive pro fitione non distinguuntur realiter. P. 98. xxviii. & seq.
 Actio & Passio secundo modo sive pro receptione formæ in subiecto sustentationis sumpta non distinguuntur realiter. P. 99. xxxii. & seq.
 Actio & Passio utroque modo sumpta differunt conceptu formali. P. 99. xxxvii. & seq.
 Actio eductiva modus non est in agente aut effectu sustentativè, sed in passio sive subiecto ipsius effectus. P. 99. xxxix. & seq.
 Unde actiones specificentur. P. 100. xlv.
 Specificare non rectè sumitur prout idem est ac rei speciem facere. P. 100. xlv.
 Specificatio malè dividitur in intrinsecam & extrinsecam. P. 100. xlvii. Vide *Specificatio*.
 Quid actio adductiva sive adductio, & quid reproductiva sive reproductio. P. 171. lxxv. Vide *Eductio*.
 Simile in eadem specie qualitatis & intensiois gradu, non potest actione assimilativè in passum simile operari, etsi passum hoc excedat densitate vel magnitudine. G. 50. iv. & seq.

Actus vitalis.

Actus vitales multi assignantur, v.g. motus progressivus, nutritio, vegetatio, &c. A. 72. xxvii.
 Conceptus communis univocus actibus vitalibus non potest esse, *Actus principii se moventis ab intrinseco*. A. 72. xxix.
 Neque etiam, *Actio immanens directa*, id est, non ex resultantia naturali. A. 72. xxx. & seq.
 Neque in eo consistit, quod res aliqua, ita perfectionem habeat ab intrinseco, ut ab extrinseco, saltem naturaliter eam habere non possit. A. 72. xxxiv. & seq.
 Datur conceptus communis univocus omnibus actibus vitalibus tam Dei, quam creaturarum, videlicet, *Actus alibili conveniens, & in eo consequens introsumptionem alimenti, aut in spiritibus nobiliorem operandi modum*. A. 73. xxxvi. & seq.

Æquivoca. Vide Terminus.

Aër. Vide Elementa.

Æternitas, Æternum.

Creaturæ, sive permanentes, sive successivæ potuerunt esse ab æterno. P. 183. i. & seq.
 Generationes animalium non potuerunt esse ab æterno eo modo, quo jam ordinariè

fiunt. P. 185. xxv.
 Generationes animalium potuerunt esse ab æterno, sic, ut ab æterno non fecisset Deus aliquod individuum animalis, de quo verum esset dicere, est omnino primum, Deus non fecit prius illo, &c. P. 185. xxv.
 Si supponatur unus homo creatus ab æterno, ab ipso potuerunt per Deum esse generationes infinitæ ab æterno. *Ibidem*.
 Solvuntur duæ difficiles objectiones ab aliis hucusque non solutæ. P. 186. xxviii. & seq.

Agens.

Agens totale non potest immediatè agere in distans, id est, non agendo per medium. G. 51. xv. & seq.
 Agens parziale agere potest immediatè in distans. G. 52. xxxix. & seq.
 Potest agens, tam parziale, quam totale in genere causæ principalis agere in distans actione & virtute diffusâ per medium, non ita quidem, ut sola virtus diffusa agat, sed ita, ut ipsum agens agat per se & per suam virtutem intrinsecam, simul cum virtute diffusa per medium. G. 53. xli. & seq.
 Agens totale non potest actione, sive simili, sive dissimili producere aliquid in distans, licet aliquid producat in medio, si medium non coagat. G. 53. xlvii. & seq.
 Valde probabile videtur agens totale posse supernaturaliter agere in distans, non agendo per medium. G. 53. li.

Alimentum.

Alimentum debet esse partim simile, partim dissimile. G. 29. xix. & seq.
 An vivens nutriri possit odore & potu. G. 30. xxi. & seq.
 An elementum aliis mixtum nutriat. G. 30. xxvi. & seq.

Alteratio.

Unde alteratio dicatur. G. 32. i.
 Quotupliciter sumatur alteratio. G. 32. ii.
 Si generatio esset impossibilis, alteratio esset naturaliter impossibilis ex parte causæ alterantis, non verò ex conceptu formali alterationis. G. 32. iv. & seq.
 Alteratio à Philosophis duplex assignatur, una intensiva, alia extensiva. G. 33. x.
 Alteratio, tam quoad extensionem, quam quoad intensioem, non fit instantaneè quoad partem divisibilem divisibiliter sumptam. G. 33. xiii.
 Alteratio, tam quoad extensionem, quam quoad intensioem, non fit continuè successivè, sed interruptè & cum morulis, quoad partes plures determinatas divisibiles divisibiliter sumptas. G. 33. xvii. & seq.

Ampliatio.

Quid Ampliatio. L. 9. clxvi.
 Hæ propositiones *album fuit nigrum: senex fuit puer: fructus erit flos*: in rigore sunt falsæ; per Ampliationem, veræ. L. 9. clxviii. & seq. *Communi*

Communis regula status.

L. 10. CLXXI.

Analoga, Analogia.

Quid & quotuplicia Analoga.

L. 126. XXVII.

Ab Analogis attributionis & proportionalitatis, &c. non potest abstrahi ratio communis primò intentionalis, & intrinseca juxta sensum ad-versariorum, vel secundum nos, secundum modum significandi tantum.

L. 127. XXXIX. & seq.

Angelus.

D. Thomas negare videtur posse dari divinitus Angelos solo numero intra eandem speciem distinctos.

M. 114. XI.

Possunt divinitus dari Angeli solo numero intra eandem speciem distincti.

M. 114. XII. & seq.

In periculo vacui corpora non moventur ab Angelis.

P. 175. XI. & seq.

Ab Angelis vacuum naturaliter induci non potest.

P. 176. XIX.

Anima.

Non repugnat dari hanc animam mediani inter rationalem & irracionalem.

L. 83. CCLXXXV. & seq.

Quid de anima senserint antiquiores Philosophi.

A. 60. I. & seq.

Adfertur nostra animæ definitio.

A. 61. IV. & seq.

Bona est etiam Aristotelis definitio; anima est, id quo primum vivimus, sentimus, locomovemur & intelligimus.

A. 62. XV.

Anima rectè dividitur in locomotivam & vegetativam, in vegetativam non sensitivam, in sensitivam non rationalem, & in rationalem.

A. 62. XVI.

De fide est in singulis hominibus esse singularem animam, ex quibus aliquæ damnandæ sunt, aliquæ beandæ.

A. 62. XVII.

Sistendo in autoritate in homine non dantur plures animæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis, realiter distinctæ.

A. 63. XX.

Sistendo in sola ratione purè naturali non videtur probari posse efficaciter, in homine unicam esse animam, & non tres realiter distinctas.

A. 63. XXI. & seq.

Etiam sistendo in ratione purè naturali efficaciter probari potest de facto in homine dari unicam animam, quæ simul sit vegetativa, sensitiva, & rationalis.

A. 64. XLIV.

Sistendo in autoritate de unitate animæ rationalis in homine, sensitivæ & vegetivæ formaliter aut virtualiter, in formatione fetus hominis non succedunt plures animæ.

A. 64. XLV.

Anima est forma informans corpus organicum, & non assistens tantum instar nautæ navi, aut Angeli cælis, quos moveat.

A. 66. I.

Præter animam in viventibus sensitivis non dantur formæ substantiales partiales.

A. 66. III. & seq.

Omnes partes corporis, sive similes, sive dissimiles, quæ aliquam operationem vitalem exercent, aut quæ cum illis sunt continuæ, animantur animâ totius, & ita quidem, ut, si indivisibi-

lis, tota totum, & tota quamlibet partem animet; si verò divisibilis, tota totum, & pars partem.

A. 67. XV. & seq.

Potentiarum animæ aliæ sunt materiales, aliæ spirituales.

A. 69. II.

Intellectus & voluntas, ac omnes aliæ potentie cujlibet animæ, pro ea parte, quâ non constantur ex materia corporis, non distinguuntur realiter ab anima.

A. 70. IV. & seq.

Quid sit anima vegetativa.

A. 73. I.

Plantæ & herbæ verè ac propriè vivunt animâ vegetativâ.

A. 73. II. & seq.

Plantæ & herbæ non plantanimales non vivunt animâ sensitivâ.

A. 73. IV. & seq.

Semina plantarum non vivunt animâ vegetativâ.

A. 74. IX. & seq.

De fide est animam hominis non esse formaliter divisibilem, aut ex pluribus partibus integraliter compositam.

A. 74. XV.

Anima vegetativa tantum, & vegetativa & sensitiva simul imperfectorum brutorum, est formaliter divisibilis.

A. 74. XVI. & seq.

Anima sensitiva & vegetativa simul perfectorum brutorum est etiam formaliter divisibilis.

A. 75. XXI. & seq.

Animæ vegetivæ tantum, & vegetivæ ac sensitivæ simul sunt virtualiter tantum heterogeneæ.

A. 76. XXXVII. & seq.

Dari animam sensitivam experientia docet.

A. 78. II.

Anima sensitiva est principium sensationum, tam externarum, quam internarum.

A. 78. VII.

In nullis brutis est anima sensitiva liberè rationalis, sive potius nulla bruta liberè ratiocinantur.

A. 78. VIII.

In nullis brutis est anima sensitiva rationalis simpliciter, sive potius, nulla bruta sunt simpliciter rationalia.

A. 78. IX. & seq.

In variis brutis est anima sensitiva necessariò & secundum quid rationalis, sive potius multa bruta necessariò, ex instinctu naturæ, & secundum quid ratiocinantur.

A. 78. XII. & seq.

Potentia animæ sensitivæ generaliter numerantur tres, cognoscitiva, appetitiva, & locomotiva; ad locomotivam refertur fatus seu potentia fandi.

A. 80. XXVIII.

Potentia sensitiva, sive sensus, numeratur communiter duplex, internus & externus.

A. 80. XXIX.

De fide est animam rationalem esse spirituales, vel saltem fidei proximum.

A. 98. XII. & seq.

Sistendo in sola ratione naturali non videtur demonstrari posse animam rationalem esse spirituales.

A. 98. XV. & seq.

Etiam sistendo in nudis luminis naturæ principis efficaciter probari potest de facto animam hominis esse spirituales.

A. 99. XXV. & seq.

De fide est animam rationalem esse immortalem.

A. 99. XXX. & seq.

Præcisè sistendo in solâ ratione naturali demonstrari efficaciter posse non videtur animam rationalem esse immortalem.

A. 100. XXXII. & seq.

Etiam sistendo in nudis luminis naturæ principis, efficaciter probari potest de facto animam hominis esse immortalem.

A. 101. XLIV. & seq.

Animæ hominum (& sic de aliis individuis, quæ sunt ejusdem speciei) sunt æqualis perfectionis entitivæ seu substantialis, nec possunt esse inæ-

M m 2 qualis

qualis perfectionis positivæ, ita ut aliquæ habeant prædicatum aliquod medium inter specificum & individuale, in quo inter se conveniant & ab aliis disconveniant. A. 102. LXII. & seq.

Antiperistasis.

Quid Antiperistasis. G. 56. LXXXV.
 Quomodo fiat Antiperistasis. G. 56. LXXXVIII. & seq.
 Datur Antiperistasis. G. 57. LXXXVII. & seq.

Appellatio.

Appellatio ferè confunditur cum prædicatione. L. 10. CLXXIV.
 Inter Argumentandum non licet mutare appellationem. Ibidem.

Appetitus.

Appetitus à Philosophis dupliciter distinguitur, unus Physicus sive innatus & improprius, alter vitalis & elicitus sive proprius. P. 20. CXXXVII.
 Appetitus innatus consequenter dividi potest in desiderii, gaudii, & simplicis complacentiæ innatum appetitum. P. 20. CXXXIX.

Appetitus Materie primæ innatus.

Materia prima appetit appetitu innato desiderii formas absentes. P. 20. CXLII. & seq.
 Materia prima appetit appetitu gaudii formam substantialem, quam habet. P. 21. CXLVIII. & seq.
 Materia prima appetit omnem formam substantialem præsentem & absentem, corruptam & non corruptam possibilem; producendam vel non producendam, appetitu simplicis complacentiæ. P. 21. CLV. & seq.
 Materia prima æqualiter omnes formas substantiales appetit. P. 22. CLXX.

Apprehensio.

Definitur apprehensio. L. 28. v. & L. 165. XLIII.
 Apprehensio enuntiativa multum distinguitur à iudicio. L. 28. VI. & L. 165. XLIV.
 Variæ apprehensiones ad iudicium præsupponuntur. L. 165. XLIV.
 Apprehensio virtualiter multiplex seu composita, etiam à iudicio separata, est verè propositio. L. 166. XLV. & seq.

Approximatio. Vide Agens.

Aqua. Vide Elementa.

Argumentatio. Vide Discursus.

Ars.

Ars tripliciter accipitur. L. 210. CCLXVI.
 Omnis ars, etiam futura, juxta tertiam acceptio-

nem, est verè scientia practica. L. 211. CCLXVII.
 Quid Ars & quomodo definiatur. P. 77. v.
 Natura & ars uno sensu maxime differunt. P. 77. vi.

Natura & ars alio sensu maxime conveniunt. P. 77. vii. & seq.

Ars nullum totum, quod sit, vel in se habeat principium motus & quietis naturalis, per se immediate naturaliter producere potest; mediate verò, applicando activa passivis, mira producere potest. P. 79. XXIV. & seq.

An applicando activa passivis homo naturaliter renasci possit. P. 79. XXVIII.
 An per artem Chymicam possit produci verum aurum. P. 79. XXXIX.

Ascensus. Vide Descensus.

Assensus. Vide Præmissæ, aut Conclusio.

Auditus, Auctio.

Auditus est potentia sensitiva soni. A. 90. I.
 Sonus non deferitur ad auditum mediantibus speciebus impressis, sed immediate per seipsum & secundum suum esse reale. A. 90. IX. & seq.
 Sonus quotiescumque auditur, prius à proximioribus, posterius à remotioribus, interruptè producitur. A. 91. XIII. & seq.
 Sonus in toto spatio in quo æquè cito à remotioribus ac à proximioribus auditur, in instanti diffunditur. A. 91. XIV.

Augmentatio. Vide Accretio.

Axioma.

Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. L. 40. CLVIII.
 Quis sensus hujus axiomatis, qui tollit proprietates, tollit essentialiam. L. 115. DCLXXXII.
 Illa sunt similia, quorum qualitas est una. L. 147. CLIX. & G. 50. I.
 Propter quod unumquodque est tale, & illud magis. L. 193. VIII.

Si ob ea scimus & credimus, & illa sanè scimus & credimus magis. L. 193. IX.

Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. L. 195. L.

Actus specificantur ab objecto. L. 203. CLVIII. & seq.
 Generatio unius est corruptio alterius. P. 33. LXIX. & seq. & G. 24. X. & 26. XXXI.

Actiones sunt suppositorum. P. 44. IX.

Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. P. 52. CXI. & seq. & A. 63. XXV. & seq.

Non sunt alliganda entia essentialiter suis principis, aut subjectis determinatis sine necessitate. P. 52. CXII. & seq. & 97. XVII.

Cuicumque enti danda est minor distinctio, quæ dari potest; neque aliqua danda est absque posteriora ratione, sine qua sufficienter explicari possit. P. 65. XXXVIII.

Nemo dat quod non habet. P. 86. XXXII.

Non sunt augenda entium intrinsecæ perfectiones sine fundamentis. P. 97. XVII.

Sol & homo generant hominem. P. 109. LXXIX.

Qui

RERVM MEMORABILIVM.

Qui dat formam, dat consequentia ad illam. P. 110. LXXV.
 Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. P. 132. LXXX.
 Indivisibile additum indivisibili non facit majus. P. 148. VI. & seq.
 Quidquid movetur, mutat locum. P. 165. I.
 Ad præteritum non datur actio. P. 182. LVIII.
 Omne quod movetur, ab alio movetur. C. 4. VI. & VIII. & seq.
 Omne quod fit, ab alio fit. C. 4. IX. & seq.
 Esse est propter operari. C. 8. XXVI. & seq. & G. 39. XXXIX.
 Agens transeunter agit ut assimilaret sibi passum. C. 8. XXVII.
 Omnis actio est à proportionem majoris inæqualitatis. G. 56. LXXXIV.
 Non sunt minuenda entia sine necessitate. A. 63. XXVI.
 Ea que sunt in imperfectioribus dispersa, sunt in perfectioribus conjuncta. A. 71. XII.
 Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Ibid. XV.
 Idem manens idem, semper idem facit. A. 89. XLIV.
 Ex objecto & potentia paritur notitia. A. 94. V.

B.

Bonitas. Bonum.

Bonum est duplex, absolutum & respectivum. M. 112. XIV.
 Quid sit bonum transcendentale, & quid addat supra ens. M. 112. XIV. & seq.

C.

Calor.

Cr post lotionem manus plerumquæ magis caleant. G. 57. LXXXII. & seq.

Capilli.

Capilli sunt animati. A. 69. XII. & seq.

Casus.

Quid Casus ut opponitur fortunæ. P. 136. III.
 Respectu Dei nihil est casuale. P. 136. IV.

Causa in Communi.

Patres Græci nomine causæ in divinis promiscuè utuntur, Latini verò illud in divinis exosum habent. P. 80. I.
 Causa in genere rectè dividitur in causam, quæ sit principium communicans esse illimitatum, & causam, quæ sit principium communicans esse limitatum. P. 80. II.
 Quid causa in genere in rigore philosophico. P. 80. III.
 Cur sancti Patres Græcos reprehenderint, quod causam in divinis agnoscerent. P. 81. VII. & seq.
 Rejiciuntur definitiones causæ ab aliis communiter receptæ. P. 81. XIV.
 Per ly dependet non rectè excluditur causa in divinis. P. 81. XV.
 Causa variè dividitur, immediatè & adæquatè,

ut primò, in primam & secundam, secundò in remotam & proximam, tertio in causam per accidens & causam per se, quartò in Physicam & moralem, quintò in univocam & æquivocam, sextò in totalem & partialem, septimò in subordinatam & non subordinatam.

P. 82. XVI. & seq.
 Divisio causæ in materialem, formalem, efficientem & finalem non est immediata. P. 82. XXVI.
 Neque ista divisio est in species infimas.

P. 82. XXVII.
 P. 82. XXVIII.
 Ista divisio est univoca.
 Ista divisio est aliquo sensu adæquata.

P. 82. XXIX. & seq.
 Ordo inter causas est duplex, unus intentionis, alter executionis. P. 83. XXXII.

Quis ordo intentionis inter causas. P. 83. XXXIII.

Quis ordo executionis inter causas. P. 83. XXXIV.

Quis ordo dignitatis inter causas. P. 83. XXXV.
 Causæ existentia in se non requiritur ad causandum effectum; sed sufficit existentia illius in virtute sua. P. 83. II.

Causa non debet esse prior suo effectu prioritate temporis. P. 88. XLIX.

Causa debet esse prior suo effectu prioritate naturæ. P. 88. LIII. & seq.

A qua causa fiat contorsio membrorum, & contractio nervorum post mortem hominis. A. 66. LVI. & seq.

Causa intrinseca.

Quid Causa intrinseca. P. 95. I.
 Nulla datur Causa intrinseca. P. 95. II. & seq.

Causa prima sive increata.

Quid concursus ex etymologia nominis. P. 111. I.

Quid Dei cum causis secundis concursus, & quotuplex. P. 111. II. & seq.

Concursus Dei cum creaturis in actu secundo est duplex. P. 112. VI.

Quomodo concursus Dei cum creaturis in actu primo, proximè præparetur, aut creaturæ applicetur. P. 112. VIII. & seq.

An concursus Dei in actu secundo ad effectus causarum secundarum sit immediatus. P. 112. XI. & seq.

Deus ad actiones creaturarum concurrat per eandem actionem, per quam creaturæ agunt. P. 117. LIV.

An non solum Deus simul concurrat cum causis secundis, sed eas etiam ad agendum per præviam qualitatem in illis impressam præmoveat ac prædeterminet. P. 117. LV. & seq.

Deus non præmovet causas secundas ad agendum per præviam qualitatem illis impressam. P. 118. LIX. & seq.

Deus non solum concurrat simultaneo concursu cum causis secundis, sed & prævio aliquo Physicè efficaci. P. 119. LXXII. & seq. Item M. 116. II. & seq.

Quid concursus prævius Physicè efficaci, quo Deus cum causis secundis concurrat. P. 120. LXXXIV. & seq.

Deus non præmovet Physicè ad peccatum ut peccatum est. P. 121. LXXXVII. & seq.

Deus non præmovet Physicè ad peccatum materialiter

terialiter per qualitatem præviam ex se inferentem actum peccaminosum per modum ultimæ determinationis. P. 121. LXXXIX. & seq.
 Deus præmover Physicè ad peccatum materialiter per aggregatum, &c. P. 122. CVII. & seq.
 Omnem limitationem esse à Deo causâ efficiente, refellitur. P. 126. XII.
 Vtrum concursus prævius sit de potentia absoluta separabilis à simultaneo, seu ab actione causæ secundæ, & è converso, sive, quod perinde est, à concursu simultaneo. M. 116. IV. & seq.
 An de potentia absoluta possit Deus dare simultaneum concursum causæ secundæ sine prævio concursu in causam secundam. M. 117. VII. & seq.
 An Concursus Dei cum causis secundis sit influxus, non tantum in effectum causæ secundæ & simultaneus cum actione ejus, sed etiam prævius in ipsam causam. M. 118. X. & seq.
 Resolvitur à P. Suario quòd non. *Ibid.*
 Rejicitur P. Suarii sententia, & contraria sustinetur ac probatur. M. 118. XII. & seq.

Causa secunda sive Creat.

Causæ secundæ aliquid verè efficiunt. P. 102. I. & seq.
 Omnes substantiæ quæ de novo producuntur, non producuntur à solo Deo immediatè ut principio *quo*. P. 103. VIII. & seq.
 Substantiæ sublunares non producuntur à solis accidentibus immediatè ut principiis *quo*. P. 103. XI.
 Rejiciuntur communes probationes, & solidiores adferuntur. *Ibid.*
 Substantiæ sublunares non producuntur à solis substantiis immediatè ut principiis *quo* concurrentibus. P. 106. XLIII. & seq.
 Substantiæ sublunares producuntur à substantiis & accidentibus, utrisque immediatè ut principiis *quo* concurrentibus. P. 107. I. & seq.
 Causa totalis substantialis substantiarum, sive viventium, etiam hominum, sive non viventium, sunt substantiæ & accidentia. P. 109. LXIX.
 Causa sive principium immediatum *quo* accidentium connaturalium, sunt forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens, & hujus proportionata instrumenta. P. 110. LXXI.
 Causa sive principium immediatum *quo* accidentium extraneorum, de facto est forma substantialis compositi, instrumenta ejus, & quælibet forma proportionata sufficienter applicata. P. 110. LXXVIII.
 Dari potest processus in infinitum in causis subordinatis. P. 126. XIV.

Causa Efficiens.

Ad Causandum efficienter nequidem existentia realis principii *quod* immediati in virtute requiritur, si principium immediatum *quo* paulò ante extiterit. P. 84. XIII. & seq.
 Magnum discrimen inter causam efficientem & finalem. P. 87. XLII.
 Causæ causantes secundum diversum esse, reale scilicet & intentionale, ut efficiens & finalis, pos-

sunt esse sibi invicem causæ quoad primum esse. P. 88. LVIII. & seq.
 Supernaturaliter saltem causa efficiens & effectus se mutuo in eodem instanti reali efficienter causare possunt quoad primum esse. P. 89. LXVI. & seq.
 Nihil potest sibi dare esse positivè primum, nisi Deus ens à se. P. 91. LXXXVII.
 Res eodem instanti reali, quo à solo Deo v. g. producitur supernaturaliter potest emitte aliam actionem suiipsius efficienter productivam & sic dare sibi primum esse per actionem negativè primam eodem instanti reali & rationis, quo à solo Deo producitur. P. 91. LXXXIX. & seq.
 Idem numero effectus potest supernaturaliter produci à duabus causis totalibus sive efficientibus, sive materialibus, sive formalibus. P. 93. CXII. & seq.
 Idem potest etiam naturaliter. P. 94. CXXIV. & seq.
 Quid causa efficiens. P. 96. I.
 Causa efficiens variis modis dividitur, & præsertim in principalem & instrumentalem. P. 96. III. & seq.
 Causa instrumentalis assignatur triplex, artificialis, naturalis & supernaturalis. P. 96. V.

Causa formalis.

Ad causandum formaliter requiritur existentia realis causæ formalis. P. 84. XI. & seq.
 Materia & forma naturaliter se mutuo causant formaliter quoad primum esse. P. 89. IX. & seq.
 Supernaturaliter saltem materia & forma se mutuo in eodem instanti reali causare possunt materialiter quoad esse negativè primum, sive per generationem negativè primam. P. 89. LXVI. & seq.
 Idem numero effectus potest supernaturaliter produci à duabus causis totalibus, sive materialibus, sive formalibus, sive efficientibus. P. 93. CXIII. & seq.
 Idem potest etiam naturaliter. P. 94. CXXIV. & seq.
 Quid causa formalis. P. 96. VII.

Causa materialis.

Ad Causandum materialiter requiritur existentia realis causæ materialis. P. 83. VI.
 Materia & forma naturaliter se mutuo causant formaliter quoad primum esse. P. 89. IX. & seq.
 Supernaturaliter saltem materia & forma se mutuo in eodem instanti causare possunt materialiter quoad esse negativè primum, sive per generationem negativè primam. P. 89. LXVI. & seq.
 Idem numero effectus potest supernaturaliter produci à duabus causis totalibus, sive materialibus, sive formalibus, sive efficientibus. P. 93. CXIII. & seq.
 Idem potest etiam naturaliter, si supponas causarum materialium aliquam dari penetrationem naturaliter. P. 94. CXXIV. & seq.
 Quid Causa materialis, P. 96. V.

Causa

Causa Finalis.

Ad Causandum finaliter requiritur existentia intentionalis Causæ Finalis, non verò realis. P. 83. III. & seq.
 Magnum discrimen inter causam finalem & efficientem. P. 87. XLII.
 Causæ causantes secundum diversum esse, reale scilicet & intentionale, ut efficiens & finalis, possunt esse sibi invicem causæ quoad primum esse. P. 88. LVIII. & seq.

Causalitas.

Causalitas est duplex, in actu primo & in actu secundo. P. 96. VI.
 Quid Causalitas causæ efficientis in actu primo, quid in actu secundo. P. 96. VII. & seq.
 Causalitaseductiva siveeductio est aliquid realiter distinctum à causâ efficiente. P. 97. XIII. & seq.
 Causalitas passiva sive passio dupliciter sumitur. P. 98. XXVII.
 Causalitas activa & passiva sive actio & passio pro fitione non distinguuntur realiter. P. 98. XXVIII. & seq.
 Causalitas activa & passiva sive actio & passio secundo modo sive pro receptione formæ in subiecto sustentationis sumpta, non distinguuntur realiter. P. 99. XXXII. & seq.
 Causalitas activa & passiva sive actio & passio utroque modo sumpta differunt conceptu formali. P. 99. XXXVII. & seq.
 Causalitas, sive actioeductiva, modus non est in agente aut effectu sustentativè, sed in passio sive subiecto. P. 99. XXXIX. & seq.

Certitudo.

Quid Certitudo. L. 195. XXXVII.
 Certitudo est triplex, objecti, cognitionis & cognoscentis. L. 195. XXXVIII.
 Certitudo objecti & cognitionis iterum est triplex, moralis, Physica & Metaphysica. L. 195. XLII. & seq.
 Certitudo quædam moralis ad scientiam sufficit, quædam non sufficit. L. 196. LIX.
 Sistendo in mente Aristotelis ad scientiam requiritur & sufficit certitudo & evidentia Physica; certitudo tamen Metaphysica infert secum maximam scientiæ perfectionem. L. 196. LXIII. & seq.
 An incertitudo, quæ est de essentia opinionis, sit quidpiam negativum. L. 203. CLXI.
 Unde oriatur incertitudo. L. 203. CLXV.

Cæli.

Dubium & incertum est, sive attentâ autoritate, sive attentâ ratione, an cælum sit corpus completum simplex, an corpus ex materia & forma compositum. C. 8. XXVIII. & seq.
 Si cæli sint corpus simplex completum, clarum est materiam cœlestem specie distingui à sublunari. C. 9. XXXIV. & seq.
 Cælos esse incorruptibiles, etiam ab intrinseco, datò quòd sint corpora simplicia, manifestum est:

an cælum Emphyreum sit incorruptibile, etiam datò quòd sit compositum, sed quòd dubium sit, an constet materiâ sublunari ejusdem speciei cum nostrate? verisimilius est quòd sic.

C. 10. XLV.
 Cæli alii ab Emphyreo sunt corruptibiles, dato quòd sint compositi ex materia & forma. C. 10. XLVI. & seq.
 Non est de fide Cælos non esse animatos. C. 11. LXII.
 Cælum non est animatum animâ vegetativâ. C. 11. LXIV. & seq.
 Cælum non habet animam sensitivam. C. 12. LXVI.
 Cælum multò minùs habet animam rationalem. C. 12. LXVII.
 Præscindendo ab autoritate quintæ synodi, verisimilius est secundum Philosophiam naturalem præcisè, cælos animatos esse animâ locomotivâ distinctâ à vegetativâ, sensitivâ & rationali. C. 12. LXX. & seq.
 Cælos per se ab intrinseco moveri non nisi temerè à nonnullis temerarium censetur. C. 12. LXXXIX.
 Spectatâ præcisè autoritate communi, & suadente non nisi ratione, probabilius videtur cælum moveri ab Angelo. C. 13. LXXX.
 Spectatâ præcisè ratione longè probabilius est cælos moveri ab intrinseco. C. 13. LXXXV.
 Injusta est nonnullorum censura, quâ soliditatis cælorum assertores ut temerarios carpunt. C. 13. LXXXIV.
 Sive cælum planetarum, sive firmamentum, est fluidum. C. 13. LXXXV.
 Sunt tantum tres cæli, Aëreum, Sydereum & Emphyreum. C. 14. CIII.
 Planetæ sunt septem. C. 14. CVIII.
 Certum numerum stellarum in cælo existentium velle præfigere vanum est. C. 14. CIX. & seq.
 Quælibet stella firmamenti est sine comparatione major globo terraqueo; quantum verò præcisè, difficulter dicitur. C. 15. CXII.
 Unde distinctio, magnitudo, & situs astrorum colligatur. *Ibid.*
 Ex diversis astrorum conjunctionibus, diversimodè temperantur influentiæ cælorum in sublunaria. C. 15. III.
 Necessè est ponere in cælis virtutes quædam distinctas à luce & calore. C. 15. IV. & seq.

Christus.

Quid concretum *Christus* dicat in recto & obliquo. L. 17. CCCI. & seq.
 Quis sensus hujus propositionis, *Christus est homo*. L. 29. XXX. & L. 47. CXXIV. & seq. & L. 81. CCCIV.

Cognitio.

Quid cognitio in genere. L. 27. II.
 Cognitio, operatio intellectus, conceptus seu fetus mentis, imago vitalis, similitudo & species expressa, intentio, &c. interdum dicitur & cur. L. 27. III.
 Divisiones & subdivisiones cognitionis in apprehensionem, judicium & discursum: formalem & objectivam: explicitam vel implicitam. L. 28. IV. & seq.

Eadem cognitio respectu diversorum potest esse explicita & implicita. L. 28. XI.
 Cognitio dividitur in distinctam & confusam. L. 28. XII.
 Eadem cognitio potest esse respectu diversorum explicita, distincta, & confusa. L. 28. XIII.
 Non omnis cognitio confusa est implicita aut è contra. L. 28. XIV. Vide *Conceptus*.
 Item dividitur in directam & reflexam; & in directam ac indirectam. L. 28. XV.
 Item in comparativam & absolutam. L. 28. XVII. & seq.
 Omnis cognitio comparativa est simul directa & indirecta respectu diversorum. L. 28. XVIII.
 Item in adæquatam & inadæquatam. L. 28. XVII.
 Cognitio sub nomine intentionis dividitur in formalem & objectivam. L. 28. XX. & seq. Vide *Intentio*.

Color.

Visus est potentia sensitiva coloris. A. 85. II.
 Color est objectum visus. A. 85. III. & seq.
 Color & lumen inter se realiter non distinguuntur, sed color est lumen in subiecto receptum, ab eoque prout talis vel talis naturæ, specificatum. A. 85. V. & seq.
 Nocte colores omnes abeunte sole pereunt, unde nec sanguis de nocte est ruber, nec cygnus albus. *Ibid.*
 Color visui immediatus sine specie impressa videtur. A. 87. XXVIII. & seq.
 Ad videndum colorem à visu distantem seu mediatum, est necessaria species impressa ab objecto in oculum emissa. A. 88. XXXI. & seq.
 Colorum contrariorum species non sunt contrariæ. A. 89. LI. & seq.

Comparatio sive notitia Comparativa.

Comparatio, quid, & quotuplex. L. 68. CXCVIII.
 Tam universale Logicum, quam Metaphysicum fit per solam præcisionem formalem sine ulla comparatione simplici. L. 68. CCI. & seq.
 Tam universale Logicum, quam Metaphysicum fit per præcisionem absolutam sine ulla comparatione. L. 68. CCVI. & seq.
 Natura, posita solà præcisione, ante comparationem simplicem ipsius ad sua inferiora, est proximè, positivè & completè universalis in prædicando. L. 69. CCIX. & seq.

Compositio.

Compositio alia virtualis, alia formalis, alia objectiva, alia præsuppositiva. L. 166. LXII. & seq.

Compositum. Vide Totum.

Conceptus.

Contradictoriè pugnat idem indivisibile objectum realiter absolutè & secundum se sumptum, distinctè concipi & non distinctè, sed confusè concipi per eundem actum, uti concipi & non concipi

pi absolutè. L. 46. CCXI.
 Idem indivisibile objectum relativè, & cum comparatione ad diversos terminos, sumptum potest concipi distinctè per ordinem ad unum terminum, & non distinctè per ordinem ad alium. L. 46. CCXIII. & seq.
 Unus idemque conceptus, sive una eademque cognitio potest esse diverso respectu ex parte sua distincta & confusa. L. 46. CCXVI. & seq.
 Conceptus sive cognitio objecti tantò est clarior & distinctior, quantò magis, sive quantò à pluribus specie diversis suum objectum distinguit, & cum paucioribus specie diversis confundit. L. 47. CCXVII.
 Quomodo conceptus sive cognitio una eademque possit esse diverso respectu ex parte sua distincta & confusa, si in objecto non sint, vel saltem non cognoscantur operationes diversæ, uti in albedine v. g. L. 47. CCXVIII.

Conclusio.

Requiritur dependentia conclusionis à præmissis, ut sit legitima. L. 182. LIX.
 Ad assensum conclusionis non requiritur aliqua notitia expressa & in actu signato de connexionne actus consequentis formaliter sumpti cum actibus præmissarum. L. 182. LXIII. & seq.
 Ante assensum conclusionis debet præcedere expressè & in actu signato apprehensio consequentiæ objectivæ. L. 183. LXVI. & seq.
 Ante assensum conclusionis non requiritur apprehensio consequentiæ formalis prout opponitur materiali. L. 183. LXVIII. & seq.
 Ante assensum conclusionis multò minùs requiritur iudicium de bonitate consequentiæ. L. 183. LXXII. & seq.
 Iudicium consequentis formaliter sumpti attingit objecta præmissarum. L. 184. LXXXVIII. & seq.
 Intellectus positus assensibus præmissarum evidentium, & apprehensione de bonitate consequentiæ, necessitatur ad assensum conclusionis saltem quoad specificationem. L. 188. CLII. & seq.
 Positis assensibus præmissarum, etiam probabilium tantum, & apprehensione de bonitate consequentiæ, necessitatur similiter intellectus quoad specificationem ad actum conclusionis quatenus ex illis præmissis inferitur. L. 188. CLVI. & seq.
 Positis assensibus præmissarum evidentium & apprehensione de bonitate consequentiæ, necessitatur intellectus quoad exercitium ad assensum conclusionis. L. 189. CLXIV. & seq.
 Positis etiam assensibus præmissarum probabilium, & cognitâ bonitate consequentiæ, necessitatur etiam intellectus ad exercitium quoad assensum conclusionis. L. 190. CLXXXI.
 Assensus præmissarum priùs naturâ formantur, quam assensus conclusionis. L. 191. CLXXXV.
 Assensus præmissarum & conclusionis possunt in uno eodemque instanti produci. L. 191. CLXXXVII. & seq.
 Assensus præmissarum necessariò in intellectu, saltem virtualiter in recordatione actuali perseverant eo tempore, quo producitur assensus conclusionis. L. 191. CCXIII. & seq.
 Præmissæ non debent esse certiores & evidentiores conclusionis scientificæ. L. 195. XLVIII. & seq.

Concre-

Concretum.

Concretorum duo sunt genera, unum Physico-
rum, alterum Metaphysicorum.

L. 17. CCLXXX. & seq.

